Digitized by Google

Digitized by Google

Prof. Rom. Soc. Iesu Inscript. catal. bibliot. Soc.

ANABAPTISTICÆ HÆRESEOS CONFVTATIO, ET VERE CHRISTIANI BAPTISMI, ac potißimum pædobaptiſmatis aſſertio in duos libros diuiſa, quorum prior ueram Chriſtiani baptiſmi energiam declarat, poſterior pædobaptiſmatis Chriſtianam inſtitutionem ex ſacris literis demonſtrat, contra Mennonis Simonis Friſij anabaptiſticæ prauitatis ſummi antiſtitis uirulentas blaſphemias, authore Martino Duncano Kempenſi Guormarianæ Eccleſiæ in Hollandia paſtore.

Item quod neque ex teſtimonio proprię conſcientiæ quãtumuis iuſtæ, neq; ex ſcriptura, certò ſcire poſſumus, ſine peculiari reuelatione, nos nunc eſſe iuſtos, & cælo dignos, quanquam id firmiter ſperare oporteat futurum. Præterea quæ ſit vera Chriſti Eccleſia, ex ſacris literis demonſtratio, cum multis alijs hoc ſeculo omnibus Chriſtianis valde neceſſarijs.

Prouerb. 22.
Ne tranſgrediaris terminos antiquos, quos poſuerunt patres tui.

ANTVERPIÆ,
Imprimebat Iohannes Grauius Typographus à Cæſ. Maieſt. admiſſus, Anno
1549.

Cum gratia & priuilegio.

EMANUELE VITTORIO BIBLIOTECA IN ROMA

B. 6. A. 11

SVpplicanti Iohanni Grauio typographo & ciui Antuerpiensi, vt sibi daretur soli facultas excudendi, vendendi & distrahendi certos libros nimirū Passionē Domini nostri Iesu Christi Gallicè (quam supplicans anno supra millesimum & quingentesimum quadragesimo quarto semel Antuerpiæ impressit) & Anabaptisticæ hæreseos confutationē (quam idem suis sumptibus visitari corrigi & subsignari fecit per quendam sacrarum literarū minimè indoctum, qui libros prædictos sese correxisse nihilque mali continere atteſtatur) Permisit, annuit, concedit ac permittit Cæsarea Maiestas, vt proximo hoc quadriennio hos supplicans libros pro correctionis tenore solus excudat, vendat, & distrahat: Interdicitque eadem singulis tam chalcographis quàm librarijs, istiusmodi librorum adsimilatione aut impressione intra quatuor annos proximos: Confiscatione librorū & multa Caroleorum quinquaginta in pœnam præuaricatori constituta ad eiusdem Iohannis Grauij vtilitatem. Datum Bruxellis viij. Februarij. Anno Domini M. D. XLVII. stylo nostræ Curiæ.

FACHWCZ.

¶ Prioris libri Cap. primum fol. 1
Quid sit baptismus. fol. 2
Cap. 2. fol. 7. fac. 2
De materia baptismi, de figuris, & de aquæ baptismalis sanctificatione.
Cap. 3. fol. 15. fac. 2.
De forma baptismi, hoc est, de verbo vitæ in quo baptizemur, & de efficacia verbi.
Cap. 4. fol. 25.
Quid sit verus baptista, & quis minister baptismi deq; duplici ordine Christianorum. Et an ministri malitia obsit ne possit verum administrare Christi baptisma. Cap. 5. fol. 38. fac. 1.
Quę sit energia & vis baptismi, & quis eius fructus. Cap. 6. fol. 51. fac. 1.
Quod baptizandi præceptū non sit omnium mandatorū minimū, vt Menno blasphemat.
Cap. 7. fol. 60. fac. 1.
Quod q̄uis per baptismū fiat peccatorū remissio, nō tamē ob id, nisi vnicū sit nostrę salutis medium. Cap. 8. fol. 65.
Quod in baptismo, & nō ante regeneremur.
Cap. 9. fol. 78. fac. 2.
Quod nemo q̄tumuis iustus, citra peculiarem reuelationē, certo sciat, nunc se iustū esse, & sine dubio saluū futurū. Cap. 10. fo. 103. f. 2.
Cōparatio baptismi cū virga Mosaica, & serpente æneo. Cap. 11. fol. 107. fac. 2.
Qui sint baptizādi & de triplici baptismo, itē de baptismo Iohannis. Et an fides necessario præcedat baptismum

SPECTATISSIMO VIGILANtissimoq; Senatui ciuitatis Amstelredamicæ, Populoq; eiusdem oppidi humanissimo pariter atque pietatis amantissimo Martinus Duncanus Kempensis, S. D. P.

INter omnes hoc infœlici atque flebili seculo uel recèns natos, uel ab inferis reuocatos errores, ò uiri prudentißimi, nullum arbitror esse pestilentiorẽ, nullum qui uirus suum latius spargerit, nullum qui plures strages ediderit, quàm quo paruulorum baptisma negatũ est. Huius enim pestilentißima transitio atq; contagio, nõ in eos modò, qui eius impia persuasione imbuti sunt, sed etiam in eos dimanat, qui necdum imbui possunt, ita ut tam in Christo uiuentibus uitam eripiat, ijs uerò, qui nondum in Christo uiuunt, ad uitam Christianã aspirare non permittat. Aliæ enim hæreses omnes, quarum nunc multis uarijsq; (prò dolor) mundus coscutitur atq; conflictatur in paruulorũ perniciem uergere non possunt tantißper, dum earum non sunt capaces. Hæc uerò quæ negat pædobaptisma, utique posterit. Si enim parentes rectè sentiant de Christo, & ab eo instituto baptismo, sinant q; suos liberos etiamnum paruulos uenire ad Christum, eorum animas in Christo saluas reddunt, neq; possunt eis ulla rursus impietate sua, etiamsi fiant perditißimi uel uita uel opinione, uitam æternam eripere, ad quam in baptismo iam per Mat. 19

Chris

Christum regenerati sunt. Filius enim non portabit iniquitatem patris, neq; pater iniquitatem filij. Sed anima quæ peccauerit ipsa morietur, ut ait Dominus apud Prophetam Ezechielem. Contrà si parentes nõ Ezech.18.
rectè sentiant de baptismo Christi sinantq; suos infantes sine baptismo mori, imò & prohibeant eos uenire ad Christum instar discipulorum, qui necdũ erant iam Luc.18
tum mysteriorum Dei gnari, eò quòd putent non posse baptizari quenquam, nisi qui ipse fidem ex auditu uerbi Dei & didicerit, & profitcatur, hi profectò et sibi, & suis infantibus, alioqui innocentibus, modò ita uita hac defungantur, paratam inuenient (quod Deus auertat) æternam damnationem, non tamen æqualem utriſq;. Sibi quidem, eò quòd non credant. Sine fide e- Heb.11
nim impoßibile est placere Deo. Et qui non crediderit, condemnabitur. Nam etsi cætera omnia rectè cre- Marc.16
dant, quæ sint credenda, modò tamẽ uel hac unica uia errarint, incredvli iudicabuntur, præsertim dicente Christo: Sinite paruulos uenire ad me, & nolite prohibere eos ad me uenire. Præterea quicunq; totam le- Mat.19
gem seruauerit, offendat autem in uno, factus est omnĩũ reus, ut inquit Apostolus Domini Diuus Iacobus. Iacob.2
Suis uerò paruulis itidem & condemnationem paratam inuenient, quamuis non æquè grauem, eò quod nõ sinant eos lauari in sanguine Christi à peccatis ipsorum, neq; participes fieri promißionis æternæ, per lauacrum regenerationis & renouationis spiritus sancti, qui est pignus hæreditatis nostræ. Quem quidem Tit.3
spiritum ut effusum esse scimus in Iohannem maternis Eph.1
adhuc uiscribus clausum, sine præcedente fide ex auditu uerbi diuini indita, ita etiam in infantes nostros Luc.1

Act.2 Rom.8

per baptismum merito sanguinis Christi reuera effundi credimus, sine quo sanè spiritu nemo est neq; Christi neque cælo dignus. Cùm itaque multi sint, qui hanc lethalem pestilentißimæ hæreseos sententiam, non modò mouerunt, sed etiam plenis faucibus imbiberunt, atque eò ebrietatis & insaniæ redacti sunt, ut putent baptismum, quem ipsi quondam infantes, ac fidei omniúmque rerum ignari susceperunt, inanem esse frigolum atque impium, neq; posse nobis baptisma Christi administrari, nisi fidem antea doctis, eámque profitentibus, ac proinde oportere, ut qui infantes inuiti liter, & nõ uerè (ut blasphemant) baptizati sunt, rursus ubi adoleuerint, & fidem ex auditu uerbi didicerint, tum demum utiliter & uerè baptizentur, utq; infantes potius (quæ est eorum insana persuasio) permittantur sine baptismo ex hac uita migrare, quàm ut eos necdum credentes contra scripturam (ut putant) frustrà baptizemus, ut quos sine dubio arbitrantur, etiamsi sine baptismo obierint mortem, nequaquam condemnatum iri, sed planè saluos esse futuros ex mera liberalitate promißionis et gratiæ Christi dicentis. Talium est regnum cælorum. Matthæi decimo nono. Cum (inquam) multi sint, qui huiusmodi credant, effutiant, doceant, atque obseruent, scripserit que in eam rem contra scripturam uerboßißimè, calidißimè atque pernicioßißimè, non uno libello, quidã Menno natione Frisius, ut opinor, homo ad seducendum & maledicendum appositißimus, cuius scripta paßim manibus indocti atque instabilis uulgi terantur, & per manus traduntur. Non debet cuiquam mirum

rum uideri, cur hactenus nemo Catholicorum se mu- Ezech. 13
rum pro domo Dei, contra huius arietis insultum ops
posuerit, qui eius blasphemias efficacissimis diuinas
rum scripturarum rationibus, & ualidissimis argu
mentis in contrarium iactis traduxerit, conuicerit at
que dissipulerit. Nam quamuis sunt, qui de baptismo
multa scripserint, & pijs abundè satisfecerint, nemo
tamen est, quod equidem sciam, qui contra Mẽnonem
hunc, gladium spiritus strinxerit, cúmque ex manibus Eph. 6
hominum excussérit. Neque est quòd ipse Menno
sese glorioſius efferat, & ante uictoriam encomium
canat, quasi nemo sit qui cum ipso in hanc arenam de
scendere ausus fuerit. Nihil enim aliud in causſa esse
reor, quò minus aperto Marte huic monstro se docti
opposuerint, quàm quod blasphemiæ eius in eorũ ma
nus non uenerint. Non enim credo libros Mennonias
nos usquam locorum inter catholicos publica nundi
natione distractos esse atque diuenditos, sed non nisi
in latibulis (nescio quibus) quasi per manus traditos.
Memini enim quendam ex Coryphæis ueræ fidei quos
dam in loco dicere, nulla parabaptistarum se scripta
uidisse, cæterùm se audisse plærosque eorum esse hos
mines literarum planè rudes atque temeritatis cons
fidentissimæ, qui ne latinam quidem linguam à limi
ne salutarint, uno dempto Baldassare Fridbergerio,
quem rumor sit huius perditissimæ sectæ authorem
esse. Quin & ipse ante annos aliquot cùm in hanc
prouinciã ouium Christi pascendarũ, ab illustrissima
Regina, inuictissimi Imperatoris nostri Caroli quinti
sorore dignissima, indignus & tanto oneri impar mit
terer, & inciperẽ iam habere commercium cum aliquot

id genus hominibus, quales prius ne uideram quidem ullos. Mirabar quibusnã uel scripturis uel rationibus niterentur, qui in hanc absurditatem & abominationem se retingendi uenerant. Nihil enim in sacris literis esse censebam, quod eorum opinioni admodum faueret. Nactus itaq; occasionem, quam diutiuscule uenatus eram, cum uno atq; altero, qui huiusmodi nouarum rerum peritißimi habebantur, ultro citroq; uerba habui, partim ut (Deo aspirante) eos ad meliorem mentem reuocarem, id enim mihi datum erat negocij, quanquam nemo sit, cui non sit mandatũ de proximo, partim ut & ipse scirem, quibus authoritatibus scripturæ persuasi in eam impietatem lapsi essent, atq; ea ratione aliàs in prõptu haberem, quid remedij cõtra huiusmodi morbos uel in priuatis colloquijs, uel in publicis concionibus propinarem. Adferebant ipsi quidẽ nonnulla, quæ ego in eam sententiã rapienda, & quasi obtorto collo trahenda ne somniaueram quidem, uerum inefficacia atq; futilia, ita ut uel ex tempore quiuis mediocri ingenio præditus frigidas eorum obiectiuncul as calore uerbi diuini facile soluerit. Quin & ipsi, suarum rerum, quas opinabantur esse certißimas, iam dubij utcunq; redditi, animoq; suspensi, dicebant se aliàs mecum latius acturos. Quid multis? Exoptabam mihi dari libellum quempiam, quo usi essent, & ex quo tantam impietatis fæcem hausissent. Nomen enim Mennonis non auditum mihi fuerat unquã. Tandem itaq; D. Nicolaus Cannius, amicus & fautor nõ modò meus sed omniũ studiosorum candidißimus, uir apprime & doctus & integer, Christianæq; fideẽ ac pietatis cum primis studiosus, cuiusdam Mennonis libel-

Eccles. 17

ni libelli copiam mihi fecit, in quo tantum uirus contra Romanam Ecclesiam Menno ille euomuit, quantum quis posit, qui eam funditus deletam uelit. Quē quidem libellum ubi uidissem, & legere auspicatus essem, totus mox frigore concutiebar, inhorrescebam, steterunt q; comæ & uox faucibus hæsit. Stupebam ad auditus tot tantas q; blasphemiarum uoces. Putes si legas, non iam Hipponacta quempiā aut Theonem aut Archilochum quantumuis maledicentissimum, sed ipsum potius cacodæmona loquentē audire. Dolebam atq; ingemiscebam, miratus tantis possē humanā mentem diuino alioqui lumine illustratā, inuolui tenebris Psal. 4
errorum, tanto impietatis furore corripi. Tandem mihi in mentem uenicbat illius, quod Iohannes Euangelista pariter & propheta habet Apocalyp. 12. hunc Apoc. 12
in modum. Et misit serpens ex ore suo post mulierem, aquam tanquam flumen, ut eam faceret trahi à flumine: sed adiuuit terra mulierem, & aperuit terra os suum, & absorbuit flumen, quod misit draco de ore suo. Et iratus est Draco in mulierem, & abijt facere prælium cum reliquis de semine eius, qui custodiunt mandata Dei, & habent testimonium Iesu Christi. Et stetit super arenam maris. Et uidi de mari bestiam ascendentem, habentem capita septem & cornua decem, & super cornua eius diademata decem, & super capita eius nomina blasphemiæ &c. Ex quibus sanè uerbis prophetæ perspicuum atq; persuasum mihi fit Diuum Iohannem præuidisse atq; prædixisse nō modò quòd uaria uitiorum genera sint Ecclesiā Dei miserandis modis insectatura, uerū etiam quòd & hæretici, atque ipsi adeò parabaptistæ sint contra eam

infestis signis depugnaturi quidem, sed eam minimè expugnaturi. Quid enim significat mulier hæc postquam euomuit serpens aquam, nisi Ecclesiam Dei uiui, quã doctrinis uarijs quasi fluctibus quibus dã ad omnẽ uentorum flatum motis demergere in profundas ignoran
Prou.31 tiæ tenebras nititur serpens? Hæc est enim mulier illa
Iohan.3 fortis, cuius precium procul & de ultimis finibus. Ex
1.Pet.1 summo enim cælorum descendit qui precio sui sangui
Apoc.19 nis, hanc mulierem sibi desponsatam, & pretiosam, et
2.Pet.1 præmio cælesti dignam effecit, idq; ei præstitit, quod
Gene.15 olim Abraæ omnium fidelium patri dixerat. Ego mer
Apoc.12 ces tua magna nimis. Semen autẽ huius mulieris christiani sunt. Contra quos pugnat antiquus ille serpens, non ipse modò diabolus & calumniator & tentator generis humani, sed & ministri eius, hæretici, schismatici, perscutores, flagitiosiq; homines. Pugnant hi
Apoc.12 quidem assiduo prælio cum hac muliere, sed eam
Apoc.19 nunquam expugnant, cò quòd ipsa sit sole illo iustitiæ, qui est rex regum, & Dominus dominantium, indutа, atque cataphractorum instar undiq; munita, hasbeatq; lunam (hoc est mundum, & ea quæ in mundo contra ipsam præliantur, caq; instar lunæ quasi Euripo instabiliora) sub pedibus, ut deuictam, prostratam conculcatamq;. Iuxta illud prophetæ. Vrbs fortitu
Es.26 dinis nostræ Sion, Dominus ponetur in ea murus & an
Mat.16 temurale, quamobrem & portæ inferi non prævalebunt aduersus eam. Quis enim hunc murum plusquam adamantinum demoliatur & excindat? Quis superet dominum cæli terræq; marisq;? Quia hæc dicit Domi
Es.31 nus. Quomodo si rugiat leo, & catulus leonis super prædam suam, cùm occurrerit ei multitudo pastorum

à uoce

à uoce eorum non formidabit, & à multitudine eorum non pauebit. Sic descendet Dominus exercituum ut prælietur super montem Sion, & super collem eius. Sicut aues uolantes, sic proteget Dominus exercituum Hierusalem, protegens & liberans, transiens & saluans. Nam ut paulò antè præcessit Ægyptus homo, & non Deus, equi eorum caro & non spiritus.

Rursus alibi. Populus meus, lex mea in corde eorum Esa.51
Nolite timere opprobrium hominum, & blasphemias eorum ne metuatis. Sicut enim uestimentum, sic comedet eos uermis, & sicut lanam, sic deuorabit eos tinea. Salus autem mea in sempiternum erit, & iustitia mea in generationes generationũ, & non sicut Mẽno blasphemat fides Christi iam multis seculis iacuit mortua atq; sepulta. Hanc enim mulierẽ sponsam Christi, Cant.4
aqua quam serpens post ipsum effundit, tantum abest Apoc.12
ut obruat, ut ne madefaciat quidem neq; cõtingat uel extremam fimbriã uestimenti eius. Astat enim ipsa ut Psal.44
regina à dextris eius, quem prædicat Regius propheta speciosum forma præ filijs hominum, in uestitu deaurato, in fimbrijs aureis, circumamicta uarietatibus. Sed terra adiuuat mulierẽ, & aperit os suum, & absorbet flumen, quod ipse serpens Tartareus ex faucibus exput. Quantos enim errorum fluctus terra terrenáque corda iam inde à triginta annis imbiberunt, satis superque (prò dolor) uidimus. Præterea quid sibi uult quòd Euangelicus hic propheta Iohãnes huic serpenti septem capita tribuit, perinde atq; ubi unũ aut alterũ quasi alter Hercules cum lernæa hydra cõgressus præciderit, tum demũ sint repullulentq; alia

Apoc.12

Apoc.13

cum

eum quibus sit tibi rursus depugnandum? Hæc nimirum sunt septem uiciorũ capita, sub quibus quasi principalibus ducibus militat totus reliquus uiciorum exercitus. Horum siquidem si unum aut alterum amputaris atq; straueris, statim contra te insurget aliud. Imò & ipsum idem, quod semel iterúmue confoderis, aliás iterum reuiuiscet, atq; arma sumet, iuxta quòd dici solet ἀνὴρ ὁ νικηθεὶς πάλιν μαχήσεται.

Apoc.13 Id quòd Iohannes ipse & his uerbis ἀινιγματικῶς indicat. Et uidi unum de capitibus eius quasi occisum in mortem, et plaga mortis eius curata est. Sed (ut cætera prætercam, quæ ad eundem locum rectè intelligendũ spectent, de quo non nisi obiter loquimur) hũc prætercà serpentẽ, eiusq; angelos uidit sanctissimus Iohannes staturos non super firmam petram, super quam Christus architectorum sapientissimus suam ædificauit domum, sed super arenam maris, partim ut

Mat.7 1.Cor.1 significet eos qui Ecclesiã Dei oppugnant nõ diu stabiles mãsuros, sed facile ruituros, partim ut significet eos in nulla tranquillitate, in nulla pace, in nulla unitate futuros, sed fluctuum instar circunferendos omni uento doctrinæ, iuxta illud propheticum: Impij quasi

Eph.4 Es.57 mare feruens, quod quiescere non potest, & reduncdant fluctus eius in conculcationem et lutum. Non est pax impijs, dicit Dominus Deus, partim denique ut significet quoq; fore nonnullos, qui aqua sint abusuri, contra diuinã consuetudinẽ Ecclesiæ, in retingendis ac denuò baptizandis hominibus. Hanc enim bestiam quam Dei amantissimus Iohannes uidit de mari ascendentem, si dixeris esse uel Mennonem, uel Fridbergerium, uel quicunq; sit palimbaptisticæ prauitatis auc-

thor

thor & anteſignanus, ne latum quidè unguem, puto, à ſententia ipſius prophetæ aberraueris. Si quis enim Mennonis libellorum uel dimidiatâ partem perlectis tauerit, is luce clarius uiderit, eum non uno et altero, ſed ſeptem capitibus, contra ſeptem Chriſti ſacramenta, nedum contra baptiſmum, obarmatis contentione, contumelia, mordacitate, aliorum contemptu & ſui elatione, inſolentia, ſuperbia, contumacia, arrogantia, opinionum intolerabili peruerſitate, iudicandi & cõdemnandi temeritate, aſtutia ad circumuentionẽ erroris, denique impietate, μεγαλοφρονικώτερον τοῦ δέοντος incedere, et gladiatorio, quod dicitur, animo ad Eccleſiam Romanam radicitus euellendam, ſed irritis conatibus, affectare uiam, atq; internecinũ planè bellũ ueritati indixiſſe. Nã ſuper huius beſtiæ ſeptẽ capita, ſi liberos eius uideris uel audieris, niſi cæcus ſis, multa et horrẽda nomina blaſphemiæ ſcripta inueneris, quibus ſe inſignem ſcilicet reddidit, poſtquã ex mari hoc iterati baptiſmi, quod nullum eſt, non iam cælo ſed inferis (quòd Deus in melius uertat) patentibus aſcendiſſet, quid autem aſcendiſſet? deſcendiſſet dixero potius & uerius. Cæterùm ut his prætermiſſis pergam abſoluere quod reliquum eſt inſtituti huius, unde digreſſus ſum, id porrò libelli, cuius mihi meus Cannius copiam (ut dixi) fecit, acceperat ipſe ex collegio ueſtro, ò uiri conſultiſſimi, ueſtro (opinor) uel omniũ uel quorundam prudentiſſimo conſilio, in hunc finem, ut perlectis atq; diſcuſſis ſingulis, aliàs in promptu et quaſi in numerato haberet, ſi quando uſus incideret, quidnam huius farinæ hominibus aptè reſponderet. In ueſtras autem manus ueniſſe, ſi bene memini, dicebat,

à nec

à negociatore quodam, quem superioribus annis cæptum, hæreseosq; conuictum, suis meritis digno exornastis præmio. Penes quem reperta erant huiuscemodi librorum exemplaria non pauca, quæ ille dispersurus erat in manus plebeculæ uacillantis, & ad omnem uentorum flatum fluctuantis. Cùm itaq; (ut uela hæc cõtrahere incipiã, & ad portũ festinare) neminẽ esse sciã, qui hisce Mẽnonianis blasphemijs quibꝰ, simplex incertum atque instabile uulgus in miserandos & flebiles errorum meandros abductum atque intricatum est, respõderit, cò quòd in manus eruditorum, ut dixi, non uenerint, præsertim eorum quibus respondere uel uacet uel facultas suppetat. Ecce nos manum tabulæ admouere cœpimus, non qui inter doctos haberi desideremus (quis enim ferat si anser cygno, aut aquilæ testudo, aut sus Mineruæ se æquet?) sed qui adiuuante Christo ingenioli nostri uiriculas periclitari uelimus, si quid hisce deplorandis uulgi erroribus rectè consulere queamus, ostensuri infantes rite in Christo baptizari, atque si citra baptismum, mortem præmaturam obierint, non fore saluos. Idq; latinè faciemus. Sic enim cõmodius, & facilius (ni fallor) dixerimus, quanq; forsan utilius nostrate lingua. Spero autem fortassis exoriturũ quempiã, qui uel hæc nostra in linguã uulgarem transferat, uel aliquid aliud nostro usurus exẽplo, Teutonicè scribat, quo obcæcatorum atq; errantium oculi quasi collyrio quodam inuncti in pristinã restituantur integritatem. Per uos itaque, ò uiri prudentissimi, cùm sit mihi facta librorum Mennonis copia, contra quem manum conserturus, ecce in aream descendo, uobis uicissim, ut manus manum lauet,

hoc

hoc quicquid est opusculi, secundum Christum, cuius nomine elucubratum est potissimum, nuncupatum atq; dedicatum uolo, ut uestro auspicio & in lucem exeat, & diu superstes esse possit. Tantisper autem superstes esse uelim, dum publicæ utilitati sit frugiferum futurum. Atque ò si frugiferum sit futurum. Quin & ipsa Resp. uestra multis profectò modis celeberrima, absolutissima, & iustitiæ atque æquitatis Christianæq; fidei seruantissima, denique laudatissima, mihiq; multis nominibus obsequentissima, & in primis colenda, huc me temeritatis perpulit, ut eius nomine, has meas nugas, hoc turbulentissimo seculo, quasi ex portu silentij tutissimo, non sine magno diserimine, in profundum pelagi, uentis non admodū secundis, exire permitterē, magis spectās cōmunē utilitatē, q̄ tutissimas et quietissimas mei silentij latebras. Non enim putē ullā esse ciuitatē hac nostra tempestate, quæ his anabaptisticis fluctibus atque insanis procellis sit grauius & periculosius iactata, quæq; & fortius atque prudentius clauum fidei tenuerit inconeussum, & ex his undis fœlicius emerserit atque euaserit, idq; non sine numine diuum: quam uestra, quod pace omnium aliarum dixerim. De qua quidē re hoc decastichon animi caussa & ex tempore annis superioribus lusum, hic libuit asscribere. Est enim non ipsum quidem epigramma, sed ipsum potius argumentum immortalitate & Nestorijs seculis dignum.

Fluctuat

Fluctitat Amsterodamica Fœx, stat lege Senatus
Cum populo firma. Turba retincta cadit.
Turba retincta cadit rerum molita potiri
Cunctarum, statuens te sibi Plute deum.
Nocte salus filo tenui pendere, sed illa
Atlantum est humeris fulta, Tonantis ope.
Cui pietas cordi, qui nititur auspice Christo
Læserit hunc nunquam quicquid Auernus habet.
Quicquid Auernus habet nec ui tua Christe nec astu
Domata subuertat, numine tuta tuo.

Accipite itaq;, ò uiri consultissimi, hoc quicquid est munusculi, idq; quasi pharmacum quoddam, quo morbis iam olim scintillantibus, atq; etiamnum forsan in cordibus quorundam ingrauescentibus medeamini (quorundã enim uulnera sub pectore adhuc uiuere timendũ est) quo & populus uester humanissimus pariter atq; salutis suæ studiosiss. quasi amuleto quodã atque antidoto, si quid posteà fortassis (quod Deus auertat) antiquus serpẽs, huius mali uobis afflare pergat, tutus atque in Christo præseruatus, fœliciter omne periculum & uitet & euadat. Valete et prosperante Deo Remp. uestram, ut hactenus, bene beateq; gubernate. Datũ Guormatiæ, Calẽdis Octobribus. Anno,

1547.

Martinus Duncanus Kempenſis Chriſtiano Lectori S. D.

EXtant & multorũ manibus (ni fallor) teruntur, optime Lector, libelli quinque, quos ego quidem uiderim, cuiuſdã Mennonis, quibus hos fecit titulos.

Fundamentum Chriſtianæ doctrinæ compendioſiſſimè ſcriptum.

De uera Chriſtiana fide, & eius uirtute.

Declaratio Chriſtiani baptiſmi in aqua.

Expoſitio ſuper Pſal. 25. in modum precationis ſcripta. Et, Cauſſa cur Menno Simonis non ceſſet docere & ſcribere.

In his uerboſiſſimè atq; uerſutiſſimè ſcribit de pædobaptiſmate, de cœna Domini ac de aliis multis non rite hactenus (ut ipſe blaſphemat) neque ab Eccleſia Romana, neque à Lutherana factione, neque ab alia quauis ſecta (omnes enim præter ſe ſuosq; appellat ſectas) creditis, doctis, atque uſurpatis. Quorum omniũ ſibi ſcilicet ſoli, ſuisq; aſſeclis uerũ & legitimũ ſecundũ analogiam ſcripturarum arrogat uſum, Ita ut ſe ſuosq; iactet uerè à ſpiritu ſancto uocatos, doctos, atque miſſos in uineam Domini, cæteros uerò omnes ab ipſis alienos nihil rerum Euangelicarum ſcire. Atq; hæc & id genus alia innumera, tam multis & ſubinde iterum atq; iterum repetitis uerbis, ijſq; noſtratibus (ſcripſit enim omnia teutonicè, ut rudibus imponat facilius) ita inculcat, ut cordatos lectores pene enes

eet, simplices uerò atque imprudentes, uerborum inscondita farragine, quasi multo impietatis puluere ob oculos eorum conspersо, excœcatos reddat, & impetu uerborum transuersos agat, & in suam nassam pertrahat. Id enim de industria studuisse uidetur, ut uerborum inepta multitudine, eandem cantilenam iterū atq; iterum usque ad nauseam occinendo, quasi fuste quodam à suis scriptis abigeret doctos, qui iusta ueritatis lance pensitare atq; ponderare norint quid piū, quidue impiū (cui enim nisi maleferiato libeat huiusce modi blasphemijs uel legendis uel audiēdis bonas horas malè collocare?) iuxta illud propheticum. Neque intelligent omnes impij, porrò docti intelligent, sed in corda simplicium non modò instar serpētis insinuaret sese atque irreperet, sed potius instar rufi illius Draconis, de quo Diuinus Iohannes Apocal. 12. qui tertiā partem stellarum cauda sua cælo detraxit, pleno impetu irrumperet, & pectora innocentum doli ignara & improuida ita obtunderet, ut non uiderint quid uerum quidue falsum. Id quod re ipsa nunc euenisse comperimus. Multorum enim, qui superioribus quidē temporibus fide sua atque uirtute luxerunt sicut luminaria in mundo, nunc uerò insipientium errore seducti exciderunt à propria firmitate, quasi stellæ cauda serpentina cœlitus detractæ, ut loquitur Apocalyptícus Euangelista, mentes ita reddiderunt quidā impictatis magistri obtusas, ut nihil quicquam pensi habeant, quid dicāt agántue. Imò ut quicquid uel animo cogitarint, quantumuis sceleratum atque impium, id etiam designare ausint. Hæc enim sementis non modò Baptismi nouatores, Eucharistiæ, aut (si mauis) cœnæ

Dan. 12.

Philip. 2

2. Pet. 3

Apoc. 12

domi

dominicæ prophanatores, & Christianæ Exomologe-
seos seu Confessionis, omniumq; sacramentorum & ri-
tuum Ecclesiasticorum derisores atq; conculcatores,
sed etiam sacrarum ædium direptores & compilato-
res, cœnobiorum euersores, urbium inuasores, &
quicquid nouarum abominationum hoc impœnici secu-
lo uidimus, audiuimúsue, tulit et feret omnibus annis,
nisi Deus opt. max. nos cœlitus misericorditer respi-
ciat, & ab huiusce modi pestibus nos liberatũ ueniat.
Non tamen (ni fallor) ad huiusmodi facinora ipse Mẽ
no apertis tubis classicum canit, neque se eorum au-
thorem atque mandatorem (ut uideri uult) præbet.
Videtur enim contrarium suadere, si uerba eius spec-
tes (nam mentem relinquimus Deo dijudicandam)
hunc in modum locutus quodam loco suorum librorũ.
Antichristus suam causſam super gladio. Christus uer-
ò non nisi uerbo suo defendit. Vnde si rex Monaste-
riensium mansisset in recta ueritate, nõ fuisset ei opus
armis sed patientia, non gladio sed uerbo Dei. Nisi se-
cus intelligas, & in contrariam rursus partem capias
quæ habet latiusculè in libro de uera Christiana fide
(est enim id genus hominũ, qui à castris Christi transfu-
gerunt, ita ancipiti atque dubia fide, ut idem nunc
etiam, nunc negent, utq; sibimetipsis contraria fingant
Cothurno uersatiliores.) In quo libro dum locutus es-
set de Iosia rege, qui combussit ossa pseudoprophetarum, tandem multis uerbis cohortatur & quasi exti-
mulat principes Christianos, ut si uelint se ad Deum
rectè conuertere, aboleant atq; excindant omnẽ abo-
minationẽ & idololatriam, uidelicet (ut blasphemat)
pædobaptismam, missas, et omnem abusum panis, imagi-

4. Reg. 23
2. Paral. 34

nes, aras, fornicationes & adulteria sacerdotum & monachorũ, & impediant falsas sectas (sic enim grunnit χοιρίσκος ἀκαρπράνιος ὁ ἐκεῖνος) monachorum & monacharum. Sed ut ut est, quia fieri non potest, ut mali corui non sit malum ouũ, quod dicitur, Mat.7 utq; quemadmodum ait Christus, mala arbor ferat bonum fructum, hinc fit ut occasione accepta ex Mẽnonianis, aliorumq; eiusdem farinæ scriptis, instabiles homines, & ad scelera suapte natura satis propensi, eò Iohan.16 temeritatis & insaniæ redacti sint, ut se obsequium præstare Deo putent, non modò si templa & monasteria deleant, quæ didicerunt ex ipsis suorũ omniumq; errorum magistris esse (quòd aures Christianorum horrent audire) impia, idololatrica atq; antichristiana, sed etiã si uel monachos uel sacerdotes Dei, quos sibi persuasum habẽt esse ministros non Dei sed Baal, persequantur, profligent, excindant atq; trucident. Hoc enim manifestissimum cuasit ex ijs retinctis, qui annis non admodũ multis abhinc Amstelredamum opprimere atq; delere, ac miscere sacra prophanis moliti erãt, quiq; paricidium teterrimum (ò mentẽ Cymerijs tenebris atriorem) summam pietatem nominabant, adeò ut in tanta impietate ita securo animo (si modò linguæ uultuiq; animus respondebat) quidam se dederint miseris modis pro merito excarnificandos et dilaniandos, ut non modò non pœnituerit eos sceleratissimi facinoris, sed ut sibi persuasum habuerint, se scilicet esse ueros martyres Christi, atq; pro ueritate tuenda, ac pro impietate eradicanda mortem subijsse. Hæc est enim doctrina hæreticorũ, & eorum qui sunt in Ecclesia Dei. Non q. hi sint uel omnes uel penitus

immas

immaculati, insontes, & sine ruga peccati. Illi uerò
immundi, noxij, scelerati atq; impij. Nam utrinq; sunt
quidem peccatores, iuxta id quod dicitur: Septies in Prou. 24
die cadit iustus & resurget, impij autem corruent in
malum. Et quod, rogante Petro: Domine, quoties pec- Mat. 18
cabit in me frater meus, & dimittam ei? usq; septies?
respōnsum est ei, Non dico tibi usq; septies, sed usque
septuagies septies, ab eodem, qui paulò antè dixerat:
Si peccauerit in te frater tuus, uade & corripe eum
inter te & ipsum solum: si te audierit, lucratus eris
fratrem tuum. Sed qui sunt in Ecclesia Dei tanquàm Eph. 5
ciues sanctorum & domestici Dei, si cum Dauide & 2. Reg. 11.
Petro peccent, agnoscunt subinde sua peccata, dolēt, & 24.
& pœnitētiam uel nunc agunt, uel saltem aliquando Luc. 22
se acturos sperant, quanquàm huiusmodi spes & com-
perendinatio plerunq; fallat. Tolerantur interim ta-
men & nonnulli, spe mentis & pœnitentiæ aliquando
futuræ melioris, neque statim ex albo Christianorum
expunguntur, iuxta præceptum Domini dicentis: Si- Mat. 13
nite utraq; crescere usq; ad messem, qui cum grauiōi-
mis sint criminibus obnoxij, non modò nondum agnos-
cunt & deflent sua scelera, sed potius gloriantur in
malicijs, exultant in rebus peßimis, & sua malefacta Psal. 51
quasi benefacta prædicāt. At uero omnes quotquot Prouer. 2
sunt usquā gentium hæretici, quatenus tales, eatenus
sua peccata non agnoscunt, neq; dolent, sed potius ea
ut pietatis opera æstimant, & æstimanda censent atq;
docēt, gaudentq; si ad similia alios scelus pertrahere
poßint. Quam in rem ita incumbunt totis utribus, ut
uix ullam sibi suisq; studijs tranquillam dent quietem,
quin semper animo uoluant, quomodo id efficiant, ut

ipsorum institutum prosperis inualescat successibus. Et si secus cadat, quam sperarint et tentarint, uix credas, nisi expertus uideris, quantis impotentiæ, impatientiæ & furoris agitentur stimulis. At ueris Christianis dolor quidem & tristitia, sed nulla impatientia, nulla uim faciendi cupido incessit, qua pietatem & fidem ipsi sua sponte citra authoritatem portandi gladium, promoueant atq; dilatent. Quoniam igitur, ut ad institutum festinet oratio, huiusmodi blasphemiarum et scelerum, de quibus non sine animi dolore mentionem fecimus, ingentia plaustra sunt in uinea Christi effusa, occasione scriptionis Menoniane, hunc nos libellum, lector optime, de pædobaptismate scribendum suscepimus, quo aliqua ex parte, pro ingenioli nostri tenuitate, opitulante Deo, sine quo nihil possumus, & per quem omnia, uineam Domini à singulari
Psal.79 fera depasci inceptam, in suam libertatem, ac splendorem restituere adiuuemus, solis ad hanc rem sacrarum scripturarum testimonijs, non autem Patrum authoritatibus usuri. Non quasi Patrum scripta pœnitenda, nullius q; authoritatis credamus, nostra q; hæc, monumentis illorum uerè doctis atq; diuinis præferenda
1.Cor.9 censeamus. Sed ut secundum Apostoli consilium, omnibus fianus omnia, ijs q; etiam satisfaciamus, si qua fieri potest, qui ita sunt animo uel infirmo, ut aliud nihil, quàm quod ex ipso sacrarum scripturarum penario depromptũ sit, deuorare atq; digerere possint, uel pertinaci atque morosо, ut aliud nil haurire uelint, quàm quod meram scripturam sapiat. Non enim ijs tantummodo hic noster desudat labor, qui integra etiamnum sunt atq; syncera fide, nam his minimè opus

fuerat,

fuerat, sed etiam ijs, qui à uera Christiana fide degeneraunt atque desciuerunt. Vtrosq; enim uelim admonitos, & per misericordiam Dei obsecratos, ut sanis suæ rectam ac sedulam rationem habeant. Hos quidem ut ad meliorem mentem redire laborent, est enim res non parui momenti, an tibi lucrifacias æternam uitam, an eius perpetuam & irrecuperabilem facias iacturam, ut Christus ipse docuit Matt. 16. Illos uerò ut sibi caueant hoc nostro quasi antidoto haus-
to, ne si imbibãt quid ueneni (plurimi enim sunt hisce temporibus qui animas hominũ uenenatis liuguis in- 2. Tim. 2
toxicant, quorũ sermo ut cancer serpit) id in ipsis uerę fidei salutisq; æternæ, diuinitus insitum calorem refrigeret, & lumen extinguat. Vt igitur minori negocio hinc tibi aliquem fructum decerpere queas, accipe nostri instituti & rationem & ordinem. Non autem eodem ordine sumus neq; auspicaturi, neq; progressuri, quo ipse Menno in suis libellis. Ipse enim præfixit suo libello præfationem bene prolixam & longam, in qua conatur sine ullo scripturæ testimonio, non nisi propriæ asseuerationis authoritate, lectoribus persuasum id reddere, ut credãt nos, qui sub Romana Ecclesia militamus, esse seductores hæreticos, & à corpore Christi alienos. Se uerò ipsos, hoc est, Mẽnonianos esse ueram Christi Ecclesiam, ut qui non longa temporum consuetudine, non consilijs, constitutionibus & doctrinis hominum, sed solo literali scripturarum oraculo nitantur. Deinde se instituto itineri accingens incipit ostendere quid Christus præceperit de baptismo, deinceps quid Apostoli docuerint & scripserint de eodem, ac postremò quomodo

Apostoli baptismum usurparint. In eum scopum omnia sua tela iaculatus, ut padobaptismα non esse præceptum à Christo, non doctum neq; usurpatum ab Apostolis, ac proinde non esse Christianum, sed impium, idololatricum & inutile doceat, miris modis in hunc eundem finem quasi obtorto collo rapiens, trahens, torquens atq; deprauans scripturam, omnis doli, præuaricationis, malitiæ atque uersutiæ patientem, atq; interim plusquam duodecim paginas meris & studiose confictis calumnijs atq; consarcinatis mendacijs refercies, quibus nostram omnium uitam quasi suis coloribus depingens, ad hoc unum omnes ingenij uires intẽdit, ut nobis, quicquid criminis excogitare potuit impingeret, hoc ipsum ratus, quæ est calliditas antis qui serpentis, fore non leue argumentum, ad sua dogmata roboranda, nostra uerò infirmanda, quasi necessariò uitæ impiæ respondeat impia doctrina. Nos uerò omnibus superuacaneis & quæ ab instituto hoc sint aliena prætermißis, neque præfationem Mennonis, neque calumnias eius et blasphemias, quas suopte pedore odoris naribus candidorum atque æquorum iudicũ putere satis atque fœtere putem, longa & quanta opus foret, responsione dignabimur (ea enim res sibi integrum desyderet librum, quæ forte aliàs commodius tractabitur, modò ut ita postulet publica & utilitas & necessitas) sed breuiuscula modo, & quantulã modestia Christiana dictet necessariã, idq; paßim in ipso opusculo, quandocunque ita res suadebit & aduersarij petulantia coget. Vt autem recto ordine progrediamur utq; dilucidior sit oratio, priori libello docebimus, quæ sit efficacia baptismi, quis minister baptis-

smi

smi, & quis uerus baptista, denique quis sit baptizandus in genere. Nō tamen adamussim omnia et plenissime tractaturi, quæ de baptismo dici queant, quæq; scitu sint utilia. Sed ea potissimum, quæ nūc uel in dubium uocata sint, uel ad controuersiam hanc sopiendā atque terminandum aliquo modo spectare uideantur. Deinde posteriore libello speciatim agemus de pædobaptismate, quod ex ipsis sacrarum literarum thesauris & fontibus ostēdemus ita necessariū, ut si moriantur sine baptismo paruuli, nō magis salui sint futuri, quam si quis se credat sine passione Christi fore saluum. Te itaque optime Lector per misericordiā Dei obsecro et obtestor, ut mihi, quid autem mihi? imò potius, ut uerbo Dei, quo solo sum usurus, aspirante Deo, pias uacuasq; præbeas aures, easq; non æmulatione aliqua, non odio, non iniquo fauore, non cæco amore tui, non tumore ac superbia, non denique contumacia obturatas, sed candore, humilitate, obedientia, uero ueritatis studio atq; amore apertas faciléssque adiunctis interim atque effusis insinum Dei ardentissimis precibus, ut is, qui lucem habitat inaccessibilem, quique illuminat omnem hominem uenientem in hunc mundum, sine quo in extremis uersamur tenebris, lumen ueritatis in te aut iterum exuscitet, si forsan extinctum sit, aut nutriat magisq; inflammet, si nondum sit extinctum. Lex enim Christi, cùm sit scripta non atramento, sed spiritu Dei uiui, non in tabulis lapideis sed in tabulis cordis carnalibus, iuxta illud prophetieum, Dabo leges meas in mentem eorum & in corde eorum superscribam eas, ex nullius quantumuis eloquentissimi uel uerbis uel scriptis ita in mentem

1. Tim. 6
Iohan. 1
2. Cor. 3
Hier. 31
Heb. 8

humanam indui atque imbui potest, ut ad salutem sufficiat, nisi intus simul ab eo illuminemur et doceamur, quem Christus misit in suos Apostolos veritatis spiritum, ut eos omnem veritatem doceret. Quem, sanè nisi intus doctorem habeas, etiamsi totam alioqui scripturam ad unguem memoriter teneas, nil aliud quàm occidentem literam tenes, eámq; tibi forsan multis erroribus occasionem futuram, perinde atque si quis ad ministeret furibundo gladium, quid aliud fecerit, quã quod ad furorẽ ei maiorem fenestram aperuerit? Neque istanem spiritus, quamuis benignissimus, omniũq; que uelit potentissimus, ob id putabitur solus sua inspiratione, citra humanum docendi adminiculum, nos absolutissimos Theologos facturus, quemadmodum non modò hæreticorum multi, sed etiam eorũ qui Romanam Ecclesiam agnoscere, & in ea esse uideri gaudent, quidã (cuius nomen honoris gratia subtaceo) sensisse uidetur, cùm ad quendam partim Latinè, partim Græcè (forsan ne ab omnibus intelligeretur, & hæreticè opinionis traduceretur) hunc in modum scriberet, Scribebas non ita pridem. Nomen tempus tibi inter bonas literas effluere, ἐμοὶ δὲ τοῖς τῶν θεῶν γράμμασι ξενόμ τινά σε ἔναι (sic enim loquitur) μεμφόμενος εὖ ἔχει ὅταμ τῷ θεῷ σχολάσεται, τότε σε μὴ τὸμ θεολογωτάτον θεολογώτερομ ποιεῖν. quasi si quis sit alienus à studio sacrarum literarum, & totam suã ætatem in bonis literis, quas uocãt, terat, atq; mutis ethnicæ eloquẽtiæ magistris semper utatur, is Deo uolẽte ac operãte sit facile uel summis & absolutiß. theologis, theologicarũ rerum doctior atq; peritior euasurus. Non sic impij, nõ sic. Sed oportet,

Act. 2
Io. 15. & 16
2. Cor. 3

tet, utamur sedulò ijs, quos tribuit nobis spiritus sanctus fidei magistros, Apostolos, Prophetas, Euangelistas, pastores atque doctores, ad consummationem sanctorum, in opus ministerij, in ædificationem corporis Christi datos, donec occurramus omnes in unitatem fidei & agnitionis filij Dei, in uirum perfectum, in mensuram ætatis plenitudinis Christi. Id quod tum demum credimus fore, ut nimirum omnes electi euaserimus in uiros perfectos, quando uidebimus eum facie ad faciem, & cognoscemus eum sicut & cogniti sumus. Alioqui si Saulus esse pergas, & ad Ananiam missus, ut tibi dicatur quid te oporteat facere, ire contemnas, nunquàm apertis oculis uerum cæli lumen uidebis. Imò quod amplius est, quamuis cum Paulo raptus fueris in tertium cælum, audieris{que} arcana uerba, quæ non liceat homini loqui, atque Euangelium tuum non ab homine (quod priuilegium unius Pauli fuit) neque acceperis neque didiceris, denique cum eodem Apostolo iam quatuordecim annos Euangelium Christi prædicaueris, si tamen tuæ innixus prudentiæ, tantùm tibi arroges Euangelicæ ueritatis scientiam, ut alios & pastores & doctores omneis præ te contemnas, quasi te multis partibus inferiores, neque ascendas aliquando ut Euangelium tuum cum doctoribus conferas, ausim dicere iam te à ueritate excidisse, & iuxta Euangelicam phrasim, te factum sal euanidum, quod ad nihil ualeat ultrà, nisi ut mittatur foras, & conculcetur ab hominibus. Vsque adeò enim, qui ex Deo est, uerba Dei audit, ut si unquàm sui existimatione tumidus audire & discere contemnat, non sit ex Deo. Nam qui uos audit, ait Christus,

Eph.4

1.Cor.13

Act.9

2.Cor.12

Gal.1

Gal.2

Mat.1

Iohan.8

Luc.10 *Christus, me audit, & qui uos spernit me spernit, qui autem me spernit, spernit eum qui misit me. Vtrumq; itaque necessarium & intus doceri à spiritu Christi, totius ueritatis uero magistro, & foris ab hominibus erudiri, atque ubi iam fidem uerè ex auditu uerbi dicceris, id non hominibus sed spiritui sancto acceptum*
1.Cor.3 *referre, sine cuius dato incremento quod plantatum & rigatum erat, non creuisset neque fructum tulisset. Hæc itaque nostra ubi legeris optime lector, memineris, ut, si quid occurrat, quod palato tuo non plenè satisfaciat, ne continuò quasi ab unguibus leonem æstimans, totum abijcias quasi insipidum ac frigidum friuolumq;, neque prius de toto sententiam tuleris, quàm ad calcem perueneris, & omnia ad perpendiculum fidei adæquaris. Nihil enim, adminiculante Deo, dicturi sumus, quod non sacris literis & Ecclesiæ Dei consentaneum putemus. Si quid tamen per imprudentiam aut ignorantiam excideriit tale (quandoque bonus dormitat Homerus) id nunc iam indictum atque reuocatum uolumus. Quæ obrem si non passim omnium, quæ dicturi sumus, plenam probationem additam inueneris, eam alij commodiori loco reseruatam scias. Neque enim ubiuis omnia sunt dicenda. Postremò si eadem subinde iterum atque iterum repetita repereris, id condonabis. Ad huiusce modi enim ταυτολογήματα me uerbositas aduersarij impulit, cui eadem alibi atque alibi non sine magna lectoris nausea repetenti atque inculcanti, nisi in singulis locis, uel aliquid responderem, forsan uiderer quibusdã, qui non nisi ex uno aut altero loco utrinq; perlecto statim de toto opere pronunciant, quasi*

causse

cauſſe diffiſus, conſulta præuaricatione, multa diſſimulaſſe, neque habuiſſe quicquam, quod reſponſione dignum fuiſſet. Vt interim taceam, quàm ſit aliquando & utile & neceſſarium bona piaque ſæpenumero repetere & quaſi inculcare, iuxta illud quod dici ſolet δὶς καὶ τρὶς τὸ καλόν, κόρῳ γὰρ ὄυδεὶς τῶν καλῶν. Quod & ipſe Paulus noſter non paulò maiori cum authoritate hunc in modum habet. Philip. 3

Eadem uobis ſcribere, mihi quidem non pigrum, uobis autem neceſſarium.

Vale, et, ſi uidetur, his meis cum utere.

Quid sit Baptismus. Cap. I.

BAptismum in Circuncisionis Iudaicæ locum successisse, cumq; esse Christianis præceptum, nõ est necessarium multis uerbis præfari, atq; docere, præsertim cos, qui et Christum redemptorem agnoscunt, & eius uiuifi cum euangelium recipiunt: in quo id luce clarius expressum patet. Iudæis autem & alijs nationibus ab euãgelica fide penitus alienis, hic non ita loquimur. Sed quid sit Baptismus, & quam habeat uim, id uideo á plerisq;, qui tamẽ inter Christianos se uel primos uel magni esse nominis existimant, turpiter & infœliciter ignorari, atq; quod peius est, cum grauissima multarum animarũ iactura & damno, ignoranter & impiè doceri. Id itaq; primo docendũ duximus sed pingui Minerua, quod dicitur. Act.15. Marc.16 Iohan.3

Baptismus ipso quidem nomine sonat seu lotionẽ, seu tinctionem, seu ablutionem, seu lauachrũ quodam. Non tamen Baptismus Christi, de quo dicitur: Qui crediderit & baptizatus fuerit, saluus erit, putandus est aliud nihil esse quàm lotio corporis, quẽadmodum Mẽno blasphemat dicens, Baptismum esse nil aliud, quàm manum plenã aqua, aut lotionem manu liquore plena factam. Neque etiam quæuis lotio putanda est esse Christi Baptismus. Ea enim lotio, qua Christus ipse suorum discipulorum pedes lauit, non erat Baptismus, de quo loquimur, & per quẽ in Christianorũ album conscribimur. Neq; ea, qua præ cursor Baptismꝰ est lotio vel immersio. Marc.16 Non quæuis lotio baptismus christi. Iohan.13 Mat.3

cursor Christi, ante institutionem ueri Baptismi Baptizauit ad se uenientem populum aqua quidem, sed non in spiritu sancto. Vt enim Christi baptismus nunquã dicitur Petri aut Pauli aut Apollonita etiam baptismus Ioannis, semper Ioannis, nunquã uerò Christi dicitur: ut alibi latius patebit. Neq; itẽ ea lotio, qua
Ioan. 9 is qui cæcus natus fuerat, iussu Christi lauit oculos suos luto collitos, uisumq; recepit, baptismus Christi erat dicẽda. Imò neq; baptismus Christi fuerit, si quis seipsum lauet, animo uerè baptizandi, & sub forma uerborum à Christo præscripta, etiã si baptizatoris pœnuria laboret, sibiq; necessario uideatur baptizator sui futurus. Neq; item si quis alium quẽuis lauet uel ludendi atq; iocandi gratia, non autem animo baptizandi, uel animo quidem baptizandi, sed non conceptis & à Christo præscriptis atq; ab ecclesia usurpatis uerbis. Aut si quis tentet eum denuo baptizare qui semel uerè baptizatus sit. Et si quid aliud præterea sit, quod Christi instituto aduersetur. Quod autem in infantibus, fidei ignoratio institutioni Christi nõ aduersetur, id postea suo loco abũdè declarabimus. Nunc duntaxat in genere uideamus quid sit baptismus, idq; ex uarijs scripturæ locis, non tantũ uno, sed multis definiendi modis declaremus.

Baptismi definitio. Est itaq; baptismus ablutio corporis exterior, facta sub forma uerborum præscripta. Hac enim decantatissima receptissimaq; finitione libentius utimur, quãdo nobis res est, nõ cum uitilitigatoribus, sed cum æquis & candidis rerum æstimatoribus, qui sciunt ec-
1. Tim. 3 clesiam Dei esse columnam & firmamentum ueritatis, ita ut errare nequeat, utq; eius dogmata sint gra-

uiora

uiora maioris q; authoritatis, quàm apud Ethnicos, quæ ex tripode Apollinis erant profecta: à qua nimirum ecclesia noluit uel latum unguem discedere. Hi enim non literas & syllabas uenantur, ut inueniant quod calumnientur, sed benigno animo expectant, donec singula quæq; explicentur, & ad amussim ecclesiæ ac scripturæ (quæ duo inter sese conuenientissima sunt) adaptentur. Intelligimus enim baptismum esse non quamuis ablutionem, non quouis factam modo, aut quouis liquore, sed esse ablutionem factam aqua, eaque non ex herbarum aut florum quantumuis suaueolentium succo stillatim expressa, aut quauis arte factitia, sed elementari ac naturali, siue ea sit stagnalis siue fluuialis, fontana seu pluuia. Intelligimus etiam baptismum debere fieri cupido utrinq; animo (loquendo de adultis, ijsq; non fatuis) atq; prompta uoluntate & dandi & accipiẽdi idipsum quod Christus præcepit fieri dicens: Docete omnes gentes baptizantes eos in nomine patris & filij & spiritus sancti. Si enim administrator baptismi uel inuidia uel quauis alia malignitate animi corruptus, manum quidem admoliatur, sed animum auersum habeat, neque baptizare uolentem, aut si adulterina uerborum forma utatur, nihil fecerit, etiam si corpus lauet. Præterea quamuis miserieordissimus pater solem suum oriri facit super bonos & malos, & pluit super iustos & iniustos, beneficia uidelicet plurima conferens etiam in impios, ingratos, atque inuitos, nunquam tamen inuitis atque reluctantibus suæ redemptionis ac beatitudinis fructum communicat, nisi prius eos fecerit mutato impictatis animo, propriæ

In aqua sola baptizãdum.

Non ficto animo baptisandum. Mat. 28

Innitis & reluctantibus salutis beneficia non impartit Deus

salutis auidos. Id quod patuit in Saulo: qui cùm iam prostratus esset, & sensisset uim se maiorem, timore perculsus dixit: Quis es Domine? Atq; iterum: Domine quid me uis facere? Act. 9. Qui enim nõ crediderit, cõdemnabitur. Sed omnia possibilia sunt credẽti.

Act. 9
Marc. 16
Mat. 19

Præterea neq; cuiuslibet corporis ablutio est baptismus Christi. Non enim corporis mortuorũ hominum, neq; corporis semel baptizati, sed corporis humani uiui, necdum lotti baptismo. Qui enim lotus est (inquit Christus) nõ indiget, nisi ut pedes lauet. Quẽadmodum enim Christus semel mortuus est, non amplius moriturus, in cuius morte nos baptizamur, sic qui Christo semel commortuus est in baptismo, nõ potest amplius (si forsan reuiuiscat in peccatis) mori et renouari per baptismum, sed per pœnitentiam. Vnde fit ut palimbaptistæ, qui pædobatismata suum fecerũt irritum, quiq; se iterum adultos curarunt baptizandos & renouandos per baptismũ ad pœnitentiã, rursus crucifixerint sibimet ipsis filium Dei, & ostentui habuerint, si modò eorum puerile batisma fuerit uerum & legitimum baptisma Christi, quemadmodum posteriori libro fuisse conuincemus Deo adiuuante.

Corpus humanum viuum baptizandũ, si nõ sit antea semel baptizatum.
Ioan. 13
Rom. 6
Retinctores Christũ rursus crucifigunt.
Heb. 6

Deniq; ne quis sciolus & suæ inuixus prudentiæ, ex eo quòd scriptũ est: Spiritus est Deus, & eos qui adorant eum, in spiritum & ueritate oportet adorare. Rursus, Litera occidit, spiritus autẽ uiuificat. Et alibi: Quomodo conuertimini iterum ad infirma & egena elementa, quibus denuò seruire uultis? aut ex aliis id genus scripturis perperam intellectis, putet baptismum Christi non debere intelligi secundum literam, sed secundũ spiritum, quasi sit non corporalis lotio,

Baptismus non est ita spiritualis, quin & verè sit exterior & corporalis lotio.
Ioan. 4
2. Cor. 3

lotio,

lotio, sed spiritualis & interna, quæ fide, spe & charitate solum per spiritum sanctum intus fiat, sine signis externis, dicimus atq; docemus conuenienter euangelio. baptismum esse reuera lotionem exteriorẽ, nõ quasi aliud nihil sit quàm lotio externa, cùm etiã secundum Analogiam signi externi intus reuera uel lauemur a peccatis, nisi in nobis aliquod sit impedimentum, uel saltem signemur charactere atq; signaculo Christianitatis, si modò uerus detur baptismus. Ipse enim Christus uerè, quemadmodũ litera sonat, externa lotione baptisatus est ab Ioanne in Iordanis flumine, ac deinde ascendit de aqua. Porrò de præscripta uerborum forma, alibi loquemur. Amplius qd dã est baptismꝰ, q̃ solaexterior lotio Mat. 3

Cæterùm quoniã cum maleuolis quibusdã ac contradictoribus mihi quoq; res est, qui non nisi meram scripturam crepant, à qua nihilominus sunt quàm alienissimi, propius accedamus oportet ad ipsam scripturam, unde baptismi irrefutabilem descriptionem quandam petamus, & cum Apostolo dicamus Baptismum esse lauachrum aquæ in uerbo uitæ, in quo cõmorimur, consepelimur atq; conresurgimus Christo, ut destructo corpore peccati, nunquam seruiamus peccato, sed semper in nouitate uitæ ambulemus. Partim ex cap. 5. ad Ephes. ubi dicitur, Quod Christus dilexit Ecclesiã & seipsum tradidit pro ea, ut illam sanctificaret, mundans eam lauachro aquæ in uerbo uitæ. Ecce hîc audis ordinem nostræ salutis, quæ ex dilectione Christi tanquam ex primo fonte originem habet. Sic enim Deus dilexit mundum ut filium suũ unigenitum daret. Et apud prophetam. In charitate perpetua dilexi te, & ideo attraxi te miserans. Dis- Descriptio Baptismi ex ipsa scriptura desumpta Io. 3 Hier. 31

Ioan.10

lectio porrò Christi extimulauit ipsum ut seipsum traderet, & animam suam pro nobis poneret, in hunc finem ut nos sanctificaret. Non enim iam tum eramus statim omnes sanctificati, sed tum demum per efficax illud meritū semel in cruce pro nobis impēsum sanctificamur, quando ab ipso Christo mundamur lauacro aquæ in uerbo uitæ: ut pòst latius declarabitur. Paretim ex. 6. cap. ad Roma. ubi dicitur: Quicunq; baptizati sumus in Christo Iesu, in morte ipsius baptizati sumus. Consepulti enim sumus cum illo per baptismū in mortē, ut quomodo Christus surrexit a mortuis per gloriā patris, ita et nos in nouitate uitæ ambulemus. de quo loco alibi longè lateq; disseremus, quando ad uersariū strictis gladijs aggrediemur. Hic tantū aciē nostram instruimus. Habes itaq; materiam baptismi aquā, sed eam solam esse nullius momēti, nisi accedat uerbū uitæ. Verbo enim Domini cœli firmati sunt, & spiritu oris eius omnis uirtus eorū. Habes itē effectū baptismi, mortem peccatorū, & resurrectionē ad nouitatem uitæ. Postremò habes finē, propter quem baptismus sit petendus & accipiendus: ut semper in nouitate uitæ ambulemus, hoc est, ut semper fides nostra per charitatem operetur. Tantisper enim in nouitate uitæ ambulamus, dum obseruamus mandatū Christi nouum, diligēdo nos inuicē, sicut Christus prior dilexit nos. Si uerò hoc, cuius gratia sumus baptizati, nō fecerimus, ita ut post baptismū redeamus ad uetustatē peccati, in qua iterū uiuamus, reddimus effectum baptismi nobis inutilem & ad salutē non profuturum. Quemadmodū enim circuncisio proderat quidem Iudæis, si legem obseruabant, sin prævaricatores legis facti

Materia baptismi.

Forma baptismi.

Effectus baptismi.

Finis baptismi.

Gal.5

Ioan.13

Rom.2

facti erant, circuncisio ipsis præputiũ fiebat, hoc est, quãuis in carne ipsorum circuncisionis signum manebat perpetuũ, quo et discreti erant à non circuncisis, id tamen eis nihilo plus ad salutẽ proficiebat, q̃ si non fuissent circuncisi. Ita etiam qui post baptismũ, ingrati atq; immemores beneficiorũ Dei, filium Dei cõculcant, & sanguinem testamenti poliutũ ducunt, in quo sanctificati sunt, & spiritui gratiæ contumeliam faciunt, effectũ baptismi non oẽm quidẽ penitus extinguunt (manebunt enim qui baptizati sunt, quantũuis postea facti impij, in perpetuũ discreti ab ijs q nõ sũt baptizati) sed eum oẽm sibi ad salutẽ æternã non modo inutilẽ, sed magis obfuturũ q̃ profuturũ reddunt. Atq; incidunt, quod horrendũ est, in manus Dei uiuentis: ligatisq; manibus ac pedibus mittentur in tenebras exteriores, multò etiã profundius & intoleribilius, q̃ si neq; baptizati essent, neq; uiã Dei cognouissent, nisi, dum hac mortali uita funguntur, resipiscãt, & redeant non quidem ad reiterandum baptismum, sed ad pœnitentiam agendam, & ad dignos pœnitentiæ fructus faciendos, atq; ad nouitatem uitæ semper colendam, cuius gratia baptizati erant.

Viuentibus impiè non prodest, sed obest magis baptismus, nisi resipiscant.

Mat.22

Mat.10.&14

Matt.4
Luc.3
Rom.6

Sed singula, quæ spectent & desiderentur ad exactam & plenã superiorum uerborum de baptismo declarationẽ, quæq; aduersarijs fidei satisfaciãt, postea latius in suis locis manifestabuntur. Hic satis sit didisse in genere ex Apostolo baptismũ esse sensibilem lotionem corporis humani ex aqua in nomine trinitatis factã, quæ significet simul & animã inuisibiliter charactere quodã Dei insigniri, ac per spiritũ sanctũ lauari à peccatis in sanguine Christi, modò is qui tin

gitur non ponat obstaculũ spũi sancto intus operãti.

Alia descriptio baptismi.

Quid uerò si idipsum rursus aliter ex eodem loco Apostoli dixerimus, in hunc modum? quod baptismus sit lauachrum aquæ in uerbo uitæ, quo ab ipso Christo sanctificamur & mundamur per spiritũ sanctũ in sanguine ipsius. Si enim (ut Apostolus inquit) suam ecclesiam Christus ipse non modò ita dilexit ut se pro ea traderet, sed etiam reuera eam mundat lauachro aquæ, nómne meritò dixerimus, nos lauachro aquæ ab ipsomet Christo sanctificari & mũdari? Ipse enim est, dum nos aqua baptizamur, qui baptizat in spiritu sancto & igni: quippe qui dilexit nos & lauit nos á peccatis nostris in sanguine suo, hoc est, nõ nostris meritis, sed merito preciosissimi sanguinis sui cuius participes euadimus per spiritum sanctum cordibus nostris infusum, siquidem in uno spiritu omnes nos in unum corpus baptizati sumus, siue Iudæi, siue Gentiles, siue serui, siue liberi, & omnes in uno spiritu potati sumus. Spiritus enim sanctus est, qui per meritum Christi efficit baptismũ uiuificũ, qui & Christianos nos filiósque Dei generat, sine quo nemo est Christi.

Eph.5

Mat.3

Apoc.1

1.Cor.12

Ro.8

Alia rursus baptismi descriptio.

Rursum quæramus aliundè, quibus præterea baptismũ coloribus depingamus, ut nostris aduersarijs abunde satisfaciamus, qui miris se modis gaudere, & scripturis auditis delectari iactant, quanquam magis litera quàm spiritu exultent. Ex Apostolo itaq; ad Tit.3 sic pulchrè dixerimus, quòd Baptismus sit lauachrum regenerationis & renouationis spiritus sancti in nos abundè effusi per Iesum Christum saluatorem nostrum, per quod non ex operibus iusticiæ, quæ

Tit.3

feeimus

fecimus nos, sed secundum misericordiã suam saluos nos facit Deus. In his Apostolicis uerbis ecce audimus, baptismum Christi esse non modò, quod foris & in propatulo esse uidetur, sed esse maius quiddam atq; diuinius, quam uidere & contemplari possunt oculi carnei. Quomodo enim per solã externã lotionem nõ nisi à ministro peccatis multis obnoxio factã, uetustissimilem fieri possit, Deum secundum misericordiã suã nos regenerare, renouare & saluos facere, ni si aliquid amplius latere intus credas? Nicodemus putabat fieri non posse, ut quisquam, cùm factus esset senex, iterum sese insinuaret in uterum matris suæ, ac renascerctur. At multò minus fieri potest, ut sola aqua corporali, solaq; externa lotione (ut quidam baptismum interpretantur) renascamur, & reddamur filij Dei, intellectum itaq; nostrum captiuantes in obedientiam fidei, & promissionem atq; institutionem Christi non carneis, sed mentis ac spiritualibus oculis contemplantes, nihil hæsitamus neq; quicquam dubitamus, quin reuera lauachro Christi, non modò corpore tenus, sed & animo lauemur, si modò animũ lotione dignũ exhibeamus. Scio hæc nostro aduersario Mẽnoni ridicula atq; stulta uideri, quod dicimus nos per baptismum lauari etiam intus à peccatis nostris, quod fieri ait ipse non nisi per sanguinem Christi in cruce effusum pro redemptione generis humani, ac proinde (ut blasphemat) nõ per baptismum, cùm non sint duo media pro delendis peccatis nostris. Sed nos bis nequaquam est ridiculum neq; absurdum uerbum Apostoli dicentis, quod non ex operibus iustitiæ, quæ fecimus nos, sed secundum suam misericordiã saluos

Aliquidin baptismo latet, quod oculis carneis uideri non potest.

Io.3

2.Cor.10.

Vt foris, ita & intus lauamur baptismo

Mẽno negat baptismum intus efficere quicquã.

Tit.3

nos fecerit Deus per lauacrũ regenerationis & re-
nouationis spiritus sancti. Quod quidẽ lauacrum esse
baptisma Christi, nemo qui uel micã fidei Christianæ
habeat, dubitare potest, imò neq; ipse Nemo negat.
quãuis contra Apostolum neget per illud lauacrum
1. Cor. 1 nos saluos fieri. Rectè dixit ã Apostolus alibi, uerbum
crucis pereuntibus quidem stultitiam esse, ijs autem
qui salui fient, Dei uirtutem.

In alium locum referũ tur latius tractanda, quæ hic leuiter tranſigũtur

Rursus te admonitũ uolo lector optime, ne sis fes-
tinabũdus, nec uicẽ nostrã doleas, hactãmuc abijcias,
quod me ueluti instar, leui adhuc brachio pugnare
uides. Nã quod hic quasi uelitatim trãsire uidear,
id postea ũbi incaluerit ardor, et ubi ad cõmodiorem
arenã uentum fuerit, maiore uehementia cõpensabi-
tur, præsertim quãdo aduersario pedem propius cõs-
ferente, locus erit eum ualidioribus armis impetere,
& densioribus ictibus profligare, quancuãm uel hæc
sola, quibus hactenus usi sumus, nihil addubitem esse
satis ualida atq; efficacia, et ad eiues sanctorum atq;
domesticos Dei defensandos, & ad hostem profliganc
dum, si modò paulò explicatius & fusius ad oculos
posita fuerint. Sed redeamus iterum ad ipsam rem,
atq; ex alijs præterea scripturarum thesauris de pro-
mere pergamus, quæ sint Christi baptismum magis il
lustratura. Cur enim nos pudeat idem sæpius repe-
tere, & repetitũ audire, quod spiritus sanctus multò
frequentius repetere atq; inculcare non est dedigna
Alia item de scriptio baptismi tus? Dicamus itaq; cum Apostolis & Euangelistis ba
ptismum esse mysterium Dei, in quo renascimur ex
aqua & spiritu sancto. Aut, si mauis, in quo plãtamur
atq; riganur à ministro Christi, sed incrementum ac-
cipimus

cipimus ab ipso Deo. Mysterium autem, hoc est, arcanum, & sub quo arcani quiddã latet, discimus baptismum uocari. 1. Cor. 4. ubi inquit Apostolus. Sic nos existimet homo, ut ministros Christi, & dispẽsatores mysteriorũ Dei. inter quæ quidem mysteria & ipsum baptismum esse numerandum ex capitibus superioris huius eiusdem epistolæ satis liquet. Quod autem in hoc mysterio, atq; adeo per hoc mysticum lauacrum, renascimur ex aqua & spiritu sancto, ut dixerat Dominus Nicodemo, ecclesia Dei nõ modò ex scriptura sacra literaliter, sed etiam à spiritu sancto edocta atq; illuminata, nihil dubitat. Sed Mẽno ecclesiæ desertor maximam de eare tragœdiã mouet, contra quem suo loco non leuiter oportet depugnemus. Ipse enim sibi suisq; persuadet ex auditu fidei nos filios Dei nasci. baptismum uerò esse non nisi argumentum quoddam obedientiæ, quam præstamus fidei, atq; eadem impietate putat nihil aliud baptismũ esse quàm externam lotionem, quæ corpus tantũmodò, non autem animam aliquo modo attingat, ac proinde paruulis esse baptismũ non modò non necessarium, sed etiã inutilem, cum neq; fidẽ habeant, neq; fidei obedientiã præstare possint. Sed hæc oĩa aliàs retundemus ac dissipabimus

Baptismus mysterium.

Ioan.)

Negat Mẽno nos in baptismo regenerari, quod vult heri in auditu fidei.

Quid, quod & rectè dixerit cum Apostolo: Baptismum esse sacramentum Christi, in quo abluti corpus aqua munda, signamur spiritu promissionis sancto, & in filios Dei adoptamur? Sacramẽtum latina uoce appellamus idipsum, quod Apostolus græco uocabulo mysteriũ, quanq; hæc duo, derivationis nõnullo differimine distent, sitq; latinũ à latinis præsertim apud ecclesiasticos authores, nõ semper eodem acceptũ modo, quo

Alia adhuc baptismi descriptio.

Sacramentũ

græcum

græcũ à græcis. At, qui inter Christianos sacras literas tractarunt, latinis auribus sæpißimè reddiderunt sacramentum, quod græcis erat mysterium, ut alibi de aqua mũda, qua in hoc sacramento abluimur, meminit Apost. ad Heb. 10. cũ inqt: Abluti corpus aqua mũda, teneamus spei nostræ confessionẽ indeclinabilẽ. Quod est perinde atq; si dixisset. Consepulti cũ Christo per baptißmum in mersẽ, ita semper in nouitate uitæ ambulemus, quemadmodum Christus surrexit à mortuis per gloriam patris, non amplius moriturus.

Aqua mũda

Ro. 6

Quod autem in baptismo signamur spiritu promißionis sancto, docet Apostolus ad Eph. 4. dicens: Nolite contristare spiritum sanctum Dei, in quo signati estis in die redemptionis, hoc est, in die baptismi, per quem secundum suam misericordiam saluos fecit nos deus. Quod enim in cruce meruit nobis Christus, id in baptismo cõmunicauit. Salus enim credentibus & baptisatis promittitur. Cæterum quandoquidẽ Apost. ad Heb. 10. allusit ad uaticinũ Ezechielis prophetæ de baptismo, sumamus & inde ad maiorẽ baptißmi declarationẽ aliquid, quod sit quodãmodo & descriptionis loco, & dicamus Baptißmũ esse lauachrum uiuificum, quo effundit super nos Deus ipse aquam mundam, & mundat nos ab omnibus inquinamẽtis uestris. Ezechielis enim oraculum sic habet: Tollã uos de gẽtibus, & congregabo uos de uniuersis terris, et adducam uos in terram uestram, & effundam super uos aquam mundam, & mundabimini ab omnibus inquinamentis uestris, & ab uniuersis idolis uestris mundabo uos, & dabo uobis cor nouum, & spiritum nouum ponam in medio uestri.

Signamur spiritusãcto in baptismo

Marc. 17

Ezech. 36.

Alia denuo baptißmi descriptio.

Quod

Quod uero diximus baptismum esse lauachrum uiuificũ, id sumpsimus ex uarijs scripturæ locis aliqua ex parte supra recitatis, atq; etiam ex. 47. eiusdem prophetæ dicentis: Et sanabuntur, & uiuent omnia, ad quæ uenerit torrens, & stabunt super illa piscatores: nimirũ illi, quibus dixerat Christus: Venite post me, faciam uos fieri piscatores hominum. Baptismus est lauachrũ viuificum. Mat. 4.

Ex his itaq; omnibus pòst declarandis latè, nunc in genere habes optime lector, baptismum nõ esse aquã, neq; tantum esse sensibilẽ lotionem corporis in aqua, sed esse efficax signum, quo ita inuisibiliter per spiritum sanctum intus anima in merito Christi purgatur ab omnibus peccatorum sordibus, quemadmodum uisibiliter à ministro Christi foris tingitur & lauatur corpus aqua elementari, inuocato nomine sanctissimæ trinitatis. Ea est enim uis baptismi ut uirtute Christi instituentis & assistentis, non modò foris sed multò magis intus lauet. Quam quidẽ internam lotionem si ex baptismo minus assequamur, ut cõtingere potest, culpanda est non infirmitas baptismi à Christo instituti, sed eius qui baptizatur malicia. Quemadmodũ enim Christus est lux uera quæ illuminat omnem hominem uenientem in hunc mundum, non quasi ad unum omnes illuminentur. Sunt enim qui sibi suas cordis fenestras præcludũt, quò minus hac luce illuminari queãt, idq; non Christi sed sua ipsorum culpa. Ita etiam sanguis Christi satis superq; efficax est, ratione meriti eius immensi, ut per baptismum omnes lauet à peccatis. Epilogus. Baptismus non semper lauat intus, quamuis in eũ finẽ sit à Christo institutus. Ioan. 1.

Quod uerò Simon Magus baptizatus quidem, non tamẽ sit lotus à peccatis, ipse sibi illius mali atq; damni fontem repperit. Atque hæc nunc sufficiant, quæ nuis Act. 8.

alioqui

alioqui multo plura ex sacris literis, quæ harum rerum sunt plenissimæ, in eandem rem adferri queant. Sed intelligentibus pauca sufficiunt, insipientibus autem ne ulla quidem.

Quæ sit materia Baptismi. Cap. II.

Seleuciani dixerũt non in aqua sed igni baptizandum.

PRiscis temporibus fuerunt quidam Seleuciani & Hermiani, ut diuus Augustinus & Philaster scripserunt, qui obstrepebãt ecclesiæ Dei, & dicebant non in aqua, sed igni baptismũ faciendum, suæ opinionis occasionem sumentes ex illo Matt. 3. quod prædicauerat Ioannes baptista de Christo, dicẽs: Ipse uos baptizabit in spiritu sancto & igni. Sed non intelligentes per ignem intelligi non elemẽtum ignis, sed uel spiritum sanctũ, iuxta illud Deus noster ignis consumens est, uel charitatis ardorem, iuxta id quod Luc. 12. dicitur: Ignem ueni mittere in terram, & quid uolo nisi ut accendatur, quem quidẽ ignem Christus ipse uerus, internus & inuisibilis baptista, non manu baptizante, sed spiritu sanctificãte esset in cordibus nostris excitaturus atq; inflãmaturus. Quanquam & diuus Hieronymus illum locum sic intelligit, ut dicat nos hic baptizari in spiritu & aqua, post hanc uerò uitam baptizãdos igne, iuxta illud Apostoli. Vniuscuiusq; opus, quale sit ignis probabit. Fuerunt q; postea & alij, quos uocabant Flagellantes se, qui & ipsi non in aqua, sed in proprio uniuscuiusq; sanguine quẽq; baptizandũ contem-

Ignis

1. Cor. 3

Hæretici, quos uocant Flagellantes se, dixerunt

contendebāt. Quod ex quadam scripturæ allegoria, quam ipsi sibi propria authoritate in eam sentētiam confinxerant, trahebāt. Dicebant enim q̄ quemadmodum Dominus in fine nuptiarū optimum dedißet uinum id q̄ rubrum & ex aqua factum. Ita etiam in fine Christiani conuiuij aqua baptißmi eßet mutanda sanguine, ita ut post ipsorum tempora, nemo poßit saluari aut uerus esse Christianus, nisi in proprio sanguine, eoq̄ flagellis excußo atq̄ expreßo, baptizaretur: quæ erat ipsorum dementia atque insania. in proprio cuiusq̄ sanguine baptizandum. Ioan.2

Nunc temporis uero neminem esse puto, cui sit dubium, quin in aqua, & non in uino, aut lacte, aut alio quouis liquore uere simus baptizādi. Christus enim ipse descendit in Iordanem baptizādus ab Ioanne, & tactu sui purißimi atq̄ sanctißimi corporis aquā baptizādis hominibus ideam reddidit. Quod aūt fecit, hoc & faciendum docuit, dicens: Amen amen dico uobis, nisi quis renatus fuerit ex aqua & spiritu sancto, nō potest introire in regnum Dei. Hoc ipsum & Apostoli eius obseruarunt quēadmodum dicebat Petrus de Cornelianis, peculiari quodam modo, iam fide & spiritu sancto ante baptißmum purificatis. Nunquid aquam quis prohibere potest, ut non baptizentur hi, qui spiritum sanctum acceperunt sicut & nos? Misericordißimus enim Deus, qui omnes homines uult saluos fieri, & ad agnitionem ueritatis uenire, noluit salutis uiam alicui hominum esse præclusam, sed omnibus esse apertā atq̄ facilem, ac proinde quēadmodum ipsemet Christus & uia & ostium, per quod in ouile eius ingrediamur, benignus est, & facilis omnibus, ita etiam fecit suarum institutionū quasi In aqua baptizandum Mat.3 Ioan.3 Act.10 Act.15 1.Tim.2 quare in aqua, & nō in alio nobiliore liquore baptizandū

primam

primam ianuam obuiam, expeditam et omnibus expositam, præscribes nobis non liquorem aliquē uel præcioſum uel inuentu rarum, ſed nudam aquam, ſimul q; ea ſit omnibus tam pauperibus quàm diuitibus ex æquo ubique gentium prompta, atque parata, ſimul ne quis ſuam ſalutem creaturarum nobilitati tribuat, ſed ut ſublimitas ſit uirtutis Dei, & non ex nobis. Omnis enim noſtra ſalus ex uno Chriſto fluxit, neque ſine eo ulla eſt ſalus.

2.Cor.4.
Ioan.14

Atque hoc eſt, quod ex perfoſſo latere Chriſti iam hac uita defuncti, effluxerit non modò ſanguis, ſed aqua pariter atq; ſanguis. Quod neq; aquaquā caſu acciditſſe putandū eſt. Quin potius quēadmodum ne unū quidem iota, aut unus apex obiter, temere fruſtra ue eſt in ſacris literis expreſſus. Imò neq; quicquam omnino ab eo uel factum uel dictum, aut reprehenſum, aut tacito & patienter toleratum atq; diſſimulatum eſt fruſtra. Ita etiam neq; ſanguis & aqua ſine cauſa ex latere eius profluxerunt: ſed quemadmodū Iſrael ſitibundus quondam, aqua ex petra ſcaturiente ſitim ſuam reſtinxit. Ita & nunc ſanctiſſimum latus Chriſti factum eſt fons patens domui Dauid & habitantibus Hieruſalem in ablutionē peccatoris & menſtruatæ. Ex quo quidem fonte qui uerè biberit, & ita perſeuerauerit, non ſitiet in æternum, ſed aqua, quam Chriſtus ei dederit, fiet in eo fons aquæ ſalientis in uitam æternam. Aqua enim quam Chriſtus dat, non modò eſt ea, quæ foris conſpicitur, ſed potius ea quæ non niſi mente fideli uidetur, & puro corde bibitur: quam interpretatus eſt diuiniſſimus Ioānes eſſe ſpūm ſanctū. Ea tamē aqua, quæ carneis ſentitur mēbris, qua & in

Baptiſmus quodammodo ex latere chriſti fluxit
Mat.5
Ioan.19
Ioan.19
Num.20.
Zach.13
Io.4.
Duplex aqua
Io.7.

Baptiſ

Baptismo for insecus utimur, ex latere Christi quoq; effluxit, ut scirem⁹ unde baptismus uim suã hausisset.

Hinc enim intelligimus ipsum Baptismum in speciem quidem uideri minutum quid atq; infirmũ propter fluidam aquarum naturam, qua utimur, esse tamen rem maximi momenti, diuinaq; uirtute intus operante potentißimam & diuinißimã, eo quod cum ex latere Christi diuinitate plenißimo effluxerit, omnẽ suam uim hauserit ex mortis eius merito atq; thesauro, fonteq; purißimo. Perinde enim est, dum baptizamur, atq; si staremus sub cruce Iesu Christi domini nostri, & conspergeremur uiuificis illis aqua & sanguine ex uulnere eius iam nunc consummati stillantibus. Vnde sit vis baptismi.

Nam in baptismo, quamuis non ita literaliter utimur sanguine, atq; aqua, simul ne uideremur adhuc esse sub lege, & sanguine hircorum aut uitulorũ mundari, simul quòd Christus id non præceperit, sanguinis tamen Christi efficax meritum nequaquam exclusum esse credimus. Qui enim pro nobis pependit in ligno, & effudit sanguinem & aquam in ablutionem peccatorum nostrorum, is quam nobis in cruce meruit peccatorum remißionem, eam in baptismo communicat. Quare non baptizamur sanguine, cũ is fluxerit ex latere Christi cũ aqua. Sãguinis meritum in baptismo operatur.

Ioan. 19

Neq; uerò aqua, uel hæc qua nunc utimur baptizantes, uel ea ipsa, quæ ex latere Christi effluxerat, ex propria natura aquatica ullam habet efficaciam, nisi lauandi corporis. Imò neque ipsa humanitas Christi, & propria natura humanitatis, tam immensam potuisset exercere uim, pro toto genere humano plenissimè satisfaciẽdi, nisi fuisset in ea Deus ipse mundum reconcilians sibi, & non reputans illis delicta ipsorũ. 2. Cor. 5 Deus ipse in tus in nobis per baptismũ operatur.

Sed quicquid baptismo tribuitur, id totum Christus

Psal.109 Heb.7 Rom.5. ipse uerus baptista & æternus sacerdos, merito sui sacrificij semel in altari crucis oblati, per spiritum sanctum cordibus nostris infusum, in nobis secundū suam infinitam ineffabilemq; misericordiā intus operatur, modò ipsi non simus nobis ipsis nostræq; saluti impedimento. Nisi enim hæc aqua tanti momenti fuisset futura, per diuinæ operationis intus agentis uirtutē, neutiquā ea fuisset tot modis & præfigurata & prænunciata. Statim enim in ipso creationis exordio, necdum luce facta neq; firmamento, neq; dum diuisis aqua & arida, spiritus Dei ferebatur super aquas. Quod quantum momentum, quantanq; dignitatē adferat his aquis, quibus baptizamur, quis non uidet? Videtur enim scriptura, hoc quasi ænigmate iam tum indicasse, tandem aliquando fore aquam diuina institutione ita nobilem, non quidem ex se, sed ex diuino spiritu superfuso, ut nisi ea lotus fis, & inde quodam modo hauseris salutem à Domino, nulla in te sit ueritatis lux futura, nullum fidei firmamētum atq; robur, neq; aqua humanæ sapientiæ eaq; fluida, procellosa, & ad quemuis uenti flatum mobilis, sit unquam diuidenda in te ab arida mentis tuæ. Quæ tum demum, a quis uidelicet à te quasi in unam impietatis abyssum separatis, incipiat omnigenis floribus ac fructib⁹ germinare, iuxta illud euangelicum, Quoddam semen cecidit in terram bonam, & ortum fecit fructum centuplum.

Baptismus multis modis præfiguratus.

Prima figura.

Genes.1

Luc.8

Secunda figura.

Genes.6.

1.Pet.3

Diluuium quoque ex quo per arcam Noe incolumes euaserunt, quotquot Deus saluos fore uolebat. Petrus Apostolorum primus author est fuisse non obscuram baptismi figuram, cum inquit: In diebus Noe

cùm

cùm fabricaretur arca, in ea pauci, hoc est, octo animæ salvæ factæ sunt per aquam. Quod & uos nunc similis formæ saluos facit baptisma, non carnis depositio sordium, sed conscientiæ bonæ interrogatio in Deum per resurrectionē Iesu Christi, qui est in dextera Dei, deglutiens mortem, ut uitæ æternæ hæredes effiecremur 1.Pet.3.

Similiter & mare rubrum, per quod siccis pedibus, duce Mose, salui transierunt, & à persequentibus liberati sunt hostibus filij Israel, fuisse figuram non modò passionis Christi, sed & baptismi author est Paulus. 1.Cor.10. cùm inquit: Patres nostri omnes sub nube fuerunt, & omnes mare transierunt, & omnes in Mose baptizati sunt in nube & in mari. Vnde intelligimus quod quemadmodum Moses gerebat figuram Christi, sic & mare, in quo Pharao cum suis satellitibus periit, & in quo Israël est liberatus, figuram præbeat sanguinis Christi, atq; adeò baptismi ab eodem instituti. Eadem enim utriusq; uis est, nisi quod quicquid sanguine effuso semel in cruce meruit Christus, id baptismo communicet: ut ex parte aliqua iam suprà diximus, & posteà adhuc latius dicemus atque probabimus. Tertia figura. Exod.14 1.C orin.10

Hoc ipsum & in ea figura expressum est, quæ etiã ad baptisinum sine dubio referri potest, quando ex petra, Mose percutiente, tanta aquarum uis effluxerat, quanta abundè satis erat, ad totius Israëlis sitim sedandam, qui alioqui ariditate periturus uidebatur. Petra enim, inquit Apostolus, erat Christus: Is autem cum seipsum pro nobis redimendis & tradidisset, & quasi percußisset (oblatus enim est quia ipse uoluit, Quarta figura. Num.20 1.Cor.10

Esa.53 Ioan.10 Ioan.19 posuitq; animã suam, quando voluit, neq; eam aliquis tulit) tam copiosum aperto latere aquarum & sanguinis torrentem, excaturire fecit, quantum satis sufficeret & esse sciebat in perpetuum, sedandæ omnium populorum siti. Ad quem fontem inuitat omnes dicens: Ioan.7 Si quis sitit, veniat ad me & bibat. Sed quomodo venire poterit, nisi baptizetur? In baptismo enim prospinatur aqua, non modò quæ foris cernitur, sed etiam quam illam significat, quam qui biberit, non sitiet in Ioan.4 æternũ: ut diximus. Vnde & Esa. Haurietis (inquit) aquas in gaudio de fonte saluatoris. cap. 12.

quita figura Quidni & aquam Iordanis baptismi figuram dixerim? neq; eam modò quam siccis pedibus transijt Israël Iosu.3 in promissionis terram, sed etiam in qua Naaman Syrus 4.Reg.5 iussu Helisæi prophetæ lauit se septies, & sanus factus est instar pueri paruuli. 4. Reg. 5. Quòd autẽ Syrus ille septies se lauit, nos verò plurimum non nisi Ter mergimur. ter mergimur aut lauamur unico eodemq; baptismo (triplex enim immersio nõ est nisi unicus baptismus) id non obest huic proposito. Nam quamuis litera non sit utrinq; eadem, est tamen intentionis spiritus idẽm, non quem Naaman habebat, sed quo propheta eum septies lauandum iubebat. Nos enim qui ter mergimur, significamus puritatem non esse petendam aliunde, quam ab augustissima sanctissimaq; trinitate unius Rom.4 Dei, merito quidem eius, qui traditus est propter delicta nostra, & resurrexit propter iustificationem nostram, idq; tertio die. Luc.18 Non tamen nego (ut id obiter dicam) cum Diuo Augustino, quin si quis quempiam baptizando non nisi semel tingat, is uerũ administrarit baptismum, neque peccarit, nisi reclamante constructus

Definitũ est in concilio

suetudine illius ecclesiæ, in qua uersetur, à qua uides licet non sine scandalo aut mali suspicione queat discedere. Vnus est enim Deus, unus & mediator Dei & hominum, homo Christus Iesus, qui dedit semetipsum redemptionem pro omnibus: quem unica huiusmodi immersio satis aptè significare posset, nisi cõ suetudo, ut dixi, aliter suaderet. Naaman uerò, qui iussu prophetæ septies lotus est, significabat, q. ipse quidem iam tum nõdum intelligebat, eum reuera nos à nostris peccatis sanguine suo loturum, super quem requieturus erat, iuxta oraculũ propheticum, septuplex ille idemq; unicus atque simplicissimus spiritus Domini, spiritus sapientiæ & intellectus, spiritus consilij & fortitudinis, spiritus scientiæ & pietatis, & spiritus timoris Domini. Toletano quarto, ut unaquæq; ecclesia suã teneat consuetudinẽ. 1.Tim.2 4.Reg.5 Apoc.1 Esa.11

Eratq; figura baptismi & piscina illa, ad cuius aquæ motionem, qui primus descendisset, sanus fiebat, à quacunq; detineretur infirmitate. Non quasi nemo alius, quàm qui inter multos primus ad baptismũ uenerit, sanus ac saluus euadat. Imò quotquot ad baptismalis aquæ motionem atque lotionem in nomine trinitatis factam ueniunt, ab omnibus peccatis tam propria sponte admissis quàm ex corrupta origine contractis sanantur. Vt enim corpus umbra, sic etiam ueritas figura multò melior atq; efficacior est. sexta figura. Ioan.5

Quid, quòd & ipsa Natatoria Siloe, in hanc significationẽ trahere possis, in qua ut se lauit cæcus, iussu Christi, redijt uisu recuperato? Quicquid enim Christus, salutis, aut sanitatis gratia faciendum iubet, id quãuis in se sit friuolum, stultum, infirmum, nulliusq; efficaciæ, iubentis tamen & assistentis atq; intus opes

Septima figura. Ioan.9.

Aqua baptis mi ex se nihil est aliud quàm aqua.

rantis uirtute est efficacissimum. Sic & in baptismo neq; ipsa aqua est baptismꝰ, neq; habet ex se ullã uim contingendi atq; purgandi animas, sed ipsa lotio per aquam facta in uerbo uitæ propter Christi & institutionem, & cooperatricem assistentiam, nõ per se, sed per spiritum sanctum intus agit. Aqua itaq; sola nihil est aliud, quàm aqua, neq; maioris in se nunc est energiás & uirtutis, quàm erat ab initio creationis, sed ex institutione Christi, nunc facta est tanti momenti, ut sine ea non uelit Christus nos suæ passionis participes facere, non propter ullam uim operationis diuinæ infusam aquæ, & inde quasi ex prõptuario quodam petendam, sed propter Dei beneplacitum per huiusmodi lotionem, in se quidem ad salutem inde accipiendam, inutilem atque inefficacem, ex Christi uerò institutione & utilissimam & efficacissimam atque adeo necessariã, nos ita saluos facere uolentis. Quicquid autem ille uult, id nobis est arripiendum sine hæsitatione, tanquàm uera salutis uia.

Mat. 19

Cur præcepit Christus baptismum, suscitantur curiosi quidam.

Mirabitur fortè quispiam, cur Christus Iesus, qui ex sinu patris altissimi descenderat, ut nos terrenis despectis ad cœlestia aspirare doceret, tam infirmo atque fluido elemento nos subiecerit, ut non nisi in lauacro aquæ meritum sui sanguinis communicandum nobis statuerit, dicens: Nisi quis renatus fuerit ex aqua & spiritu sancto, non potest intrare in regnum Dei. Esse enim non nullos satis constat, qui diuinarum rerũ nimis curiosi, mutuis colloquijs nunc de hac nunc de alia diuina constitutione inter sese disceptant, quiq; de baptismo etiam (ut non digrediar longius) irreligiosa admiratione ducuntur, cur Christus, qui

Iohan. 16
Iohan. 3

uenerat

xenerat umbram corpore, tenebras luce, & figuras veritate commutaturus, rursus nouas quodammodo figuras instituerit. Iohan.1 Col.2

Quibus respondemus, plurima esse rerum diuinarum mysteria, quæ mirari liceat, sed penetrare & cõprehendere non item. Idcireo altiora te (inquit scriptura) ne quæsieris, & fortiora te, ne scrutatus fueris, sed quæ præcepit tibi Deus, illa cogita semper, & in pluribus operibus eius ne fueris curiosus. Non enim tibi necessarium est, ea quæ sunt abscondita, uidere oculis tuis. Atque hic erat primus aries, quo hostis antiquus oppugnauit, insultauit atque debellauit ciuitatem Dei, iam recens conditam, quòd ipsos eius ciues necdum pugnandi peritos, rerum in diuina uoluntate sola positarum curiosos ac dubios reddebat, dicens: Cur præcepit uobis Deus ut non comederetis ex omni ligno paradisi? Sicut enim qui mel multum comedit (ut inquit Sapiens) non est ei bonum, sic qui scrutator est maiestatis opprimetur à gloria. Altiora nobis, nõ sunt curiosè scrutanda. Eccle.3 Gen.3 Prou.30

Quandocunq; itaque tibi subit admiratio, cur hoc uel illud aut fecerit aut præceperit Deus, nisi alicunde ex scripturis eluceat ratio, tutissimè id semper ad diuinæ uoluntatis beneplacitum retuleris, ratus sic Deo uisum esse, neque posse non esse laudabile, quicquid ei uisum fuerit. Si enim mortalis Imperator recte dicit, modò nihil à Deo alienum mandet, Sic uolo, sic iubeo, sit pro ratione uoluntas. Cur non & id ipsum summo iure dixerit rex regum & dominus dominantium? Cui quis est qui iure dixerit, quid feciſti sic? Quoniam itaque sic Deo optimo maximo placuit, ut baptizemur in aqua, & inde quasi Rogatus cur hoc vel illud Deus fecerit, tutissimè respondeo & rectissime, Quia sic ei placuit Apoc.19 Rom.9

hauriamus salutem à Domino, quamuis prima facie id uideatur stultum, infirmum, & ab humana ratione alienum, diuinum tamen sit oportet, sapientia atq; potentia plenum, & cum omni timore atque tremore & administrandum & suscipiendum.

Causæ ceremoniarum à Christo institutarũ secundũ quosdam.

Sunt tamen qui has adferunt causas non modò baptismi in aqua faciendi, sed etiam omnium aliorum signorum aut ceremoniarum à Christo institutarum. Quarum non sunt tantum duæ (ut id obiter dicamus) quemadmodum Menno blasphemat, baptismus uidelicet & cœna Domini. Nam & matrimonialis coniunctio est ceremoniale quid. Tob. 7. estq; mysterium seu sacramentum nouæ legis. Eph. 5. Est & unctio infirmorum à Christo usurpata. Marc. 6. atq; instituta: ut patet ex Iacob. 5. Fuit & Apostolis in usu triplex impositio manuum, à Christo nimirum sine dubio instituta. Vna absolutionis. 1. Tim. 5. Vnde nobis pœnitentiæ & confessionis sacramentum effluxit Iohan. 20. Alia confirmationis post baptismum Act. 8. Vnde habemus sacramentum confirmationis. Luc. 24. Act. 1. & secundo. Tertia ordinationis 1. Tim. 4. 2. Tim. 1. Act. 13. Vnde sacramentum ordinis sacri dimanauit Tit. 1. Act. 14. &c. Sed ad rem redeamus.

Menno redarguitur dicẽs non esse nisi duas ceremonias à Christo istitutas.

Matrimonium.

Vnctio infirmorum.

Sacramentũ pœnitentiæ.

Confessio.

Cõfirmatio.

Ordo sacer.

Prima causa baptismi instituti.

Causa itaque harum institutionum est, prima quidem ipsa uoluntas Dei, ut diximus, quæ nobis est ualidissima ratio. Deinde ut dum homo rebus inanimis sensuq; uacuis, & quæ nam longè infra ipsum hominem sunt, ex præcepto creatoris se humiliter & reuerenter subjcit, ex hac humilitate & obedientia Deo magis placeat. Decet enim ut qui se nimis supra seipsum exaltando, ac diuinis præceptis non parẽdo,

Secunda causa.

reddiderat

reddiderat se Deo inimicum atque à gratia Dei alienum, id spectans & pluris faciens, quòd ab hoste dicebatur ac promittebatur, dicente: Eritis sicut dij, scientes bonum & malum, quàm quod præceptum erat à Deo, is redeat in gratiam cum Deo, se infra seipsum humiliando, ac diuinis iußis omnino parendo, iuxta exemplum Christi, qui semetipsum exinaniuit, formam serui accipiens, humiliauitq; semetipsum factus obediens usque ad mortem. Contraria enim, ut medici norunt, contrarijs pelluntur. Estq; Christus animarum longè expertißimus atq; benignißimus medicus. Genes.3 Philip.2 Luc.10

Prætereà ut per id quod foris specie uisibili ceritur, ad inuisibilem uirtutem, quæ intus exercetur, mens erudiatur. Homo enim qui ante peccatū Deum cognoscebat, sine impedimento, quod animam grauaret, & sensum diuina cogitantē deprimeret, per peccatum adeò depressa factus est mente, animoq; ita hebes fixo ac stupido, ut iam nūc diuina nequeat capere, nisi humanis exercitatus adminiculis. Imò ut non modo difficilia existimemus, quæ supra nos sunt, sed etiam ut quæ in terris sunt, & quæ ob oculos nostros uersantur, non inueniamus, nisi cum labore. Homo enim, cùm esset in honore, non intellexit, comparatus est iumentis insipientibus, & similis factus est illis. Quāuis itaq; super nos signatum sit lumen uultus diuini, diuinusq; spiritus animos nostros intus calore sui inflāmet, manet tamen in nobis, donec in hac mortali uita degimus, hebetudo quædam, quæ uisibilium rerum exercitamento opus habet, ut ex uisibilibus ad inuisibilia prouehamur. Quemadmodū & ipsis contigit Apostolis uel post acceptum spiritum sanctum, ut Tertia causa Sap.9 Psal.48 Psal.4. Rom.1

Act.4 *cum orassent, motus sit locus, in quo erant congregati, & ex sensibili motione plenius cognorint diuinitatis præsentiam. Hebetudo autem hæc nostræ mentis, qua nunc quasi tenebris quibusdam offundimur,*
1.Cor.13 *ita ut non nisi ex parte cognoscamus, auferetur ad plenum tum demum, quando uidebimus eum facie ad faciē, & quādo cognoscemus, sicut & cogniti sumus.*

Sunt qui volūt aqua prophana, & nō cōsecrata baptizandum. *Cæterūm quanq; nunc temporis nulli sunt, ut dixi mus, qui negent baptizandū aqua. Sunt tamen uitiligatores quidā, qui Romanā Ecclesiam ita exosam habent, ut quo iure quaq; iniuria omnem occasionem quærant nobis obgāniendi ac obstrepēdi, ita ut in hac quoq; parte pus suum atq; uenenum euomant, dum rident atq; exibilant ritum ecclesiasticum baptizandi in aqua consecrata, & in hunc usum reseruata, dictitantes eam consuetudinem neq; ex præcepto Christi, neq; ex usu Apostolico defluxisse, neq; cōsentaneā sacris literis.* Consecrationes ecclesiasticæ. *Nec hāc calūniam huc duntaxat torquēt, sed & ad multa alia simili ritu hactenus ab ecclesia ubiq; obseruata, ut ad consecrationem palmarū, chrismatis, olei, aquæ aspersilis, templorū, altarium, cæmeteriorū, uestium, aliarumq; rerum, quæ in diuino cultu haberi consueuerunt.*

Leuit.27 *Etiamsi has calumnias omnes facilè diluere ac refellere posßim, ex ult. capite leuitici sumpto argumēto: ubi & domus & ager, et homo & animal, & quidquid pene aliud docetur posse cōsecrari Domino. Pau*
1.Tim.4 *li tamen unius authoritate nunc contentus ero. Cuius nimirum solius unicum uerbum multò grauius erit ad huiusce modi constitutiones ecclesiasticas roborandas, q̄ ad eas infirmandas Mēnonum sexcentorum sexcentæ*

centę uerborũ myriades. Is enim Apostolus nobis est author sufficientissimus reliũ benedictionum (ut uos canuu) & consecrationũ, dicẽs. 1. Tim. 4. Omnis creatura Dei bona est, & nihil reiciendũ quod cum gratiarũ actione percipitur. Sanctificatur enim per uerbum Dei & orationẽ. Ecce hic audis oẽm creaturam esse quidẽ bonã, quemadmodũ dicitur Genes. 1. Vidit Deus cuncta quæ fecerat, & erãt ualde bona. Sed non cõtinuò oẽm creaturã esse sanctã, fieri aũt tum demũ sanctam si per uerbum Dei & orationẽ sanctificetur.

Omnis creatura bona qdem, sed nõ cõtinuò sancta omnis

Omnis itaq; aqua, omnis locus, oleum, uestis, deniq; nihil non à Deo creatum bonum est, sed non sanctum. Quum & ipse diabolus, si creaturã spectes, bonus est sed non sanctus. Si posset ipse per uerbum Dei & orationẽ sanctificari, uerè sanct⁹ esset: sed neq; uult neq; potest, cũ oẽm orationẽ auersetur, & omni sanctitati aduersetur. Atq; ea est causa, cur, cũ ipse sathan neq; sanct⁹ uel sit uel esse uelit, neq; esse possit eò q; nolit, in administrandis rebus sanctis pys atq; diuinis nullo modo adhiberi debeat. Neq; enim ullũ cũ ipso cõmercium habendũ, siue scisciendi quæ scitu sint necessaria, siue auxilium implorandi, etiamsi consultus, uera sit oracula responsurus, atque in subsidium uocatus, ueritati sit suppetias laturus. Non modò enim ab ipso non falsa atque impia, sed neque uera piaq; sunt uel petenda, uel accipienda. Paulo enim & Silę atque Timotheo Philippis aliquot dies uersantibus, cũ spiritus malignus ex Phyconissa quadam acclamaret. Isti homines serui Dei excelsi sunt, qui annuneiant uobis uiam salutis, idq; faceret multis diebus. Vera quidem ea erant, ac Philippensibus ad salutem

An diabolus bonus?

Diabolus etiam si uera responsurus esset, non est tamen consulendus.

Act. 16.

non

non modo utilia, sed planè necessaria. Quid quod & ab hoste profecta laus, nescio quomodo, magis placeat, quam quæ ab amico? Attamen diuus Paulus dolens, & conuersus spiritui dixit, Præcipio tibi in nomine Iesu Christi, exire ab ea, quippe qui nollet pro sanctitate ullum admittere patrocinium ab eo, qui esset nullius sanctitatis particeps.

Quibus vtimur in rebus diuinis, ea sunt sanctificãda verbo Dei & oratione.

Quicquid itaq; ut ad rem redeamus, & bonũ est, & non aduersatur Deo, neq; sanctitatem expellit, id nimirum potest, imò & debet, si in cultum diuinũ uocari atq; adhiberi debeat, per uerbum Dei & orationem sanctificari, atq; Deo consecrari, secundum consuetudinem Ecclesiæ, quam Apostolus se maximi fecisse, & plurimi esse faciendam docet 1. Cor. 11. dicens, Si quis uidetur contentiosus esse, nos talem consuetudinem non habemus, neq; Ecclesia Dei, hoc est, si quis ita contentiosum se præbet, ut cum neq; aperta scriptura, neq; efficaci ratione conuincere possis, contra eum mea authoritate suadeo, agendum consuetudine Ecclesiæ, quæ tibi instar scripturæ præsentissimum erit argumentũ, quo omnem pertinaciã retundas. Non enim oportet, ut omnia quæ ad consuetudinem Ecclesiæ pertinent, expressè scripta sint. Nam cætera, quæ uidelicet non erant scripta promisit Corinthijs Apostolus se, ubi uenerit, dispositurum, quẽs admodum & fecisse nõ dubitamus, unde nobis & hæc consuetudo aquam baptismalem benedicendi & consecrandi profecta est: de qua meminit Basilius ille Magnus cap. 27. de spiritu sancto. Et Cyprianus lib. epistolarum primi epistola 12.

Cõsuetudo ecclesiæ maximi faciẽda 1. Cor. 11

1. Cor. 11

Sed

Sed age, nónne ea quæ sunt sancta, meliora atq; diuiniora sunt, quàm ea quæ non sunt sancta? Cur itaq; non melius atq; diuinius fuerit, ad mysteria Dei, uti sanctis quàm non sanctis? Cur mauis uti aqua in baptizandis hominibus, non modo non sancta, sed forte qua quis impius ad incantationes, ad hydromanticas abominationes, aut ad alias dæmonum culturas impiè sit abusus, quemadmodum in primordio ecclesiæ sæpenu mero fiebat ab impijs adhuc inter pios uersantibus, & aquam in contemptum baptismi Christianorũ subinde diabolicis artibus, quantum poterant commaculantibus? Cur, inquã, huiusmodi aqua, quantumuis bona, & mũda mundis, non tamẽ sancta, uti mauis, quàm aqua per uerbum Dei & orationem sanctificata? Adfer ullam huius tui contemptus ex scriptura rationẽ, si potes: aut si nequeas, mi sentẽtiam nostram pedibus tuis discedas, quod erit tibi saluti. Quis enim non uidet hominem sanctum eße meliorem atque digniorem ad res diuinas, quàm hominem prophanũ & non sanctum? Quis itaque tam stupidus est & tam cæcus, qui non uideat sancta potius utendum aqua, sanctis ædibus, sanctis uestibus, sanctis deniq; rebus quibusuis, ad cultum Dei, quàm non sanctis?

Sancta sunt diuiniora prophanis

Tit.1

Quanuis igitur baptismus factus in aqua non sanctificata sit uerus baptismus, & neutiquàm reiterandus, etiam si postea compertum fiat, eam aquam fuisse dæmoniacis & impijs artibus usurpatam, congruentius tamẽ atque diuinius est, ut secundum Apostolum aquam ipsam, qua sit nobis usus ad mysterium Dei dispensandum, sanctificemus per uerbum Dei & orationem. Christus enim ipse baptizandus, tactu sui corporis

1. Tim. 4

Luc. 3

Mat. 3

1.Tim.4 ris purissimi sanctificauit aquam Iordanis. Cuius loco nos utimur secundū Apostolum uerbo Dei & oratione, ad aquam, oleum, chrisma, aliaq; sanctificanda.
2.Cor.11 Si autem quis uidetur contentiosus esse, nos talē consuetudinem non habemus, neq; ecclesia Dei. 1.Cor. 11.

¶ Quæ sit forma Baptismi, vt loquuntur recentiores, hoc est, quod sit verbum vitæ, in quo baptizemur. Caput. III.

Vemadmodum si quis quēpiam baptizare tentet non in aqua, sed aut in sanguine, aut uino, aut alia quauis fluida materia, quantumuis aut nobiliore aut cādidiore quàm aqua, nihil egerit, neque uerum Christi baptisma administrauerit. Ita etiam frustrà laborarit, si quis sine uerbo baptizet, aut si quis non eo ipso utatur uerbo, quod Christus ipse præscripsit, quodq; & Apostoli & eorum legitimi successores hactenus usurparunt.

In verbo vitæ baptizandum. Verbum autem uitæ in baptismo esse adhibendū, & sine eo non esse alicuius momenti baptismum, omnibus Christianis persuasum esse puto, dicente Apostolo, Eph.5 Quod dilexit Christus ecclesiam, & seipsum tradidit pro ea, ut illam sanctificaret, mundans eam 1.Pet.1 lauacro aquæ in uerbo uitæ. Et Petrus, Ex corde, inquit, inuicem diligite attentius, renati non ex se-

Dei

mine corruptibili, sed incorruptibili, per uerbum Dei uiui & permanentis in æternum. Iacobus quoq; Voluntarie, ait, nos genuit uerbo ueritatis, ut simus initium aliquod creaturæ eius. Iacob.1

Sed non omnibus compertum esse uideo, quodnam sit illud uerbum uitæ in quo baptizemur, & quomodo in eo baptismus sit dandus & accipiendus. Menno enim pædobaptismatis contemptor atque reiector, palimbaptismatis uerò assertor, nobis obijcit non uno in loco, quod in paruulis baptizandis uerbum Dei neque habeamus neque usurpemus: sed quòd sine uerbo, & contra uerbum baptismo abutamur, partim eò quòd infantes ipsi quos baptizandos suscipimus, uerbum Dei neque dum auribus audire, neque mente concipere, neq; ore profiteri possint, partim eò quòd præceptum baptismi paruulos non includat, sed potius, ut ipse blasphemat, ipsos excludat, ita ut in baptismo nullam promissionem habeant. Sed an præceptum baptismi etiam attingat & concludat paruulos, & an ignoratio fidei ipsis baptismi fructum auferat, ut Menno putat, nec ne, posteriori libello dicemus. Hic de uerbo uitæ duntaxat, in quo baptismus & administrandus sit & accipiendus, differendum instituimus. Menno obijcit & calumniatur quod Ecclesia Romana paruulos suos baptizet sine verbo.

Quid est igitur lauari aqua in uerbo uitæ? & quódnam est illud uerbum uitæ? Certè uerbum uitæ, in quo baptizamur, non est id, quod nos baptizandi auribus auditum, & mente conceptũ creditumq;, ore profitemur, dicẽtes nos credere in Deum patrem omnipotentem, sed quod ipse, qui baptizat, secundum præceptum Christi usurpat atque profert. Quemadmodum Quomodo in verbo vitæ baptizemur. Mat.28

admodũ enim nemo potest hac in re sibi minister esse, ut semetipsum baptizando in aquam immergat, uel aqua lauet, sed oportet, ut ab alio se tingi permittat, perinde quasi ipse baptizandus sit planè mancus, & impotens ad se lauandum. Iccirco enim & Christus Ioannem infinitis partibus se inferiorem baptizandus adijt. Ita etiam nemo potest pronũciare uerbum illud uitæ, in quo baptizetur, tacente eo qui baptizat. Sed oportet ut tinctor seu baptizator ipse, & aquam admoueat, & uerbum uitæ proferat ritu euangelico, in quibus duobus baptismi nimirum ratio consistit. Ipse autem baptizandus, præsertim si sit adultus, rogatur quidem an credat, respondetq; se credere, sed ea eius responsio, cùm ante baptismum fiat, non reddit baptismum absolutum, quasi alioqui imperfectum uel futurum nullum. Neque huiusce modi responsio fidei, dicenda est esse uerbũ uitæ, in quo baptizetur. Alioqui enim neq; mutus neque surdus neque fatuus ullo modo baptizari queat. Imò neque ipse Christus fuisset baptizatus, qui nihil tale uel rogatus esse, uel respondisse creditur, ut taceam an potuerit quicquam tale respondisse, quod non est huius loci discutere. Fides enim est argumentum rerum non apparentium. Christi autem oculis omnia nuda & aperta erant etiam dum in hac mortali uita adhuc ageret.

Mat. 3

Baptizãdus vt nõ seipsũ baptizare, ita nec uerbum uitæ, in quo baptizetur, proferre potest.

Verbum itaque uitæ, quod ipse baptizandus, si rationis particeps sit, ex auditu uerbi Dei per fidem accepit atque profitetur, non adiuuat baptismi ministrum in hoc, ut per illud, uerũ administret baptismũ. Nam eorum quos Apostoli baptizarunt ante mortem Christi, nimirũ iußu ipsius Christi, quotusquisq; uerè credidit

Fides quam pfitetur baptizandus, non absoluit eius baptismum, quasi fine ea nullũ Ioan. 4

credidit

credidit ac confessus est, Christum esse uerum Deum & hominem, qui uenisset ex patris sinu, in intactum uirginis matris uterũ, ut inde induta humanitate prodiret in hunc mundum, & se redderet nostris oculis conspicuum, alioqui inuisibilem, ac morte sua genus humanum redimeret? quotusquisq; credidit Christum à mortuis tertia die resurrecturum, atq; nos similiter in nouissimo die resuscitaturum? Aut saltem quotusquisque credidit Christum esse uerum Messiam ipsis promissum, & à patribus expectatum? Alij enim dicebant Christum esse Helian, alij Hieremiã, aut unum ex prophetis. Quid, quòd & ipsi Apostoli ante resurrectionem non sufficiẽter neq; perfectè crediderint, baptizati tamen uerè? Quomodo enim baptizassent alios, nõ ipsi prius baptizati? Verbum itaq; uitæ non ab ipsis baptizatis, sed ab Apostolis baptizatoribus pronunciatum quidem erat, sed necdum plenè intellectũ, donec spiritus sanctus missus esset. Quid autem uerbum uitæ ab ipsis baptizandis creditum, & fide prolatum prosit ipsis ad baptismũ suscipiendum, aut quid uerbum uitæ non creditum obsit, id posteà docebimus, partim quando loquemur de baptizandis adultis in fine huius libelli, partim quando probabimus ignorationem fidei, quæ nondum haberi possit, nihil obesse paruulis, quò minus uerè & queant & debeãt baptizari, secundum præceptum Christi, in libello posteriori. Iohan.10. Luc.1 Luc.2 Ro.3 1.Tim.2 Matt.19 Io.6 Luc.4 Mat.16 Io.14 Io.13

Verbum itaq; uitæ, in quo baptizamur, nõ est uerbum doctrinæ aut professionis fidei, sed est uerbum sanctificationis atq; consecrationis. Si enim omnis creatura Dei bona, secundũ Apostolum, sanctificatur per uerbum Dei & orationem, profectò & Verbũ vitę, in quo baptizamur, est verbum consecrationis. 1.Tim.4

homo ſanctificandus eſt, et Deo conſecrãdus per uerbum Dei et orationem. Alioqui ſi nondũ ſit ritu Apoſtolico ſanctificatus, nondum eſt ſanctus, nondum redemptionis Chriſti particeps, quantumuis creatione
Gen.1 & natura à Deo creata bonus. Atque hoc uerbum uitæ, quo ſanctificatur & Deo conſecratur homo, eſt idipſum in quo baptizamur, & quo, qui baptizandi eſt miniſter, baptizans utitur, ſecundum doctrinam Chriſti dicentis Mat. 28. Docete omnes gentes, baptizantes eos in nomine patris & filij & ſpiritus ſancti.

Forma baptiſmi. Nam baptizari in nomine ſanctiſſimæ trinitatis, ſimul expreſsis actu baptizandi & perſona baptizata, eſt baptizari in uerbo uitæ. Tria ſunt enim neTria ſunt neceſſaria ad formã baptiſmi ritè ſeruandã. ceſſaria ad formam bapt. ſmi. Primum. Primò Verbum explicans actum baptizandi. Nam ſi, quos baptizas, ter quidem eos immerſeris, nihil aliud dicendo, quàm, in nomine patris & filij & ſpiritu ſancti Amen, & non explices actum baptizandi, nihil egeris, neq; tales abs te ſic baptizati, uere baptizati fuerint. An autẽ ipſe baptizandi actus ſit neceſſario exprimendus indicatiue, ut Romana Eccleſia hactenus
Forma Romana. conſueuit, dicendo: Ego te baptizo in nomine patris & filij & ſpiritus ſancti. An imperatiue aut deprecatiue, quemadmodum Græci faciunt dicentes: Bapti
Forma Græcorum. zetur ſeruus Chriſti in nomine patris & filij & ſpiritus ſancti, rurſus an pronomen demonſtrans perſonam baptizantis ſit ex neceſſitate addendum, nec ne, id relinquimus ſcholis determinandum. Hoc enim nõ eſt inter Mennonianos & nos (quod ſciã) controuerſum. Id tamen dicimus, nulla ratione mutandam Eccleſiæ Romanæ formam, à Chriſto acceptam, propria

authoritate, præsertim qua hactenus sis usus, etiamsi ipse ab ea Ecclesia, fide tua (quod absit) defeceris. Si enim recta tibi constet baptizandi forma, quãuis ipse alioqui pessimè erres, & hæretica scabie sis infectissimus, baptismum tamen uerum administrare poteris. Sin adulterina & antichristica utaris forma, quanq̃ ipse cætera præditus sis recta fide, nequaquam uerũ administraueris baptisma, sed ut forma, ita & re à Christo alienum.

Siue recta sis fide siue non, si uera tamẽ utaris forma uerum administrare potes baptisma.

Secundò necessarium est nomen exprimens personam baptizatã. An autem id necessario fiat per pronomen secundæ personæ, ut Romanis consuetum est, an per nomen tertiæ personæ, ut Græcis, id aliorum esto iudicium. Hoc autem nobis est persuasissimum Romanos neque hac in re, neque in alijs ad fidem spectantibus errare. De Græcis nihil hic disputo.

Secundum.

Romana Ecclesia nó erra.

Tertiò oportet ut trinitatis fiat expressio, ut (quod Euangelium docet) baptismus conferatur. In nomine patris & filij et spiritus sancti, & non quemadmodum Zuinglium fecisse aiunt, qui baptizabat in nominibus patris & filij & spiritus sancti, mutans propria authoritate numerum singularem numero plurali. Neque quemadmodum Paulianistæ & Cataphryges fecisse dicuntur, qui non in nomine trinitatis baptizabant. Neque quemadmodum qui Marcitæ, Cerdonis & Marcionis hæresiarcharum perfidiã bona in parte sectati sunt. Quorum quidam perhibentur baptizasse in nomine ignoti patris omniũ, & ueritate omniũ matre, & in eo qui descendit in Iesum. Quidam uerò Hebraicis quibusdã usi esse uocibus in

Tertium.

Mat. 28

Zuinglij forma.

Cataphrygum forma.

Marcitarũ forma.

baptismo administrãdo, non sine terrore audientium.

Nos uerò euangelicam ueritatẽ sectati, omnemq; hæreticam prauitatem auersati dicimus in hanc formam, Ego te baptizo in nomine patris & filij & spiritussancti. Verbum enim baptizandi explicandum docet Christus dicens: Docete omnes gẽtes baptizantes eos. Et personam baptizatam, pronomen, eos, explicat. De trinitate exprimenda tam apertus est textus, ut mirũ sit quomodo id Paulianistæ & Cataphryges non uiderint. Dixeris fortè, quomodo ergo Petrus apostolorum primus statim post acceptum spiritum sanctum, Iudæis corde compunctis, & scisciantibus quid ipsis faciendum esset, respondisse legitur. Pœnitentiã agite, & baptizetur unusquisq; uestrum in nomine Iesu Christi, in remissionem peccatorum uestrorum. Et alibi de Samaritanis à Philippo quidem baptizatis, sed nondum manuum Apostolicarum impositione (is enim Philippus non erat unus ex duodecim Apostolis, in quorũ locum successerunt episcopi, sed erat unus ex discipulis alijs, in quorum locum successerunt simplices sacerdotes) confirmatis, Lucas scriptum reliquit, quòd spiritussanctus nondum in quenq; illorum uenerat, sed baptizati tãtum erant in nomine Domini Iesu.

Christianorum forma.

Obiectio

Act. 2

Act. 8

Prima respõsio q; Apostoli baptizarint in nomine patris & filij & spiritussancti.

Respondemus, Vel quòd id non arguit Apostolos hanc, quam diximus, necessariam formam mutasse, & loco trinitatis nõ nisi solius Christi nomine usos fuisse. Neq; enim Lucas in huiusmodi locis plenã uoluit depingere, & necessariam, qua usi fuissent Apostoli, formam baptizãdi, quippe quam sciebat satis apertè ab ipso Christo expressam, et à Matthæo euangelista pulchrè

pulchrè & sufficienter descriptam. Nam scriptura nō ubiq; omnia uel Christi uel Apostolorum & gesta & dicta ad plenū recenset, sed duntaxat, quanta sint nobis necessaria ad fidē. Christus enim quid docuerit duobus diebus apud Samaritanos, quid in domo Marthæ, ubi Maria sedebat ad pedes docentis, tam nimirū diu, ut tandem soror diuturnæ sessionis impatiens interturbarit sermonem, non habemus ne unum quidem uerbum. Similiter & Paulus una sabbati disputans Troade, protraxit sermonem usq; in mediam noctem, neq; tamen quicq̄ retulit Lucas quos habuerit sermones. Neq; addubito, quin et is sermo, quem scribit Lucas habuisse Petrum, ipso die Pentecostes, iamiam spiritu sancto quasi musto plenū, fuerit multo copiosior atq; prolixior, quàm ipse Lucas scriptum reliquit. Tantillum enim, quantulū Lucas narrat eum dixisse, penè spacio quinq; aut sex orationum dominicarum, uel legendo uel narrando absolueris totum. Quantus la autem ea fuisset concio? Quomodo ad tantillā orationē tota ciuitas fuisset accita, & mirata, & ex bona parte cordibus compuncta? Hinc est igitur certum non uoluisse Lucam in suis actis totam & plenam baptismi formā, semel alibi satis bene expressam, denuò retexere atq; exponere, sed nō nisi paucis attingere, ac aliundè petendam relinquere.

Ioa.4.
Luc.10
Act.16
Act.2

Alterna responsio quòd Apostoli aliquādiu in solo nomine Christi baptizarint. Christi nomē includit tres psonas.

Vel respondemus, secundum multorum opinionem, eorumq̄; magnæ authoritatis ac fidei dignissimorū uirorum, Apostolos aliq̄diu baptizasse in solo nomine Christi, non aperte quidē expressa, cæterum sub nomine Christi satis intellecta tota trinitate. Christus enim cùm sonet, si interpreteris, unctum, in se continet &

Prior ratio. 1.Cor.1

patrem ungentẽ, & filium unctum, & ipsam spiritus sancti unctionem. Idq; Apostolos feciſſe dicimus, tum propter nomẽ Christi crucifixi, quod erat Iudæis scãdalũ, & gentibus ſtulticia, indies magis illustrandũ.

Altera ratio

Tum propter infirmorum ſcandalum uitandum. Fuiſſet enim quibuſdam adhuc in fide tenellis ac rudibus ſcandalo, ſi audiſſent nomen patris & filij & ſpiritus ſancti ab Apoſtolis pronunciari. Vnde putaſſent Apoſtolos uoluiſſe introducere tres deos. Nam myſterium trinitatis non poterat ſtatim à quibuſuis capi. Imò quæ ſunt ſupra captum ſimplicis ac rudis plebeculæ, ea ſunt potius diſſimulãda & occultanda quàm aperienda. Nam ſapientiam loquitur Apoſtolus inter perfectos, Paruulis autem in Chriſto lac propinat, nõ eſcam. Vt ut igitur eſt, certiſſimum id eſt Apoſtolos uel nullo modo mutaſſe formam baptiſmi à Chriſto præſcriptam, uel aliquantiſper ſolo Chriſti nomine uſos, non ſine peculiari ſpiritus ſancti uel reuelatione uel inſpiratione. Neque ob id nunc aliter licet baptizare, quàm in expreſſo totius trinitatis nomine.

1.Cor.2
1.Cor.3

Nequaq; aliter baptizãdum q̃ in nomine trinitatis.

Nomen itaque trinitatis expreſſum & quodammodo inuocatum, cum cæteris, quæ diximus neceſſarijs, eſt ipſum uerbum uitæ, in quo per baptiſmum ſanctificamur & conſecramur domino. Quod quidem nomen patris & filij & ſpiritus ſancti, non modo ex ſua ipſius infinita potentia atq; natura, ſed etiam ex Dei electione promiſſione ac inſtitutione, atque ex meritо Chriſti, tam efficax eſt, ut ſtatim ad illius ſanctiſſimi atque auguſtiſſimi nominis appellationem atque inuocationem, ſpiritus ipſe ſanctus in animam baptizati

Trinitatis & chriſti nomen & re & inſtitutione efficaciſſimum.

zati seſe infundat, eamq; ab omnibus peccatorum maculis expurgatam, fide ſpe charitate, cæterisq; uirtutibus ac fructibus ad ſalutem neceſſarijs, ſecundū capacitatem eius qui baptizatur uiuificet.

Si enim in nomine Ieſu, ſine inſtitutione, ſine promiſſione, ac ſine fide, eiecit dæmonia is, qui non ſequebatur Ieſum, quem & Apoſtoli nondum ſpiritu ſancto pleni prohibere uolebant, quomodo non in nomine totius trinitatis, per baptiſmū ita inſtitutum, eiiciantur dæmonia ex hominibus Chriſto obtemperantibus, aut ſaltē ſine ulla rebellione ad Chriſtū uenientibus? Si in nomine Ieſu prophetant & uirtutes multas faciunt, non alia ratione, quàm uirtute illius efficaciſſimi nominis, non modò boni, ſed etiam mali & impij, quos Dominus nunquàm nouit, imò quibus non præceptum, ſed potius prohibitum eſt, illud ſacrosanctum nomen impio animo uoluere, & polluto ore pronunciare, iuxta illud. Peccatori dixit Deus quare tu enarras iuſticias meas, & aſſumis teſtamentum meum per os tuum? Quid mirum, ſi omnipotentiſſimum nomen ſuperbenedictiſſimæ trinitatis, ſecundū inſtitutionem Chriſti uſurpatum, credamus & profiteamur eſſe efficaciſſimum uerbum uitæ, in quo abluamur ſanctificemur atq; iuſtificemur merito Chriſti, per ſpiritum ſanctum intus operantem, purgantem, atque illuminantem? Nam in nomine trinitatis quippiam agere, non eſt aliud, quàm ſi ipſa trinitas præſens, quæ nuſquàm eſt abſens, idipſum propria uirtute operetur, quemadmodum reuera fecit. Cùm enim Petrus diceret claudo ad portam

Luc.9

Mat.7

Pſal.49

Pſal.138

Act.3 speciosam templi, nihil tale expectanti, sed eleemosy-
nam mendicanti, In nomine Iesu Nazareni surge & ambula, Isq; statim exiliens ambularet, nõne putamus ipsum magis Iesum quàm Petrũ bases illius solidasse uirtute sui nominis inuocati?

Sed ut plenius intelligas, Christiane lector, quod dicimus, & quod tibi credendum hac in re necessariò censemus, oportet animaduertas uerbum Dei in sacris literis esse duplex in quorum utroque baptizamur & sanctificamur.

Verbum uitæ duplex.

Verbum dei caro factum

Alterum est uerbum increatum, sempiternum, omnipotens ex patre ante omnia tempora genitum, eadem cum patre essentia, eademq; maiestate unũ, nullis humanis sensibus perceptibile, sed in fine sæculorum carne humana indutũ, factumq; oculis hominum uisibile, auribus audibile, manibusq; tractabile, qui est Iesus Christus Dominus noster super omnia benedictus Deus in sæcula. De quo uerbo uitæ seu uerbo Dei loquitur scriptura uberrimè: In principio erat uerbũ. Et uerbũ caro factũ est. Quod fuit ab initio, quod audiuimus, quod uidimus oculis nostris, quod perspeximus, et manus nostræ contrectauerunt de uerbo uitæ. Verbo Domini cœli firmati sunt. Fide intelligimus aptata esse sæcula uerbo Dei, ut ex inuisibilibus uisibilia fierent. Deus enim fecit omnia uerbo suo, misitq; uerbũ suum & sanauit eos. Viuus est enim sermo Dei & efficax, & penetrabilior omni gladio ancipiti, & pertingens usq; ad diuisionem animæ ac spiritus, compagum quoq; & medullarum, & discretor cogitationum & intentionum cordis. Et non est ulla creatura inuisibilis in cõspectu eius, omnia aũt nuda & aperta

Io.1
1.Io.1

Psal.32
Heb.11
Sap.9
Psal.106
Heb.4

sunt

sunt oculis eius. Hæc certè omnia & id genus alia plurima, quæ non est necesse lõgius recensere, sine dubio intelliguntur de eo, quem Iohannes uidit sedere Apoc.19
super equũ album, qui uocatur fidelis & uerax, quiq; cũ iusticia iudicat & pugnat. Cuius oculi sunt flãma ignis, & in cuius capite diademata multa, qui habet nomen scriptũ, quod nemo nouit nisi ipse. Et uestitus erat ueste aspersa sanguine, & uocabatur nomen eius Verbum Dei.

Christus itaque Iesus ipse est uerum, uiuum & uiuificum uerbum Dei, quod euangelizatum est in nobis, in quo & baptizamur, dicente Apostolo: Quicunque in Christo baptizati estis, Christum induistis. In Christo baptizamur tripliciter.
Sed quomodo, inquis, in hoc uerbo Dei, hoc est, in Christo baptizamur?

Primò in inexhausto atq; immenso merito eius baptizamur: ita ut uirtute illius meriti in baptismo nobis applicati, per spiritum sanctum intus operantem, consequamur plenam peccatorum omnium remissionem, & gratiam, nisi id ipsi impediamus. Primò.

Secundò baptizamur in Christo tanquàm uero baptista, qui sua ineffabili præsentia, & uirtute infinita, ratione humanitatis in eandẽ deitatis personã cum uerbo unitæ, animã nostram intus lauat multò efficacius, q̃ minister corpus foris, dans aquam suam, quæ in nobis fiat fons aquæ saliẽtis in uitam æternã, ipsumq; spiritum ut in Apostolos, ita in nos quoq; inspirans, secundum mensuram donationis suæ, per quem expulsis peccatorum tenebris, uerum in nobis lumen ueritatis splendeat atque inardescat. Secundò. Io.4. Io.20. Eph.4.

Tertiò baptizamur in Christo, non ut pro nobis sufficien- Tertiò

sufficientißime merito, neque ut datore spiritus sancti, ac ita nostri mundatore, de quibus nunc diximus, sed etiam quemadmodum in patre & spiritu sancto, non modò in nomine Christi ore nostro prolato ac inuocato ut & patris & filij, sed in diuinitate eius, quæ ipsa uenit cum patre & spiritu sancto animâ nostram possessum atque inhabitatum, per baptismum in eum finem ab ipso institutum, ut latius alibi patefaciemus. Christus enim habitat per fidem in cordibus nostris, sibiq; Deus deliciarum loco ducit esse cum filijs hominum. Prouer. 8. Per hoc itaque uerbum Dei, qui est Christus Iesus, fides uiua in nobis generatur, nutritur, perficitur & conseruatur, donum enim Dei est, non ex operibus, ut ne quis glorietur.

Eph. 3

Prou. 8

Eph. 2

Alterũ uerbum Dei nõ caro factum sed scriptile ac prolatile.

Alterum rursus uerbum Dei est, quod nobis cœlitus reuelatũ est, scriptumq; uel in tabulis cordis carnalibus, uel in libris sacris, quod & auribus auditur, & ore profertur. Nam spiritu sancto inspirati locuti sunt sancti Dei homines, inquit Petrus. In quo quidem uerbo dictu mirum fuerit, quàm glorientur literaliter Plastochristiani, clamitantes, omnibusq; paginis inscribentes, quod uerbum Domini manet in æternum: quemadmodum et Pharisæi solent in phylacterijs dilatatis præcepta legis circũferre inscripta. Sed nõ intelligẽtes, quæ sit uirtus huius uerbi, neq; distinguẽtes literã à spũ, cæterũ perinde gloriantes in sola occidẽte litera, atq; si haberẽt spũm uiuificantẽ.

1. Pet. 1

Ficti christiani gloriantur in litera verbi, & nõ in spiritu.

Audi, obsecro, obiter super hac re cuiusdã grammatistici seu literarij Theologi, dicerem potius Magotologi testimonium Menno enim (ut solent id genus homines) de sese hunc in modum gloriatur in libello

Mẽnonis ex litera perpe

cui

cui fecit titulũ. Causſa cur Menno. Si non eeſſet doc. & ſcrib. Videte charißimi fatres (inquit) Hîc loquor confidenter, ex certo & uero ſpiritu, non ſecundum ullam apparitionẽ, aut reuelationẽ cælitus mihi factam, ſed ſolummodo ſecundũ expreſſum & literale uerbum Domini conceptũ in intima conſcientia: quòd hæc mea doctrina, non eſt mea, ſed eius qui miſit me, hoc eſt, Chriſti. Quotquot uolent eius uoluntatẽ facere, bene cognoſcent doctrinã meam, quòd ex deo ſit, Sic ille. Et in margine notauit cap. Iohan. 7. quaſi inde mutuatus eſſet illud de ſemetipſo elogium. rã adducta, inanis & impia gloriatio.

Hîc audis quibus nitatur armis animarum occiſor, ſola nimirũ litera, eaq; miro falſitatis ueneno infecta, ut ad occidendas animas ſit aptior. Nam qui ſtudent interficere animas, quæ non moriuntur, ut loquitur Propheta, mentientes populo credẽti mendacijs, quo gladio melius id perpetrent, q̃ occidente litera? Etenim nónne hæc litera, quam Menno quaſi ex manibus Chriſti extorſit, & ad ſui impiã cõmendationem rapuit multò inſolentius atq; glorioſius, q̃ ipſe Chriſtus ea pro ſe uſus erat, manifeſte facta eſt interfectrix animarũ, & ipſius Mẽnonis, & omniũ aliorũ, quicunq; eius ſententiæ ſubſcribunt? Quemadmodũ enim Chriſtus dixerat de ſe nõ modò illud, Ego ſum uia ueritas & uita, ſed & hoc, mea doctrina non eſt mea, ſed eius qui miſit me. Si quis uoluerit uoluntatem eius facere, cognoſcet de doctrina utrum ex Deo ſit, an ego à meipſo loquar. Ita & Menno audet cum Lucifero aſcendere ſuper altitudinẽ nubium, & ſe ſimilem reddere altißimo Chriſto, atque eum ipſo Chriſto, quaſi alter Chriſtus (qui non eſt niſi Antichriſtus) id ipſum de ſe Ezech. 13 2. Cor. 3 Iohan. 7 Iohan. 14 Iohan. 7 Eſ. 14

BIBLIOTECA NAZ ROMA VITTORIO EMANUELE

de se confidentissima arrogãtia prædicare, quòd Christus de semetipso dixerat summa cum modestia. Christus enim fecit eos, qui voluerint patris uoluntatè facere, quod ammodo suæ doctrinæ arbitros atq; censores utrum ex Deo sit an non, rem certissimã quasi dubiam proponens ad uitandã arrogantiam & propriæ gloriæ iactantiam. Menno uerò nullum uult esse dubium quin omnes bene cognoscant suam doctrinã esse ex Deo. Tantò uidelicet Antichristus auet melior uideri Christo. At eadẽ ratione, o Menno, facilè dixeris de teipso: quòd tu sis uia ueritas & uita. Tã enim illud Christus de se solo, quàm hoc dixerat. O literæ occidẽtis non modò sectatorem, sed corruptorẽ. Nam quod in margine asscripsisti eam literam te ex Io. 7. sumpsisse, id perditissimè mentiris. Iohannes enim de Christi doctrina, & non de Mẽnoniana, neque de Lutherana, neq; de Bullingerana aut Bucerana aut Oecolampadiana locutus est. Nam eadem facilitate dixerit de sese uel Bucerus uel Bullingerus uel Melanchthon uel quiuis alius quòd sua doctrina non sit sua &c. an ob id statim huiusce modi mendacia censebuntur desumpta ex Iohan. 7. eo quòd litera utrinq; uideatur eadẽ, & ex ijsdem syllabis & uocibus non tamen idem significantibus conflata? Non sic impij, non sic. Cùm enim de teipso inquis, dicens: Mea doctrina non est mea &c. quid est hoc aliud quàm si diceres, Mennoniana doctrina non est Mennonis &c. Iam uerò constat quòd euangelista nihil quicquam de Mẽnoniana doctrina scripserit, ut diximus. Vides igitur quantis spacijs ab euangelica & litera & ueritate absis, ni omnino sis cæcus.

Io. 7

Menno mentitur.

Imo

Imo quòd multo intolerabilius est, non modò cum litera Euangelij, sed etiam tecum pugnas. Quòd enim fingis tibi esse certissimum, nobisq; uis esse persuasissimum, tuam scilicet doctrinam esse ex Deo, ideo ipsum alibi in eodem libello tibi dubium esse ostēdis, in hunc modum loquens: Si est uerbum Dei quod docceo (iudicent spirituales) ergo oportet acceptetis in nomine Domini, nisi perire uelitis. Sin doctrina humana, sit maledicta & execrata à Deo. Vides itaque lector uel hoc unico exemplo (qualia adhuc plurima non minus absurda adducere possim, nisi & nimis longum esset, & alienum ab hoc instituto) quòd nostri Plastochristiani, quamuis plurimùm glorientur in litera, ab ea tamen sint longè lateq; alieni, partim quòd eam intelligan quidem, at perperam intelligant, partim quòd lacerent eam depraucent atque corrumpant, partim quòd spiritu sancto ueritatis magistro sint uacui. Menno sibimetipsi contrarius est.

Nunc reuertamur, unde digressi sumus, ad alterum illud uerbū Dei declarādum, in cuius litera iam ostendimus frustrà gloriari hæreticos. Ex quo quidè uerbo Dei audito quāuis sit fides, ut ait, Apostolus. Non tamen ita, atq; ex superiori uerbo, quod diximus esse ipsum Christum. Hoc enim uerbum siue lectū siue auditum, etiamsi ex ipso Christo audiatur, sintq; auditores attenti et benigni, quales erant Apostoli cū Christo magistrorum optimo ad tres annos uersati, deniq; etiamsi tota scriptura ad unguē memoriter sciatur, non potest ex se solo generare in nobis fidem uiuam, licet historicam & literalem ex se fidem generet, nisi simul & uerbum illud uiuum atque uiuificum Christus Roma.10.

Quomodò ex verbo dei fides.

Hier.31

stus Iesus intus operetur, et sua infinita potentia per spiritum sanctum det leges suas in mentem nostram, & in cordibus nostris superscribat eas, non modò ut sciamus & intelligamus, sed etiã ut eæ nobis bene sapiant, utq; quod mandant, ex animo perficere uelimus ac possimus, hoc est, ut ipse sit nobis in Deum, & nos ei in populum. Hier. 31. Id quod uel sine auditu uerbi exterioris præstare potest Deus, præstitit q; sæpenumero, atq; quotidie ex parte aliqua præstat, in parvulis baptizatis, secundum mensurã ipsorum, donec grandescant, & auribus legem & audire & discere possint. Præterea hoc uerbum Dei quod diximus lectile atq; auribus perceptile, permanet quidẽ in æternum, sed non perinde atq; superius illud uerbum uisificum, quem diximus esse Christum. Illud enim nulla sui parte est mutabile. Hoc uero scriptile atq; prolatile uerbum Dei, est quidem æterna & incommutabili ueritate certum firmumq;, ita ut ne minima quidem eius sententia sit unquam futura falsa, quin ita reuera nunc fiat, poste à futurum sit, aut factum fuerit, quemadmodum prædictum, promissum, aut alioqui scriptum erat. Vt interim taceam multa esse admixta impiorum hominum uel dicta uel acta, quæ ad ipsorum a quibus profecta sunt, & non ad ipsius scripturæ perpendiculum sunt exigenda, ut sunt hæc. Ecce homo uorax & potator uini, publicanorum & peccatorum amicus. Reus est mortis. Isti sunt dij tui Israël, qui te eduxerunt de terra Ægypti. Sit portio tua nostra lex iniusticiæ. Quod enim infirmũ est, inutile inuenitur & c.

Gen.4.5.12.32 & alibi. Exod.3.4

Quomodo verbum Dei manet in æternum.

Mat.11 Matt.26 Exod.32 Isp.2

Aliqua

Aliqua tamen sui parte hoc uerbum Dei aliquãdo cessabit, neq; uim perpetuam in omnibus aut præcipiendi aut exequendi obtinebit. Cessabit enim atque euacuabitur post hanc uitam fides, ut est argumentũ non apparentium. Cessabit spes, quatenus quod nõ uidemus speramus. Cessabit beatitudo lugendi & persecutionem patiendi. Cessabit misericordia Christũ esurientem pascendi, sitientem potandi, hospitem colligendi, nudum uestiendi, infirmum aut in carcere cõiectum uisendi. Denique cessabit munus Apostolicũ docendi, baptizãdi, manus imponendi, dæmonia eijciendi. Et ut semel dicam tota occidens litera in nihilum abibit, omnesq; sacræ scripturæ libri in cineres uertentur, quando elementa calore soluentur, terraq; & omnia quæ in ipsa sunt opera exurentur. Sed spiritus uiuificus uerbi manet in æternum. Quem certum est non habere Plastochristianos, quantumuis litera glorientur, ac quotidie circunferant Euangelia Christi chartaceis libellis quasi tabulis lapideis aut phylacterijs dilatatis inscripta, eaq; ad uerbum memoriter teneãt & grandiloquo ore secundũ literã deprædicẽt, partim quòd ea perperam intelligant, partim q; odio internecino aduersus Romanã Ecclesiam atq; omnia eius membra sic flagrent, ut ueritatis lumen penitus extinguant. Qui enim odit fratrẽ suum in tenebris est, & in tenebris ambulat, & nescit quo eat, quia tenebræ obcæcauerunt oculos eius, 1. Iohan. 3.

Scriptũ Dei uerbum aliqua ex parte aliquãdo cessabit.

Heb. 11

Rom. 8

Mat. 5

Mat. 25

Mat. 10

Mat. 28

Marc. 16

2. Pet. 3

Odium quo flagrãt Pseudochristiani cõtra Ecclesiã dei, est mali totius causa ipsis.

1. Iohan. 2

Hoc dẽmũ posterius uerbum Dei quod diximus audibile, duplicem habet usum, quantum huic loco satis est, ut inde cognoscamus, quomodo in uerbo uitæ baptizemur. Aut enim docet fidem eamq; profitetur.

Duplex usus uerbi.

Aut

Prior vsus docendi.

Aut sanctificat uirtutesq; facit, de priore usu loquitur scriptura sæpissimè. Lucerna pedibus meis uerbum tuum Domine. Lex Domini immaculata conuertens animas: testimonium Domini fidele sapientiam præstans paruulis. Fides ex auditu, auditus autẽ per uerbum Dei. Secundum hunc quidem usum docendi, quamuis uerbum Dei magnificis & diuinis extolliPsal.118 Psal.18 Rom.10

2.Cor.3 2.Cor.3 Pro.30 Rom.1 Luc.1 Matt.13

tur laudibus, ut dicatur & uerè sit uerbum reconciliatiõis, ministratio spiritus & uitæ, ignitus clypeus, uirtus in salutem omni credenti, cornu salutis, & regnum cœlorum, id tamen non intelligitur secundum literam (ut diximus & necessariò repetimus, propterea quòd in hanc petram scandali multi impegerint) sed secundum spiritum. Scribæ enim & Pharisæi audierunt quidem sæpenumero, ex ipsius Christi diuino ore uerbũ Dei, sed cum timor Domini sanctus permanens in sæculum sæculi non esset in ipsis, cæterum iustitiæ & sapientiæ inanis iactantia, odiumq; Christi, factum est, ut iudicia Domini uera quidem & iustificata in semetipsam, desyderabiliaq; super aurum & lapidem preciosum multum, & dulciora super mel & fauum, non fuerint ipsis ministratio uitæ et pacis, sed damnationis & mortis.

Psal.18 Io.9 Io.8.15 Psal.18

2.Cor.3

Docendi, an teq̃ baptizẽtur, qui sunt capaces doctrinæ.

Porrò hic usus uerbi diuini, quem docendo exercemus, debet præcedere baptismum, si modò ipsi baptizandi sint doctrinæ capaces. Act.2. & 8. & 10. Si uerò quis ueniat ad Christum baptizandũ, non capax doctrinæ euangelicæ, ut sunt paruuli, fatui, atq; surdi, aut cui non sit opus doctrina, ut erat Christus, petens baptizari ab Iohãne, huic non est necessarium ut uerbum doctrinæ præcedat baptismum, ut alibi latius.

Mat.19 Mat.3

Imò

Imò quamuis sit adultis uerbum intelligentibus necessaria fides prævia, ex auditu uerbi nata, nõ tamen dicuntur baptizari in uerbo doctrinæ apud Apostolũ, ut suprà dictum est.

Nõ dicimur baptizari in verbo doctrinæ.

Sed in uerbo uitæ baptizamur, hoc est, uiuificante uidelicet in uerbo sanctificationis atq; cõsecrationis, teste Apost. 1. Cor. 6. cũ inquit. Hæc quidẽ fuistis, sed ablati estis, sed sanctificati estis, sed iustificatis estis, in nomine Domini nostri Iesu Christi, & in spiritu Dei nostri. Nomen enim Christi, per quod intelligit nomẽ patris & filij & spiritus sancti (ut diximus) est uerbum ablutionis, sanctificationis & iustificationis, non quidẽ uirtute prolationis humanæ, sed in spiritu Dei nostri, & per institutionem Iesu Christi.

In verbo cõsecrationis baptizamur

Hic est itaque alter uerbi Dei usus, ut sanctificet & uirtutes faciat: de quo, præterquàm quæ nunc diximus, & alias sæpissime loquitur scriptura. Mat. 8. Eiiciebat spiritus uerbo: non uerbo docendi, sed sanctificandi, mundandi, sanandi, uirtutesq; operãdi uerbo. Luc. 10. Etiam dæmonia subijciuntur nobis in nomine tuo. Act. 4. Manum tuam extendas ad sanitates & signa & prodigia facienda per nomen sancti filij tui Iesu. Mat. 8. Dic uerbo, & sanabitur puer meus.

Alter verbi vsus, vt eo sãctificemur & consecremur domio.

Quia igitur omnis creatura, iuxta Apostolicam doctrinam, sanctificatur per uerbum Dei & orationem, estq; illud Christi nomẽ tam efficax, ut quidquid in eo petamus, assequamur. Hinc est cur Christus præcepit baptizandum in nomine patris & filij & spiritus sancti, tanquàm in uerbo uiuificandi, sanctificandi, sanandi, iustificandi atq; illuminandi potentissimo, in quo & dæmonia per baptismum ex nobis eijciantur,

Conclusio 1. Tim. 4 Io. 16 Mat. 28

tur, & nos saluemur, addita promissione certissima.

Marc.16 Qui crediderit et baptizatus fuerit, saluus erit. Nec enim aliud nomen sub cælo datum est hominibus, in

Act.4 quo oporteat nos saluos fieri. Cuius nos salutis faciat participes, qui est in æternum benedictus Christus Dominus noster.

Quis sit verus baptista, & quis minister baptismi. Cap. IIII.

Quiuis homo in necessitate potest administrare baptismũ

MInister Baptismi in necessitate potest esse quiuis homo mortalis, etiam si sit impius, infidelis, hæreticus, excõmunicatus, schismaticus, siue uir siue mulier, modò intendat uelitue & possit baptizare, quemadmodum Christus præcepit baptizãdũ, atq; utatur forma uerborũ à Christo præscripta, et ab ecclesia Dei hactenus usurpata, quæ est ut dixim⁹. Ego te baptizo in nomine patris & filij et spũs sancti, etiãsi interim nesciat baptizator aut quæ sit uera Ecclesia Christi, aut quæ sit uirtus baptismi. Nemo tamẽ potest uel suipsius, uel eius qui semel baptizatus sit, esse baptizator.

Mat.28

Mat.3 Heb.6

Porrò præsente bono & fideli nõ est admittendus ad baptismum administrandũ neq; infidelis neq; malus, præsertim quem constet esse talem, quemadmodũ neq; fœmina præsente uiro, neq; laicus seu prophanus præsente clerico. Quemadmodũ enim si mali baptismum administrent bonis, aut si boni malis, ijsq; manifestè agnitis, peccant ipsi ministri, dicente scriptura.

Boni potius ẽ mali ministri quærẽdi

ra. Mundamini qui fertis uasa Domini. Et nolite dare sanctum canibus, neq; mittatis margaritas uestras ante porcos. Ita si quis petat baptismū ab impijs, hæreticis, schismaticis, aut quouis alio scelere contaminatis, si modò eos tales esse manifestè nouerit, posit q; eadem facilitate habere aliū ministrū, cui nq; bonū precet & ipse, sibi q; efficiet baptismū, quantumuis (si animo non ficto suscipiat) uerum, nutlam tamē, ac sine fructu remissionis, dicente scriptura. Recedite à tabernaculis impiorū hominum. Quæ societas luci ad tenebras? Item scripsi uobis (inquit Apostolus Corinthijs) si is qui frater nominatur inter uos est fornicator aut auarus, aut idolis seruiens, aut maledicus aut ebriosus, aut rapax, cum huiusmodi nec cibum sumere.

Ef.52
Mat.7
Num.16
2.Cor.6
1.Cor.5

Solus sacerdos extra necessitatē est baptismi minister.

Cæterum, extra necessitatem, solus presbyter & publicus Ecclesiæ in diuinis consecratus minister, adhibendus est baptismo Christi administrando, isq; bonus, ut diximus, quatenus fieri potest, si uidelicet pari facilitate integrum sit accedere bonum atq; malum. Bonum autem, sine temerario & curioso iudicio, haberi uolo, de quo non constet aperte contrarium. Pastorem autem proprium, qui ipse soleat & uelit suis administrare sacramenta, non dico uitandum, nisi sit & excommunicatus & publicè denunciatus. Sed hæc ualeant.

Quis sit bonus habendus.

Proprius pastor nō necessario uitandus quantūuis malus, nisi excōmunicatus & publicatus.

Audiamus uerò quare magis sacerdos quàm prophanus sit baptismi minister. Id docebat Apostolus 1. Corinth. 4. cum inquit. Sic nos existimet homo, ut ministros Christi, & dispensatores mysteriorum seu sacramentorum Dei. Et capite superiori. Quid est

Probatio ex sacris cur solus sacerdos baptismi minister sit extra necessitatem.

Apollos? quid uerò Paulus? Minister eius cui credis distis. Et paulò post. Dei coadiutores sumus. Dei agricultura, seu (ut Erasmus Græcã uocẽ γεώργιον interpretatus est) agricolatio estis, Dei ædificatio estis.

Duo ordines in ecclesia.

Ecce duos ordines statuit Apostolus. Alterum eorum qui Deo cooperantur, & quasi cum Deo colunt agrum & uineam Domini, plantando, rigando, atque mysteria Dei, inter quæ & baptismum numerat, dispensando. Alterum uerò eorum qui ædificantur, colluntur, plantantur atq; rigantur à ministris Christi, & à Deo incrementum accipiunt.

Ordo sacerdotum.

De priori quidẽ ordine dixit spiritus sanctus Act. 13. Segregate mihi Saulum & Barnabam, in opus ad quod assumpsi eos. Vnde & illi ieiunantes & orãtes imponentesq; eis manus, dimiserunt illos, de qua quidem manuum impositione dixit Apostolus Timotheo suo prioris epistolæ cap. 4. Noli negligere gratiam quæ est in te, quæ data est tibi per prophetiam, cum impositione manuũ presbyterij, aut (interprete Erasmo) authoritate sacerdotij. Presbytros enim uocat nouum testamentum sacerdotes, sicut & Iudith 8. & 15. atque alibi, quamuis ipsum uocabulum sonet seniores. Dicitur enim ipse Timotheus quantumuis adolescens presbyter. Quin & Paulus ipse necdũ senex sed qualis erat dum manuum suarum impositione constitueret Timotheum presbyterum, & presbyter dicitur. Rursus posterioris ad Timotheum epistolæ cap. 1. Admoneo ut resuscites gratiam quæ est in te per impositionem manuum mearum. Id quod prius dixerat cum impositione manuũ presbyterij aut sacerdotij,

Presbyteri sunt sacerdotes.

1. Tim. 4. 5

Act. 16.

1. Tim. 4

dotij, ut diximus. Præterea ad Heb.5. Omnis pōtifex ex hominibus assumptus, pro hominibus constituitur. Iam autē suprà audiuimus Paulum & Barnabam iussu spiritus sancti ex alijs fuisse assumptos atq; segregatos. Erant ergo pontifices por hominibus constituti, ut dona & sacrificia offerrent pro peccatis. Act.13

Nam quamuis generali appellatione, quemadmodum apud Iudæos, ita & nunc apud Christianos, omnes homines sint quodāmodo sacerdotes, ut exhibeāt corpora sua hostiam uiuentem, offerantq; hostiā laudis semper Deo, id est, fructum labiorum confitentiū nomini eius. Quod enim dicitur de nobis omnibus 1.Pet.2. regale sacerdotium. & Apocal.5. fecisti nos Deo nostro regnum & sacerdotes (quas scripturas Mœnno urget, & putat ex illis ostensum quod omnes Christiani sint ex æquo sacerdotes.) Id ipsum etiam dictum erat de omnibus Iudæis Exod. 19. Vos eritis mihi in regnum sacerdotale. An omnes homines sacerdotes. Ro.12 Heb.13 Menno

Propria tamen appellatione, qua sacerdotes ex hominibus segregati, & pro hominibus constituti atq; consecrati intelliguntur ad mysteria Dei dispensanda, & potißimum ad illud obeundum, quòd Christus solis Apostolis & eorum successoribus dixerat: Hoc facite in meam commemorationem (intererant enim soli Apostoli, non Maria mater Domini, non Magdalena, non Lazarus nec alij quiuis discipuli, ad quos spectat quidem cœna, sed eo modo, quo Iohan.6. docetur) quemadmodum neq; in lege Mosaica, sic neq; in lege Euangelica omnes sunt sacerdotes, ut neq; omnes reges, sed quos per spiritum sanctum Ecclesia orando, ieiunando, manusq; imponendo, ac sanctificando ad Non omnes homines propria appellatione sacerdotes. 1.Cor.11 Act.13

do ad munus Apostolicũ instituit, hoc est, constituendo per episcopum sanctificauit atq; consecrauit. Omnis enim creatura Dei sanctificatur per uerbum Dei & orationem.

1.Tim.4

Mat.12

Quemadmodum enim omnes dicimur tropica appellatione matres Domini Iesu, cùm interim propria appellatione non sit nisi una mater eius Maria, omnes dicimur dij & filij excelsi, cũ tamen appellatione propria non sit nisi unus Deus, & unus filius excelsi Christus Iesus. Ita etiã translaticia appellatione omnes dicimur sacerdotes & reges, ut etiam ethnicus poëta nouit, dicens: Rex eris, aiunt, si recte facias, propria uerò appellatione pauci sumus uel reges uel sacerdotes, nimirum quicunq; ad id segregati atque constituti sumus.

Omnes sumus matres Iesu, nõ est propriè tamẽ nisi una eius mater.

Reges latè dicti.

De hoc autem consecrato ordine fungendi munere Apostolico, qui inter Christianos, quemadmodũ etiam inter Iudæos, à prophano atque laico ordine, uere segregatus atque distinctus est, quamuis hic non sit locus diu differendi, adferam tamen obiter testimonia duo ex prophetis, eo quòd multi non admodum multis abhinc annis exorti sint atque insurrexerint contra Ecclesiam Dei, qui Christianorum sacerdotium à laicorum ordine distinctum negent. Inter quos & ipse Menno haudquaquam proletarius uult uideri.

Menno cum hereticis putat oẽs homines æquè sacerdotes esse

Alterum testimonium erit Esaiæ euangelici prophetæ cap. 65. Vbi propheta loquens, ut alibi sæpissimè, de Ecclesia Christi ex omnibus gentibus congreganda, Annunciabũt inquit, gloriam meam gentibus, & adducent omnes fratres uestros de cunctis gentibus donũ Domino in equis & in quadrigis, & in lectis

Ex Esaia patet non oẽs Christianos esse sacerdotes.

eis,

cis, & in mulis, & in carrucis, ad mõtem sanctũ meum Hierusalem, dicit Dominus, quomodò si inferant filij Israel munus in uase mundo in domum Domini. Et assumam ex eis in sacerdotes, et leuitas, dicit Dominus. Hoc uaticinium esse impletum, cùm Apostolorum in omnem terram exierat sonus, & cõgregarat, sicut & hodie adhuc congregat, turbam magnam ex omnibus gentibus & tribubus & populis & linguis, camq; quantã dinumerare nemo possit Apoc. 7. non unitate loci sed fidei, in domum Domini, quæ est Ecclesia Dei uiui, columna & firmamentum ueritatis, nemo est Christianorum qui dubitet. 1. Tim. 3

Quis igitur est qui addubitet, quin & illud sit impletum, quod addidit propheta eodem uerborũ contextu, assumendos quosdam ex adductis ad montem sanctum Hierusalẽ, sacerdotes ac leuitas, ac proinde non ex æquo oẽs Christianos, sed duntaxat ex hominibus assumptos, & pro hominibus constitutos ut dona & sacrificia offerant, esse sacerdotes et publicos Ecclesiæ ministros? Heb. 5

Alterum testimonium est Hier. cap. 33. ubi inquit: Germinare faciam Dauid germen iusticiæ (quis est iste Dauid nisi Christus Iesus?) & faciet iudicium & iusticiam in terra. In diebus illis saluabitur Iuda, & Israel habitabit confidenter. Et hoc est nomen, quod uocabunt eum, Dominus iustus noster. Quia hæc dicit Dominus: Non interibit de Dauid uir qui sedeat super thronum domus Israel (is est summus pontifex, uolentibus nolentibus hæreticis) & de sacerdotibus & de leuitis non interibit uir à facie mea. Rursus paulò post. Ex Hieremiadipsum quoq; patet, nõ omnes ex æquo esse sacerdotes. Sũmus pontifex.

Hæc dicit Dominus, Si irritum poteſt fieri pactum meum cum die, & pactum meum cum nocte, ut non ſit dies & nox in tempore ſuo, & pactum meum irritum eſſe poterit cum Dauid ſeruo meo (loquitur de uero Dauid nempe Chriſto Ieſu) ut non ſit ex eo filius, qui regnet in throno eius (is eſt rurſus ſummus Pontifex, uelint nolint hæretici. Nam pro patribus, nati ſunt tibi filij, conſtitues eos principes ſuper omnem terrã. Hi ſunt autem Apoſtoli & eorum ſucceſſores, quibus & ipſe Imperator in Chriſto ſubeſt) & leuitæ & ſacerdotes miniſtri mei. Sed hæc miſſa faciamus, quæ obiter diximus, propter eos qui turpiter & perditè hac in re errant, ut, ſi fieri poteſt, hæc & huiuſmodi penſiculantes conuertantur, & uiuant.

Summus põtifex. Pſal. 44

Recapitulatio ſuperiorũ cum concluſione.

Duos itaq; ex Apoſtolo didicimus eſſe Chriſtianorũ ordines: Alterũ eorum qui plantantur, Alterum uerò eorum qui plantant, & ſacramenta Dei diſpenſant, quos ob id uocat miniſtros & cooperarios Dei, atque diſpenſatores myſteriorũ. Conſtat igitur, cum ſit & ipſe baptiſmus non exiguũ myſterium Dei, non eſſe eorum officium, adminiſtrare baptiſmũ, qui ſunt in ordine plantandorum & rigandorum, niſi neceſſitate urgente, ſed eorum qui à ſpiritu ſancto per epiſcopos Eccleſiæ, ad plantandi rigandi ac myſteria diſpenſandi munus ſegregati ſunt.

1. Cor. 4

1. Cor. 3

Act. 13.

Cur potius in neceſſitate quiuis baptiſmi, q̃ aliorũ ſacramentorum poſſit eſſe miniſter.

Miraris forſan, Chriſtiane lector, cur quiuis ſiue uir ſiue mulier, ſiue prophanus ſiue ſacri ordinis, poſſit eſſe miniſter baptiſmi, & non quorumuis aliorum ſacramentorum, ut non corporis Chriſti conſecrandi, non ſoluendi, aut ligandi, non confirmationis neq; ordinis ſacri. Hæc res latiorem requirit declarationem,

quàm

quàm ut hic sit plenissimè discutienda. Nam ad præsdo baptismá festinat nostra oratio. Quantum itaq; huic loco satis est, dicimus id nobis inde cõstare, quòd Apostoli missi sint docere & baptizare (baptizasse enim eos etiam tempore peregrinationis Christi constat ex Iohanne 4. neque id eos fecisse uerisimile est sine missiõe) anteq̃ eis data esset potestas corporis Christi consecrandi, quæ data est in ultima cœna, seclusis mulieribus, dicente Christo, hoc facite in meam commemorationem. Atque hac potestate accepta, non statim & remittendi peccata atque retinendi facta est eis potestas, quæ in die resurrectionis data est primum dicente Christo. Iohan. 20. Quorum remiseritis peccata, remittũtur eis, et quorũ retinueritis retenta sunt.

Missi sunt docere & baptizare iter Iudæos Apostoli, anteq̃ facta esset eis potestas corporis Christi cõsecrandi.

Addam & hoc obiter, quod Philippus ille, non Apostolus, sed unus è septem, quem Lucas appellat euangelistam, hoc est ad prædicandum Euangeliũ eum alijs discipulis missum, cui et quatuor erant filiæ prophetantes, si Samaritanos post baptismum à se administratum eadem facultate potuisset per manuum impositionem, spiritu sancto confirmare (unde intelligimus id esse solorum Episcoporum) non opus fuisset ob eam rem ex Hierosolymis mittere Petrum & Iohannem. Hinc igitur intelligimus ministrum uerbi & baptismi esse posse, qui tamen non sit minister corporis Christi consecrandi, aut peccata remittendi & retinendi, aut manuum impositione uel confirmandi uel ad munus Apostolicum quenquam mittendi.

Act.6 Act.21.

Act.8

Conclusio

Cuius rei ratio hæc est, ni fallor, quòd eum Deus uelit omnes homines saluos fieri, sitq; baptismus cuilibet magis ad salutem necessarius, quàm alia à Christo

Ratio superiorum. 1.Tim.2

Iohan.3 Mat.19 Marc.16

sto instituta sacramenta, prouidit Christus, ut necessitate urgente facilius & promptius sit inuenire baptizatorem, quàm si solos sacerdotes aut episcopos eius rei feciſſet miniſtros. Quomodo enim eos semper, præsertim temporis excluſi ſpacijs, ad manum habere poßimus?

Quomodò malus verũ baptiſmũ ad miniſtrat.

Miraris propterea, ut cõijcio, quomodo poßit hæreticus, infidelis, aut quiuis malus, baptiſmum in necessitate administrare. Aut potius quomodo ab impijs administratum baptiſma, ſit uerus Christi baptiſmus, cùm dicat Dominus per prophetam: Maledicam benedictionibus ueſtris. Ad id reſpondebimus paulò pòſt, ubi prius oſtenderimus cuius poteſtate atq; uirtute & cuius authoritate atq; nomine baptiſmus detur, an miniſtri, an alicuius alius: & quis uerè ſit atq; dicatur baptiſta, deniq; cuius ſit baptiſmus.

Malach.2

Si enim qui baptiſmum administrat, ſic eum totum propria uirtute, propria authoritate, proprioq; nomine administrat, quemadmodum qui pannum rudem tingendo & lauando reddit mundum atque humanis uſibus aptum, id totum ſua uirtute, ſuoq; nomine facit, ſua (inquã) uirtute, diuinitus tamẽ accepta (quid enim habes quod non accepiſti?) ſi, inquam, eſt æqualis potentia utriuſq; ad utrũq;, ita ut quemadmodum hic à lauãdo pãno dicitur fullo, ſic etiam ille à baptizãdo homine dicatur baptiſta, certè bonitas miniſtri magnum ac penè neceſſariũ momẽtum habet. Sed longè alia ratio eſt, in lauacro regenerationis, atq; in lauacro ueſtium purgandarum, aut etiam q̃ in lotione totius corporis humani, citra baptizãdi intentionem & formã facta. Nam omnis lotio quæ extra baptiſmi

Quò differat lotio baptiſmalis à quauis alia prophana lotione.

1.Cor.4

Lotio prophana.

rationem

rationem fit, etiamsi uel centum annos in tota totius mundi aqua addito smigmate, corpus cuiusquā, omni adhibita arte laues, cum non habeat annexam neque institutionem, neque promissionem, nihil aliud efficit quam quod foris ostentat. Baptismi autem lotio, cum Christi institutionem adiunctam habeat, aliud intus operatur quàm foris cernas: quod quidem totum minister ipse sua uirtute attingere non potest. Vnde fit ut minister operans foris, non dicatur baptista, neque uocet baptismum à se administratū, baptisma suum, sed Christi, non modò quia iussu & authoritate Christi, sed etiam quia magis potentia, uirtute atq; operatione Christi administratum, quàm sua ministrantis, ut probabimus.

Lotio sacra baptismi.

Minister nō est baptista, sed Christus

Nam in baptismo Christus ipse plus operatur quàm minister, Nō quidem ea ratione, qua nobis ipse in omnibus operibus nostris cooperatur, iuxta quod dicit: Sine me nihil potestis facere. Et per prophetam quod dicitur: Domine dabis pacem nobis, omnia enim opera nostra operatus es in nobis. Sed peculiari quadam ratione, qua secundum suam institutionem in baptizando nobis ita cooperatur, ut non modò lotionem externam adiuuet (nam & eam sine eo facere non possemus) quæ quidem minima est pars baptismi, sed etiam ut inuisibiliter assistat, & sanguine suo per spiritum sanctum intus lauet, mundet, ac sigillo suo signet animam, quam neque minister, neque aqua ullo modo contingere potest, quæ sanè est præcipua & dignissima baptismi pars, appellaturq; res seu effectus sacramenti.

Deūs q̄uis in omnibus nobis risoperib⁹ cooperetur nobis, multò tamen aliter in baptismo q̄ in quibusuis prophanis.

Dignissima baptismi ps.

Quoniam

Quarenemo baptisma Christi à se administratum vocat suum neque se baptistam

Quoniam igitur Christus ipse potissimo baptizandi munere perfungitur, dans spiritum promissionis sanctum, animamq; suo sigillo insigniens, ut proximo capite latius patefiet, minister autem non nisi minimum officium corporis lauādi exequitur, idq; non sua potestate, authoritate atq; nomine, neq; suis meritis, sed Christi redēptoris, hinc est cur Christi baptisma semper dicimus, siue à Paulo, siue à Petro, aut ab Apollo aut ab alio quouis ministro administratum, et non baptisma Petri, Pauli aut cuiusquam ministrorū. Meritoq; Christus ipse solus est uerus baptista, Paulus autem non nisi minister & coadiutor Christi, 1. Corin. 3. Iam autem non potest quisquam diei cooperarius Christi, nisi Christus ipse sit operarius, imo præcipuus author. Nemo enim dicitur cooperarius cuiusquam, qui nihil ipse operatur. Neq; prætereà dicimur cooperarij Dei, quando uestes, aut manus, aut pocula lauamus, quauuis huiusecmodi non lauemus sine Deo adiuuāte. Sed dicimur cooperarij Dei quando baptisimum administramus, aut etiam quando alia Dei mysteria dispensamus, nimirū quia in hisce multo aliter nobis cooperatur Deus, atq; in illis, ut diximus.

Probatio ex sacris q̄ multo aliter cooperetur nobis Deus in baptismo q̄ in alijs prophanis.

Scd quando nobis res est, cum nouis quibusdam (ut sic dixerim) Thomistris, qui nihil credere uolunt, nisi quod uideant & palpent, oportet ut ad scripturam tanquam ad Christum hanc causam referamus, ut ubi uiderint quasi fixuram clauorum in manibus eius, & miserint digitos suos in loca clauorum, & miserint manus suas in latus eius, tum demum saltem credant.

Io. 20

Quod itaq; diximus id ab Apostolo Paulo didicimus, qui Corinthios inter sese disceptantes atq; discentes

Non melius est baptisma

ēentes: Ego quidem sum Pauli, ego autē Cephæ, ego uerò Apollo, quasi melior & Christianior esset, qui à meliori uel digniore ministro baptizatus esset, ut eorum inanem iactātiam, & inflationem unius aduersus alium frangeret atque contunderet, grauiter arguit dicens: Diuisus est Christus? Christus enim esset diuisus, si ob diuersitatem ministrorum, fuisset Christi baptismus diuersus, et non potius idē atq; unus, ob unius Christi in omnibus cooperantis eandē ubiq; uirtutē. Sequitur, Nunquid Paulus crucifixus est pro uobis? aut in nomine Pauli baptizati estis? Quasi dicat. Is qui pro uobis crucifixus est, & in cuius nomine baptizati estis, cuius & nos sumus cooperarij, præcipuus est author & dator baptismi omnium uestri, quippe in quo & per quem baptizati estis, non autem in nobis, aut per nos, nisi tanquā per ministros eius ad dandam baptismi uim atq; energiam ex nobis inutiles atque insufficientes. Quid ergo estis inflati unus aduersus alium pro alio? Ego plantaui (inquit Apostolus) Apollos rigauit: sed Deus incrementum dedit. Itaque neque qui plantat est aliquid, neq; qui rigat, sed qui incrementū dat Deus. Hoc est, externa lotio, quam solam potest minister uirtute sua absoluere, est in se minimi momenti, sed internus effectus, quē Christus ipse secundum institutionem ac promissionē intus operatur, is est plurimi momenti, qui & idem est in omni baptismo à quocunque administrato, nisi obicem ponat is qui baptizatur, ob quem quidē fructū, seu incrementum à Deo acceptum (ut loquitur Apostolus) & baptismus dicitur mysterium Dei, hoc est, arcanum quiddam, sub quo lateat absconditū atq; occul-

Christi siue ab optimo & dignissimo, siue ab infimo ministro dispēsatum. 1.Cor.1.3.

1.Cor.4
1.Cor.3

Mysterium

occultum quid, idq; diuinum, longè aliud ab eo quod foris cernitur, cuius quidem interni, id quod foris sentitur ex Christi institutione est efficax signum.

Sacramentũ

Quod uerũ mysterium, quo usus est Apostolus græce scribens, nos uertimus Sacramentum, sed non tam pulchra atque emphatica deductione, quantum ad hanc rem præsentem spectat. Sacramentum enim dicitur apud nos à sacrando, hoc est, consecrãdo, Deo dicando, & in militiam Christi inaurhorãdo. Milites enim prophani, & Sacramẽto sese obstringebãt prius q̃ suo Imperatori nomen darent. Simili quadã ratione & nos in baptismo cõsecramur, atq; dedicamur Deo, & in eius militiã sub Christo Imperatore longè optimo maximoq; conscribimur, quasi iuramento cõstricti nos fore ei fideles, neq; ad eius aduersarij castra unq̃ transfugituros. At græca uox mysterium ἐμφατικώτερον & significantius explicat latinorum eanq; sacramentum baptismi, dictum ἀπὸ τοῦ μύειν quod est claudere, abscondere, & celare.

Mysterium.

Dum itaq; Apostolus numerat baptismũ inter mysteria Dei dicens: Sic nos existimet homo ut ministros Christi & dispensatores mysteriorum Dei, sine dubio significat aliquid diuinum intus latere clausum atque absconditum, quod foris non uideatur, quodq; Deus ipse operatur solus, qui dat incrementum. Vnde & sacramentum seu mysterium proprijssimè acceptum, ut uidelicet quadret tantum septem illis eximys nostræ legis à Christo institutis sacramẽtis, definiunt esse inuisibilis gratiæ uisibilem formam.

Sacramenti definitio.

Quòd uerbũ Dei etiã

Quod autem super primum caput ad Coloss. ubi Apostolus uocat & uerbũ Dei mysterium, in annotationibus

tionibus suis quidam in re seria, quasi leuiuscula, suo more ludit, & antiquam Ecclesiæ fidem eaṅq; ueram de septem Christi sacramentis, leuiter quasi uanitatis suspicione perstringit, dicens quidem interrogatiuè hoc modo: Cùm hic Paulus uerbum Dei uocarit mysterium, quod interpres sæpè uertit sacramentũ, cur nõ addunt hinc octauum sacramentum? sed non ὁριστικῶς suâ ipsius sententiâ satis aperiens, quid est hoc aliud, q̃ cornicum oculos configere, (ut ethnicè loquar) & rudimenta Christianæ fidei in dubiũ uocare, & ad ea labefactanda, conuellenda, atq; destruenda, non aperto quidem Marte arma sumere, neque id audere, sed alijs ad hoc perpetrandum, elaßicum canere, qui aus sint miscere sacra prophanis?

dicitur mysteriũ seu sacramẽtum, inde non est consequens plura esse sacramenta q̃ septem.

Quasi uerò si latius usurpatum inueniatur sacramenti uel mysterij uocabulum, quàm de solis septem sacramentis, ob id statim plura sint noue legis sacramenta, quàm septem. At eadem ratione dixeris et plures esse uel deos uel Christos, cùm utraque uox aliquando latius accipiatur, quàm ut hæc de solo nostro redemptore dicatur, ut ibi: Nolite tangere Christos meos, & illa de solo uero æternoq; Deo, ut 1. Corinth. 8. Sunt dij multi, & domini multi.

Eadem vocabula aliquãdo latè, aliquando strictè capiũtur

Deus

Christus.

Psal. 104

Quis nescit uix ullũ esse uocabulũ, quod nõ possit aliquãdo προσικῶς à sua propria et genuina significatione deflecti? Imò & nunc latius, nunc strictius sumi? Nã ecclesia, si uocabulũ spectes, cũ sonet cœtũ uel cõgregationẽ, uel euocatã concionẽ, est multò latior q̃ nos accipimus Christiani, dum dicimus unicam esse Ecclesiam. Athenienses enim Ecclesiã uocarunt σύνοδον τῶν κατὰ τὴν πόλιν. Et apud Homerum pro quouis

Ecclesia

quouis cõcilio ferè capitur, seu pro comitijs. An ideò non erit unica Christi ecclesia, quòd id uocabuli nati ua sua significatione longius se dilatet? Quãuis itaque mysterium accipi posit tam uniuersaliter ut significet omne arcanum, non ob id oportet Christi sacramenta & mysteria propriissimè dicta esse plura, quàm septem. Doleo hominem alioqui doctissimum eloquentissimumq; in re tam aperta, aliena quidem carpendi, sua uerò alijs præferendi libidine excæcatum, ita hallucinari.

Recapitulatio.

Quia igitur (ut redeamus ad institutũ iter) Christus, ut diximus, in baptismo plus operatur quam minister, & potissimam baptismi partẽ solus absoluit, ideò & ipse est baptista, non autem minister. Non enim quemadmodũ præcursor à suo baptismo dicitur baptista. Ita etiã Petrus aut Paulus à Christi baptismo dicẽdus est baptista. Præcursor enim nõ Christi, sed suũ baptisma, iussu tamen Christi administrabat, Paulus uerò non suum sed Christi, ut alibi latius.

Iohãnes præcursor dicit baptista: sed Petrus vel Paulus non item.

Audiamus & Euangelicam tubam clarius resonãtem, Iohan. 1. Qui misit me baptizare in aqua (ait Iohannes baptista) ille mihi dixit. Super quem uideris spiritum descendentem, et manentem super eum, hic est qui baptizat in spiritu sancto. Item Matt. & Luc. 3. atque Marc. 1. Qui post me uenturus est, fortior me est, cuius non sum dignus calceamenta portare, uel corrigiam calceamentorum soluere, ille uos baptizabit in spiritu sancto et igni, hoc est, dabit uobis per lauacrum aquæ in uerbo uitæ spiritum sanctum, & ignem charitatis.

Christus in

Sed quæso mecum animaduertite quid sit, quòd

dixit bas

ait baptista de Christo, quòd uidelicet ille baptizabit in spiritu sancto eos, quos Iohannes baptizarat in aqua. An Christus suum baptismum propria manu ita administrauit, quemadmodũ Iohãnes suum: ut quemadmodum ad Iohannem exibat omnis Hierosolyma, et Iudæa, & omnis regio circa Iordanem, baptismi suscipiendi gratia (ipse enim Iohannes quamuis haberet discipulos, non tamen legitur eos misisse baptizatũ, cæterùm sua ipsemet manu baptizabat omnes) sic ad Christũ omnes uenerint, ut ab eo baptizarentur, eius manu foris operante, spiritu uerò intus uiuificante? Minimè profectò. Christus enim sua manu uix aliquibus præter Apostolos suum baptisma administrauit, sed id semper per ministros suos fecit, dicente Euangelista Io. 4. Audierunt Pharisæi quòd Iesus plures discipulos faceret & baptizaret q̃ Iohannes: quanq̃ Iesus nõ baptizaret, sed discipuli eius. Quomodo igitur affirmat baptista Iesum baptizaturum, què euangelista ait non baptizasse. Nempe, ut diximus, quòd semper ministro foris lauãte, Christus intus lauet, nisi lauandus obicem ponat, ita ut sui baptismi magis Christus, quàm minister sit dator, ac proinde meritò ipse sit solus baptista, non autem minister, teste prophetа: Iste asperget gentes multas.

omni suo baptismo ritè administrato ipse baptizat in spiritu sancto & igni.

Mat. 3
Marc. 1

Christus ipse manu sua vix vnquàm baptizauit.

Es. 52

Nunc ita q; clarè patet cur baptismus Christi non sit melior aut dignior aut Christianior ex eo quòd a digniori uel meliori datus sit ministro, quemadmodũ putabant Corinthij, quorũ qui à Paulo aut Petro tanquàm à præcipuis baptizati essent, efferebant se gloriosius, & præferebant se ijs, qui ab Apollo uel alio inferioris dignitatis ministro, nescij quòd omnis Chri-

Ex superioribus colligitur & cõcluditur nõ esse baptismum Christi malũ, ob ministrũ malum.

sti baptismus siue à summo siue ab infimo ministro ac ceptus, propter unum baptistam Christum Iesum in omnibus ministris propria potentia, uirtute atq; merito cooperantem, sit unus & idem, æquè dignus & efficax, nisi in nobis sit obstaculum, teste Apostolo Ephe. 4. unum baptisma.

Ministri malicia nõ inficit christiba ptismũ alioqui ritè administratũ.

Patet præterea quòd ministri malicia modò uerè intendat baptizare, ac baptizet ritè quemadmodum Christus præcepit, nõ potest corrumpere Christi baptisma. Alioqui quis erit certus an uerè sit baptizatus? Potest enim fieri ut q nos baptizauit, fuerit adulter, ebriosus, auarus, zodomita, aut alia iniquitate cõ

Iudas baptizauit.

spurcatus. Quin & ipse Iudas ante passionem Christi cum cæteris Apostolis ac discipulis missus erat prædicare atq; baptizare (quomodo enim baptizassent Ioh. an. 4. nõ missi?) qui tamen fur erat non ab heri aut

Mat. 7

nudiustertius Iohan. 11. Præterea si in nomine Christi dæmonia eijciunt, & uirtutes multas faciunt, non sua sed Christi cooperantis uirtute, quos ipse nunquam nouit, cur non & per baptismum in dæmonijs eijciendis Christo cooperari possũt? Non enim minister sed Christus spectandus, cuius sanguine per spiritum sanctum abluimur.

Rursus si is qui baptismum petit, aut cuius nomine petitur, nihil habeat in se incredulitatis, inobediẽtiæ, aut rebellionis contra Deum, quò minus baptismi fructũ atq; efficaciam sit aptus percipere, quomodo potest eum alterius malicia uerè baptizare, uolentis impedire, quò minus promissionis fiat particeps? Ani

Ezech 18

ma enim quæ peccauerit ipsa morietur. Imò promissio atq; constitutio Dei tam est certa atq; firma, ut

nullius

nullius ministri impietas, nomine totius Ecclesiæ opes rantis, utilitatem atq; salutem Ecclesiæ posit impedire. Nam & Deum uidemus tam stare suis dictis, ut etiamsi filius matrem, aut pater filium cognoscat, ut nihil dicam abominabilius, ipse tamen, quoniam semel dixit, Crescite & multiplicamini, tam pollutæ generationi non minus incrementum naturale det, atque spiraculum uitæ inspiret, quàm si sit munda et sancta. Similitudo ex generatione humana.

Vnde Anastasius, Mali (inquit) bona administrando, sibi tantummodo nocent, Ecclesiæ autem sacramenta non commaculant. Et diuus Augustinus. Si superbus fuerit minister, cum diabolo computatur, sed non contaminatur donum Christi. Quod per illum fluit, purum est. Per lapideum canalem transit aqua ad areolas. In canali lapideo nil generatur, sed hortus plurimos fructus adfert. Idem: Quos baptizauit Iudas, Christus baptizauit. Si quem ergo baptizauit ebriosus, homicida, adulter, si Christi erat baptismus, Christus baptizauit. Non timeo adulterũ, nec ebriosum, nec homicidam, quia columbam attẽdo per quam mihi dicitur. Hic est qui baptizat in spiritu sancto. Vide eiusdem libros contra Donatistas. Anastasius. Augustin.

Quod autem per prophetam Malachiam Dominus dicit se impiorũ sacerdotum Iudaicorum benedictionibus maledicturum, significat uel eos ob impietatẽ penitus reijciendos, & alienos à regno Dei futuros, atq; tum eorum benedictiones in maledictiones uertendas: ut nunc cernimus regnum Dei esse ablatum illis & datum gẽtibus. Vel quod si impius secundum proprium arbitrium, non secundum institutionem ac promissionem Dei, neq; uice totius ecclesiæ, quippiã Solutio obiectionis ex Malac. 2. supra positæ. Mat. 2

diuinum administret, seu precando, seu benedicendo, seu aliud quid agẽdo, non semper sit promoturus, sed potius orationem suam sibi habiturus execrabilem. Prouerb. 18.

Obiectio ex cõcilio Carthaginensi.

Porrò *superioribus aduersatur concilium Carthaginense, in quo Cyprianus martyr cum suis episcopis statuit rebaptizãdos, qui fuissent ab hæreticis baptizati, eò quòd putabat non posse hæreticos & qui essent ab Ecclesia Dei alieni ecclesiastica sacramenta administrare.* De quo loquitur & Menno in hunc modum, *in fundamento Christianæ doctrinæ dicens: Cyprianus cum toto concilio concluſit rebaptizandos esse, qui esset ab hæreticis baptizati, sciens huiusmodi baptisma non esse Christi. Idcò discutite uestram fidem, uitam & baptismum, quem hactenus habuistis. Perpendite à quibus baptizati sitis. Item à quo sint missi, qui uos baptizarunt, qua sint doctrina & fide, & quo usu uos baptizarint, &c. Quibus uerbis & id genus multis alijs non relatu dignis nititur persuadere, eos omnes, qui in Rhomana Ecclesia sint baptizati, denuò baptizandos, eò quòd ministri Romani non sint Christi, sed hæretici, qui non possint Christi baptismum administrare.*

Menno hinc suã retinctionẽ, suumq; palimbaptisma cõfirmare nititur.

Menno blasphemat romanã Ecclesiam esse hæreticam.

De *ministris Rhomanæ Ecclesiæ, quòd sint uerè à spiritu sancto missi, & non Mennoniani, alibi fortè tractabitur. Quanquàm ubi hunc libellum absoluero, tum demũ satis uidebitur ostensum.* Hic enim audies *Mẽnonianos turpissimè errare, & in errorem mississe multos de pædobaptismate, quod erit certissimum argumentum ipsos non esse corpus Christi. Ipsum enim corpus Christi à suo capite Christo errare nõ potest.*

Sed

Sed his omissis, hic sufficiat dixisse, in baptismo accipiendo non esse spectandos ministros, sed ipsum autorem sui baptismi Christum Iesum, qui etiam per malos ministros salutem Ecclesiæ operatur, nimirum â pessimis occisus Iudæis, in oblationē & hostiam Deo pro nobis redimēdis in odorem suauitatis. Sicut enim malicia Iudæorum non potuit passionem & sacrificium Christi pro nobis reddere inefficacem in ipsum credituris. Ita etiam malicia ministri neque sua uirtute neque suo nomine operantis, non potest reddere inutilem Christi baptismum ex passione ipsius suam energiam ac fructum suum habentem, ijs qui huiusce modi malicie ministrorum non sunt affines. Probatio nouacōtra concilū Carthaginēse q̄ ministri malicia nō obstat baptismo, quo min⁹ fit ver⁹ ataliad ministratus Eph.5

Nam quòd Christus iubet omnia quæcunque dixerint scribæ & Pharisæi super cathedram Mosi sedentes, seruanda et facienda pro illo tempore, secundum opera uerò eorum non faciendum, cùm dicant & non faciant Idipsum sine dubio & pro hoc tempore, quo cathedra Mosi translata est & mutata in cathedram Christi, intelligimus seruandum, ut si qui sint qui minus rectè ipsi uiuant, doceant tamen & administrent quæ uerè Christi sint, eorum doctrinam & ministerium Christi non omnino fugiamus quasi impium, sed uitam non imitemur. Alia ꝓbatio Matt.23

Id quod & ipse Paulus Apostolus pulcherrimè ostendit ita necessariò obseruandum, dicens ad Philip. primo, quosdam esse qui propter inuidiam, & contentionem atque auaritiam Christum prædicabant, existimantes se pressuram suscitare uinculis eius: super quibus prædicatoribus quantumuis non sincero animo & opere Christum annunciantibus, se tamen Alia ꝓbatio

gaudere & gauisurum pronunciat, dum omni modo siue per occasionem siue per ueritatem Christo annunciatur, tantum abest ut tales, quemadmodū Mens nontani, & reijciendos & non audiendos censeat.

Conclusio. Quicquid igitur Dei, quiuis minister Christi seu bonus seu malus, uerè Christi nomine administrat, id accipiendum non ut à ministro, sed à Christo profectum, excepto, ut diximus suprà, ut cum ministro excommunicato eóq; publicè denunciato, citra urgentē necessitatem, in sacramentis ab eo suscipiendis, communionem non habeas. Si tamen rem cum tali habueris, illeq; Christi officio ritè fungatur, uerum quidem baptismum susceperis, quamuis sic tibi non profuturum, donec pœnitentiam agas.

Ministeri tamē publica denūciatiōe excōmunicatus est vitandus, q̄q̄ & is verū admini strare possit baptismū.

Quod autem spectat ad concilium Africanum seu Carthaginense, scies in genere, concilia uniuersalia, legitimè conuocata & congregata, in quibus & præsidet legitimus successor Petri Apostolorum primi, cui dixerat Dominus pro ipso, & eius successoribus. Ego rogaui pro te ut non deficiat fides tua, tu aliquando conuersus confirma fratres tuos, huiuscemodi, inquam, concilia, in ijs quæ spectant ad fidem, et ad rectos mores, errare non posse. Iuxta uerbum Christi: Ego rogabo patrem, & alium paracletum dabit uobis, ut maneat uobiscum in æternum. Et, Ecce ego uobiscum sum omnibus diebus usq; ad consummationem sæculi. Et, Vbi sunt duo uel tres congregati in nomine meo, ibi sum in medio eorum. Quāto igitur magis est in medio eorū, ubi tota ecclesia fuerit cōgregata? Deus in medio eius (inquit Regius Propheta) non cōmouebitur. Et alibi: Dominus in circuitu populi sui

Conciliageneralia.

Luc.22

Iohan.14
Mat.28
Mat.18

Psal.45

ex

ex hoc nunc & usque in sæculum. Vnde apud Esaiam euangelicum prophetam cap. 59. Cum uenerit Sion redemptor, eis qui redeunt ab iniquitate in Iacob (hoc est Christianis) dicit Dominus, hoc fœdus meum cum eis, dicit Dominus, Spiritus meus qui est in te, & uerba mea, quæ posui ore tuo, non recedent de ore tuo, & de ore seminis tui, dicit Dominus, à modo, & usque in sempiternum. Psal. 124

Prouincialia uerò & particularia concilia, in qui bus non præsidet Petrus, errare possunt. Quale erat hoc concilium Carthaginense: quod & errauit in eo, quod determinarit denuò baptizãdos, qui semel fuissent ab hæreticis baptizati, quasi non posßint hæretici ei administrare uerum Christi baptisma. Neque Ecclesia Dei unquàm eius errori subscripsit: De qua re Eusebius in ecclesiastica historia lib. 7. capite 2. sic ait. Cùm id à Cypriano & cæteris ferè omnibus per Africam sacerdotibus oportere fieri decerneretur (quod scilicet essent retingendi ab hæreticis baptizati) Cornelius, qui tunc erat Romanus pontifex, & cæteri omnes per Italiam sacerdotes, huiusmodi decretum, manente sacerdotali concordia, refutarunt, statuentes antiquitus à patribus super hoc traditam regulam debere seruari. Quæ continebat, post abiectionem praui, & confessionem recti dogmatis, sola eos manuum impositione purgandos. Melior autem fuit caussa Cornelij quàm Cypriani. Nam & posteà non modò Europa & Asia, sed & ipsa Africa Romani pontificis sententiam approbauit, ut patet in scriptis diui Augustini qui erat Episcopus Africanus. Cõcilia particularia. Errauit cõcilium Carthaginense. Eusebius.

Cauſſa erroris.

Cauſſam autem adfert ſanctus Auguſtinus, quàm obrem concilium illud errarit, & ponitur in uolumine decretorum de conſecratione, diſtinct. 4. capite Quomodo. Non ob aliud, inquit, uiſum eſt quibuſdam etiam egregijs uiris & antiſtitibus, inter quos præcipuè beatus Cyprianus eminebat, non eſſe poſſe apud hæreticos uel ſchiſmaticos, baptiſmum Chriſti, niſi quia non diſtinguebant ſacramentum ab effectu uel uſu ſacramenti. Et quia eius ſacramenti uſum atque effectũ, in liberatione à peccatis, & rectitudine cordis, apud hæreticos non inueniebant, ipſum ſacramentum quoq; illic eſſe non putabant. Sic ille:

Explanatio.

Vult dicere beatus Auguſtinus: ut ex ſuperioribus etiam conſtat, cùm non liceat, niſi urgente neceſſitate, cum hæreticis præſertim manifeſtis et publica cenſura, igni & aqua interdictis (ut loquuntur ethnici) cõmunionem habere: ſi quis ab eis petat baptiſmum, cum poſſe quidẽ uerum baptiſmum ab eis ſuſcipere, in quo anima ipſius Chriſtianitatis charactere inſignitur, ſi modò baptiſmus ritè adminiſtretur, ſed non in baptiſmo tali remiſſionem peccatorum accipere, propter obicem peccati, quem ipſe ſibi ponit, quòd contra ſcripturam cõmunicet cum excõmunicatis. Nam

2. Cor. 6

quæ ſocietas lucis ad tenebras? Quod animaduertẽtes Carthaginenſes, non uidelicet dari remiſſionem in tali baptiſmo, inde argumentabantur huiuſmodi baptiſmum non poſſe uerum eſſe, ſed falſo, ut alibi patebit uolente Deo latius.

Error Cypriani non fuit ei neque hæreticus neq; pnicioſus

Cyprianum tamen nihilo minus uerum Chriſti martyrem agnoſcimus, neq; eius errorem fuiſſe ei hæreticum, eò quòd ſi potuiſſet tantiſper uiuere, dum meliorib⁹

lioribus rationibus & ecclesiastica authoritate fuisset in ueritatis uiam reuocatus, utiq; obtemperasset, & sui erroris palinodiam cecinisset, neque mordicus ac pertinaciter suam sententiam Ecclesiæ Dei prætulisset, quèadmodũ faciũt hæretici. Non enim cõtinuò quiuis error, sed erroris pertinacia facit hæreticum.

Quid faciat hæreticum.

Fuisse autem Cyprianum talem, qui Ecclesiæ Dei obtemperasset lubens, si admonitus fuisset, id intelligimus plane ex ipsius scriptis. Epistola enim. 3. lib. 1. multis scripturarum testimonijs & rationibus latißime ostendit episcopis & sacerdotibus Dei etiam malis obtemperandum in bono, dicens non aliundè hæreses unquã obortas esse, aut natas schismata, quàm inde quòd sacerdoti Dei non obtemperatur. Non dubium itaq; quin & ipse admonitus obtemperasset ei, quem summum episcopum esse & sciebat & scriptum reliquit, quẽ & sæpe consuluit. Nam epistola ad Quirinum de sententijs episcoporum concilij Carthaginensis fatetur Petrum à Domino primùm electum, super quem ædificarit Christus Ecclesiam suam, cuius & legitimus successor sit Rhomanus pontifex. Sed his rebus nunc supersedeamus.

Hæreses undeoriantur.

Romanus pontifex verus est successor Petri, & primus antistes ecclesiæ

Tu igitur, o Menno, qui authoritate Cypriani ad tuos errores constabiliendos usus es, cùm uideas eius quantumuis alias sanctißimi doctißimiq;, authoritatem nihil cõtra Ecclesiam Dei, quæ constructa super firmam petram, est ueritatis firmamentũ, posse: quippe in qua humanum quid passus alioqui inclytus martyr errauit ut homo, fac respipiscas, et sequaris potius cætera eius uerè diuina dogmata, quibus docet nõ ex æquo omnes Christianos esse sacerdotes, sed quosdam

Mat. 7
1. Tim. 3

esse in eum sacri officij gradum assumptos atque segregatos, inter quos Petrus & eius legitimi successores primatum tenent, quibus non parêre schismaticum, hæreticum, et idololatricum sit, secundum quod dicitur Matt. 18. Luc. 10. 1. Io. 4. Act 13. 1. Reg. 15. & alibi sæpe. Alioqui si tu uoles Cypriani infirmitatibus humanis niti, & non aliarum eius doctrinarum diuina ueritate atque integritate, quid aliud facies, quàm quod exemplo Dauidis adulterantis, nos quoq; ad adulterium & homicidium inuitare studeas, sed patientiæ eius & humilitatis aliarumq; uirtutum exempla præclarissima prætereas atq; dissimules?

Non parere pontifici idololatricum.

Epilogus. Sed ut his omissis receptui canam, & hanc disputationculam tandem finiam: uos admonitos & per misericordiam Dei obsecratos uolo, o ministri & quotquot potentes estis baptismo administrando, quando iam constat Christum ipsum esse sui baptismi uerum authorem atque datorem, ipsumq; esse uerum baptistam, non autem ministrum, ut saltem eam reuerentiam exhibeatis Christo Iesu. Imò potius patri & filio & spiritui sancto, uni atque individuo Deo potenti, qualem rex atque propheta Dauid exhibuit mortali homini & impio regi Saul, inclinans se pronum in terram, & adorans, uocansq; eum Christum Domini: se autem canem mortuum & pulicem unum. Ille quidem adorauit gestu corporis. Nos autem adoremus spiritu & ueritate nos lauantem in sanguine suo Christum Iesum Dominum nostrum, qui est super omnia Deus benedictus in sæcula Amen. Rom. 9.

1. Reg. 24

Iohan. 4

Apoc. 1

Que

Quæ sit energia, efficacia, atque vis baptismi, aut quis baptismi fructus. Caput. V.

Vanquàm ordo postulare uidetur, ut postquàm dixerimus de eo cuius est baptizare: nũc etiã dicamus de eo, cuius sit baptizari, id tamen in postremum locum reseruandum censemus. Prius itaq; dicendum erit, quid baptismus in nobis operetur. Quanq̃ id ex superioribus satis superq; patere putem, præsertim pijs & intelligentibus. Rudioribus tamen eandem rem paulò pinguius ac crassius iterum atq; iterum inculcemus, iuxta illud Apostoli: Eadem uobis scribere, mihi quidem non pigrum, uobis autem necessarium. Philip.3

Insurrexit enim his nostris tẽporibus recens quidã atq; nouus Euthusiastes Lutherus impio Marte Ecclesiam Dei oppugnans, qui & hanc hæresim, ut multas alias, rursus ab inferis, quasi quendã Cerberum, nõ tri cipitẽ modò, sed plusq̃ centicipitẽ, reuocauit: non de baptismo tantùm, sed & de omnibus legis euangelicæ sacramentis, ex faucibus Tartareo ueneno plenis, hãc blasphemicam rumpens uocem, in libello de captiuitate Babylonica, ipse plus satis captiuus, & diabolicis funibus undiq; constrictus, atq; dicens: Hæretica est, sed usitata sententia, sacramenta nouæ legis conferre gratiam ijs, qui non ponunt obicem. Lutheri hæretica opinio de sacramẽtis Christi.

Eandem enim hæresim, quondam secuti erant Psalliani, Euchitæ, Messaliani, Euthusiastæ, et Albanẽses, sed ut sine Christo ab errorum magistris olim ortam, Antiquihæretici.

ita

ita quoque cum ijsdem ignorantiæ authoribus mortuam, ac multis iam sæculis sepultam, cæterum nunc tandem à nouo errorum magistro resuscitatam, atq; cum eodem iterum ad inferos descensuram.

Menno

Eandem quoque ex eadem Lutheri sentina longè corruptissima putidissimaq;, hausit & Menno hic noster, quantumuis alias à suo Magistro Luthero διὰ πεσῶν alienus, quem duce Christo his ecce spiritus sancti gladijs, ex armamentario Christi sumptis confodiemus, & ad tenebras mittemus Auerni,

Eph.6

Mat.27

ut quòd inde deprompsit, eodem referat, quemadmodum & ipse Iudas in templum reiecit, quos inde acceperat à principibus Iudæorũ diaboli ministris argenteos. Quemadmodum enim hic Christi, ita & ille est sponsæ Christi proditor, idq; utrinq; osculo pacis. Nã ut Iudas Christi, ita & Menno cum suo magistro, ecclesiæ uult uideri amicus quam tamen oppugnat. Imò & se suosq; uocat uerum corpus Christi. Sed frustrà, ut patebit.

Luc.22

1.Cor.4

Recapitulatio superiorũ.

Paptismus itaq; (ut ad rem ueniamus) cùm dicatur ab Apostolo mysterium Dei, hoc est, aliud intus occultum habens, quàm quod foris ostendit, oportet ut maiorem habeat uim, quam solius corporis lauãdi, alioqui enim non esset mysterium. Imò cum aqua baptismi sit perinde habẽda, atq; si ex latere Christi iã dormientis ac uita defuncti effluxisset, cumq; uerbũ Dei, in quo baptizamur, sit tam efficax, ut non modò dæmones eijciat, sanitatesq; ac uirtutes multas perficiat, sed etiam ut fide intelligamus cò aptata esse sæcula, ut ex inuisibilibus uisibilia fierent, denique cùm Christus ipse sit uerus baptista, qui baptizet ipse

Ezech.47
Iohan.19
Mat.7
Marc.16
Heb.11

Mat.3

in spi

in spiritu sancto & igni, quotquot in nomine eius baptizantur (quæ omnia hactenus probauimus) cui dubium, quin baptismus Christi id ipsum reuera in anima operetur, quod foris in corpore fieri uidemus significatiuè: idq; ob certam & non flexilem incommutabilis ueritatis institutionem pariter atq; promissionem, ex mera misericordia & electione Dei, huic externo signo lauandi corporis in potentissimo trinitatis nomine annexaui?

Si enim baptismus nullâ habet uim animæ purgandæ, sed solius corporis lauandi, ut Mēno blasphemat, certè non magis fuerit mysterium, quàm si manus lauues, manducas aut bibas, aut aliud quippiam in nomine Domini facias, neq; maiorem habuerit salutis energiam. Præcipimur enim quæcunque facimus in uerbo aut in opere, omnia in nomine domini nostri Iesu Christi facere, quod autem præcipimur facere, id habet quandam salutis promissionē, etiam si non expressam, non autem ex institutione certam, nisi quòd dicitur, Si uis ad uitam ingredi serua mandata. De baptismo uerò expressissimum atq; certissimum est. Qui crediderit & baptizatus fuerit, saluus erit. Absit igitur ut dicamus baptismum Christi nomine, authoritate atq; uirtute, ac institutione administratum, imò quo Christus ipse nos in spiritu sancto baptizat, nihil aliud esse, quàm si in nomine Domini filiorum tuorum capita aut pedes aut manus laues.

Redargutio ex inconuenienti, quod contra scripturā admittēdū esset, si Mēnonis sententia uera foret.

Marc.16

Quin imò baptismus Christi lauat reuera & mundat animā (si modò immunda & peccatrix ea fuerit) ab omnibus peccatis, & quodam Dei signaculo indelebili eam consignat, habilēq; reddit ad cætera Christi my-

Efficacia & effectus baptismi. Eph.4

stil mysteria digne percipienda, per quod signum in
eternum agnoscatur, etiansi ad inferos (quod absit)
Ezech.19 *perpetuis exurenda ignibus demergatur, ab eorũ qui*
1.Cor.12 *illoti & non Christiani fuerint, animabus distincta,*
Iohan.3 *eamq; per spiritum sanctũ desuper infusum, fide, spe,*
Gal.3 *atq; charitate exterisq; uirtutibus ad salutem neces-*
Rom.8 *sarijs imbuit, innouat, regenerat, uiuificat, iustificat,*
Rom.6 *& Christum induit: ut iam non quæ carnis sunt, sed*
quæ sunt spiritus facile sapere queat dicente Apos-
Gal.4 *tolo, Peccatum uobis non dominabitur, non enim estis*
1.Iohan.2 *sub lege, sed sub gratia, utque sit anima denique tam*
dilecta atq; grata filia Dei, donec in unctione ea pers
manserit, hoc est, ut unico uerbo omnia eõcludam, ba
ptismo salui efficimur in Christo. In uno enim salutis
nomine cætera intelliguntur.

Primus baptismi effectus. *Tria itaq; Christus in nobis intus per baptismum*
operatur, uno tamen salutis nomine (ut diximus) cons
tenta. Primum est quod animam signat, & ab illotis
infidelibus indelebili quodam charactere distinguit.
2.Cor.1. Eph.1.& 4. Apocal 7. Esa.66. Hier.32.
Ezech 9.& alibi, de quo forsan alibi plura dicemus.

Secundus effectus. *Secundum est quòd mundat animã ab omnibus pec*
catorum sordibus, si quas in ea inuenit. Nam Christus
Mat.3 *ipse baptizatus est, non quasi purgandus à peccatis,*
Luc.3 *in cuius ore nullus dolus erat inuentus, non quasi spiri*
1.Pet.2 *tu sancto tum primo implendus, quem nunquam non*
Iohan.1 *habuerat, non quasi in filium Dei adoptandus aut re-*
Cur Christ⁹ baptizatus. *generandus, instar peccatorum, sed ut nobis exemplũ*
obedientiæ & humilitatis præberet, utq; manifesta
tionem spiritus acciperet. Quem enim prius habue
rat, summa cum plenitudine, unde & nos omnes pars

tem

tem aliquam salutis acciperemus, sed Ecclesiæ nondũ cognitum, eundem in baptismo incepit habere manifestum, & ad utilitatem Ecclesiæ. Quin & ipse Cornelius centurio post acceptum spiritum sanctum baptizatus est, mundatus uidelicet (ut opinor) antea, quàm baptizatus. In baptismo tamen nihilominus accepit signaculum Christianitatis, accepit & maiorẽ spiritus sancti gratiam, camq; firmiorem. Cæterùm tale exemplum post spiritum sanctum in Apostolos missum, & legem Euangelicam satis promulgatam, non inuenies aliud, præsertim inter gentes peccatrices ad Christum uocatas, quin omnes in baptismo, & non antea cum spiritu sancto remissionẽ acceperint. Neq; hæc dixerim quòd putem non posse dari peccatorum remissionem sine baptismo. Nam Ecclesia Dei credit, si ardenter & ex animo toto desyderes, & non queas ad baptismum pertingere, necessitate mortis præuenta, quod ardens illud in Christum credentis desyderium animi, baptismatis tibi loco esse poterit: ut alibi diximus. Porrò cur Cornelius cum suis ante baptismũ in spiritu sancto, ex solo uerbi auditu, remissionem acceperit, id quoq; alibi diximus.

Mat.3 Act.10

Cornelius centurio quid in baptismo cõsequutus.

Potest Deus sine baptismo saluare

Tertiũ autẽ est, quod spiritus sanctus per baptismũ nobis infunditur, cũ quo & cætera omnia quæ ad salutẽ sunt necessaria sequũtur, fides uiua, spes, charitas, cæteræq; uirtutes, dona ac fructus sancti spiritus, res generatio, iustificatio, filiorũ adoptatio: denique quid non? At q; hæc duo, peccatorũ remissio, & spiritus sancti in charitate acceptio, ita cõiũcta sunt ut separari nequeãt. Qui enim habet peccatorũ remissionẽ, is & charitatẽ per spiritũ sanctũ cordibus suis infusam pariter habet, ita ut non sit opus de his distinctim loqui.

Tertius effectus. 1.Cor.12 Iohan.3

De secũdo & tertio effect.

Menno. Hic tamen te admoneo, o Menno, ne ante uictoriam triumphes, & cùm putas pueruulos non posse charitatem habere (non enim credis ullam esse charitatem, nisi quæ actu operetur, & fructus edat diuinos) inde statim argumenteris, eos neq; spiritum sanctum in baptismo accipere, ac proinde baptismum ipsis esse inutilem, atq; nullius fructus. Ne, inquam, huiusmodi erroribus quasi hinc corroboratis exultes, moneo. Huiusmodi enim tuis ineptijs posteriori libro abundè satisfaciemus. Hic potißimum locuimur de baptismo adultorum: sic enim baptismi efficaciam plenius explicamus: cùm paruuli non sint omnium ita capaces atque adulti.

De primo effectu. Primùm autem quod diximus, animam charactere quodam Dei signari, id potest ab alijs duobus separari: ita ut non quicunque sit Christianitatis signaculo insignitus, & ab ethnicis discretus, is continuò sit pius, & spiritu sancto in charitate plenus. Sed hoc prætermisso, & in alium cõmodiorem locum reseruato, hic duntaxat ostendamus in baptismo & per baptismum, non autem ante baptismum, dari per spiritum sanctum remißionem peccatorum: loquendo de eo quod secundum scripturas frequentius fieri scimus. Nam priuilegium unius aut paucorum non facit legem communem omnium.

Quibus enim ullo modo integrum est ad baptismũ pertingere, ijs baptismus Christi adeò est utilis, salutiferus, atq; necessarius, ut si baptizari uel negligant uel contemnant, nunquàm sint misericordiam & remissionem inuenturi. Sin baptizentur non ficte, remissionem uerè accipiant per baptismum, non quasi per propriam

propriam fidem, animiq; promptam obedientiam meritorie iustificante, neq; per ministri baptizantis meritum, sed per sanguinis Christi in cruce pro nobis effusi meritum in baptismo nobis cõmunicatum, & per totius trinitatis secundũ institutionẽ Christi in baptismo cooperãtis uirtutẽ regenerante atq; iustificantẽ. Nostra fides aut meritũ non purgat nos in baptismo.

Quòd autẽ id ita in baptismo fiat, & non ante baptismum nunc ostendamus, sumpto primo argumento à Paulo prostrato. Qui quamuis statim ad nomen Iesu Nazareni, cuius erat persecutor, obstupuit, atq; se ad omnia domino placita sibiq; iussa paratũ ac moriturum obtulit, dicẽs: Domine quidnã uis facere? quasi dicat, iube quidquid, equidem parebo, denique; quamuis sedit tribus diebus orans & non manducauit, neq; bibit, non tamen consecutus est remissionẽ, nec spiritum sanctũ, sine quo non est remissio, nisi per baptismũ, testante Anania qui ad Saulum missus sic eum alloquitur. Saule frater dominus misit me Iesus, qui apparuit tibi in uia, qua uenie bas, ut uideas & implearis spiritu sancto. Vides igitur quomodo necdum siue orando, siue ieiunando, animumq; promptum ad omnia habendo, inuenerit remissionem, sed eam per baptismum à Christo expectare atque haurire debuerit. Quòd in baptismo & p baptism. dei remissio peccatorũ cum spiritu sancto, argumẽtum primũ. Act. 9

Idipsum multò apertius patet Act. 22. ubi Paulus ipse referens historiã suæ conuersionis, ostendit se in baptismo lotum à peccatis, nec prius habuisse remissionem dicens. Ananias autem quidam uir secundum legem testimonũ habens ab omnibus cohabitantibus Iudæis, ueniens ad me, & stans dixit mihi, Saule frater, respice: Et ego eadem hora respexi in eum. At ille dixit, Deus patrum nostrorum præordinauit te, ut Act. 22

cognoſceres uoluntatem eius, & uideres iuſtum, & audires uocem ex ore eius: quia eris teſtis illius ad omnes homines, eorum quæ uidiſti & audiſti. Et nũc quid moraris? Exurge & baptizare, & ablue peccata tua, inuocato nomine ipſius.

Quid poteſt dici apertius? quid ualidius, quàm baptizare & ablue peccata tua? Quis poteſt hanc ſcripturam irritam facere, ut dicat per baptiſmum non ablui peccata? Aut enim Ananias legatione ſua perperã functus eſt, & παραπροσβεία crimini ſe reũ & obnoxium reddidit, aut per baptiſmum abluit Saulus ſua peccata. Deus enim mentiri non poteſt. Si igitur pro Deo non falſam obijt legationem, neceſſe eſt ut confiteamur baptiſmo ablui peccata.

Obiectio quę fieri poſſit contra ſuperius argumentum.

Scio eſſe quoſdam grauiſſimæ authoritatis uiros, qui opinentur Saulum in hiſce tribus diebus, antequã eſſet baptizatus, raptum ad tertium cælum, & audiſſe arcana uerba, quæ non liceat homini loqui.

Reſponſio.

Sed id commodum tunc temporis eſſe factum, quoniam neq; eſt fidei, neque ab illis opinatum aut ſcriptum ut neceſſariò credendũ, doctioribus diſcutiendum relinquo. Ex ipſa enim ſcriptura non manifeſtè apparet, quando id factum ſit. Factum autem eſſe, ex ipſo Paulo certiſſimum eſt. Vt ut eſt, quod nos diximus, ſcripturæ uidetur conuenientius. Nolumus tamen ullius authoritati quicquam derogare, præſertim cui uel in minimo digitulo plus ſit eruditionis (ut ſic dicam) quàm nobis in toto corpore.

2.Cor.12.

Eccleſia ſcripturę interpres.

Ipſam autem Eccleſiam, fidei noſtræ matrem agnoſcimus, à qua nec latum unguem diſcedere uelimus, quæ & ipſa eſt uera ſcripturæ interpres, & firmamentum

mentum ueritatis. Quæ quidem Christi Ecclesia & credit & iubet multis scripturarum testimonijs edocta, necessariò credendum, quòd in baptismo abluimur & mundamur à peccatis nostris, quemadmodum & illi magnæ authoritatis uiri, de quibus mentionem fecimus, multis pro Ecclesia Dei editis libris docuerunt atque demonstrarunt. Ecclesiæ autem firma sententia, fidelibus & pijs semper sufficientissimum est fidei argumentum, iuxta illud: Si Ecclesiam non audierit sit tibi sicut ethnicus & publicanus. Nos uerò, quia cum id genus hominibus concertamus, qui ueram Ecclesiam non agnoscunt, sed seipsos mentiuntur esse corpus Christi, oportet ad eos conuincendos & in rectam uiam reuocandos, non ipsius Ecclesiæ aut patrum authoritate, sed solius scripturæ oraculo nitamur.

Secundũ argumentũ ab authoritate ficcredentis Ecclesiæ.

Mat. 18

Quia igitur ipsi errorum magistri, ceteras ferè scripturas, ad rem præsentem utiles aut detrauarũt, aut quouis modo in suam impietatis sententiã traxerunt, quas ex eorum manibus extorquere & reddere Christo in sequentibus capitulis conabimur, hanc uerò, quam suprà adduximus, uel non uiderunt uel dissimularũt, nimirum apertissimam ac uiolentissimam, ideò ab ea auspicati sumus. Quã sanè, problematica illa quorundã opinio, eaq; in utranq; partem sine damno fidei disputabilis, non mihi eripiet, neq; etiam poterit, spero, præsertim cũm literæ nõ paulò uideatur conformius (quod pace illorum dixerim) nõ in illo triduo raptum esse Saulum, sed posteà, & forsan in illis paucis diebus, per quos scribitur cũ discipulis Damascenis aliquandiu fuisse, nimirum dicente Domino

Alia responsio ad superiorem obiectionem.

Quãdo Paulus raptꝰ ad tertiũ cælũ. Act. 9

per Ananiam: Ego ostendā (& non ostendi) illi quanta oporteat eum pro nomine meo pati. Quam ostensionem post triduum illud, etiam in tertio cœlo, ueris simile est factam esse. Sed hæc ualeant.

Primum igitur & euidentissimum pro diuina baptismi efficacia asserenda scripturæ oraculum, est illud Ananiæ, à Christo missi, ut diximus, Baptizare, et ablue peccata tua inuocato nomine ipsius. Quis post est nobis hanc apertissimam scripturæ assertionem uiolenta impietate eripere, præsertim cum qua tot et tanta scripturarū testimonia adhuc alia quadrant? Act.22

Nam ut præteream illud Marc.16. Qui crediderit & baptizatus fuerit saluus erit: de quo differendum erit libro posteriori, & illud Gal.3. Quicunque in Christo baptizati estis, Christū induistis, de quo late tertio ab hinc capite disputabitur: sumamus quod Act.2. legimus: Vbi cōpuncti sunt corde, qui uerbum Dei ex Petro audierant, & dixerunt ad Petrum & ad reliquos Apostolos: Quid faciemus uiri fratres? Ecce audis eorum fidelem promptamq; obedientiam faciendi, quicquid iussum esset, quemadmodum prius & Sauli, necdum tamen continuò sunt liberi à peccato. Nam sequitur quid facere oporteat ad remissionē peccatorū recipiendam, suadēte Petro. Pœnitentiam agite, & baptizetur unusquisq; uestrum, in nomine Iesu Christi, in remissionem peccatorum, & accipietis donum spiritus sancti: quasi dicat, Neque fides uestra, neque obedientia, neq; animi uestri pius affectus & motus in Christum, potest uos iustificare, nisi ipse Christus per baptismum in sanguine suo uos mūdarit prius atq; uiuificarit. Baptismus igitur, authore Pe-

Tertium argumentum ex Act.2

Conclusio

tro,

tro, est efficax instrumentum accipiendi remissionem & spiritum sanctum.

Rursus Eph. 5. Christus dilexit Ecclesiam, & se ipsum tradidit pro ea, ut illam sanctificaret, mundans eam lauacro aquæ in uerbo uitæ, ut supra meminimus. Ecce hinc discis oblationem Christi, qua ipse se ipsum obtulit Deo patri pro nobis hostiam in odorem suauitatis, non statim effectiue totam Ecclesiam undiq; congregandam sanctificasse, quasi eodem temporis momẽto, quo Christus dixerat: Consummatum est, spiritumq; suum in manus patris alto clamore tradiderat, statim Ecclesia tota fuerit penitus sancta atq; mũda, sed seipsum tradidit pro ea, inquit Apostolus, in hunc finem, ut Ecclesiam sanctificaret. Sed quomodo mundans eam lauacro aquæ in uerbo uitæ. Quid uis apertius dici? Potuit uerò Thomas ex uulneribus Christi cõtactis apertius uidere diuinitatẽ eius, quam nos ex hoc Apostoli testimonio baptismi efficaciam uerè diuinam? Si enim Christus mundat Ecclesiam lauacro aquæ in uerbo uitæ, nõne ipsum lauacrũ aquæ, non quidem per se, sed per Christum tali instrumento utentem mundat? Nam cùm Herodes gladio dicitur occidisse puerulos in Bethleem, ipse nimirum gladius per Herodẽ eos occidit, quemadmodũ dicitur Esa. 1. Si nolueritis & me ad iracundiã prouocaueritis, gladius deuorabit uos. Gladius enim est efficax instrumẽtum occidendi, quemadmodũ & lauacrum aquæ efficax signum mundandi. Et quemadmodum ex se nihil potest gladius, nisi quis eo utatur. Ita etiã baptismus ex se nihil præstare posset, nisi secundum suam institutionem Christus in remissionem peccatorum daret

Quantum argumentum. Eph. 5

Eph. 5

Iohan. 19. Luc. 23

Eph. 5

Iohan. 20

Mat. 2.

dam eo uti uoluisset. Cuius uelle est perficere.

Genes. 1 Psal. 148

Quamuis enim impossibile uideatur, si spectes naturam lotionis externæ, quod ea mundet animam, cùm à corpore spiritus affici atq; mutari non possit, Deo tamen, qui ea sic uti uoluit ad nostram humilitatem atq; obedientiam probandā, nihil est impossibile, Luc. 1. Matth. 19. Neque instrumentum operandi secundū propriam naturam instrumenti, sed secundum uim operantis æstimandū. Quomodo enim mors Christi hominis posset nos uiuificare? quomodo sanguis eius posset nos lauare à peccatis nostris? Sed Deus ipse erat in Christo mundum reconcilians sibi, faciensq; Christi humanitatem tam efficacem ut pro toto hominum genere potuerit plenissimè satisfacere. Pater in me manēs (dicit Christus) ipse facit opera. Et, Non possum ego à meipso facere quicquam. Nihilominus tamen sanguine Christi dicimur uerè lauari à peccatis, quamuis id fieri nequeat, sine Deo intus operante. Ita etiā baptismo dicimur merito Christi à peccatis mundari, quis id etiā fieri nequeat sine Christi præsentis et intus agētis adminiculo. Qui itaq; negat baptismū esse efficax instrumentum animæ mundandæ, contra Apostolum dicentem quòd Christus mundet ecclesiā suam lauacro aquæ in uerbo uitæ, non tam ipsius instrumenti, quàm Christi simul operantis uirtutem negat. Instrumenti enim efficacia ipsius utentis est.

Ab omnipotentia Dei.

A simili confirmatio.

Apoc. 1 2. Cor. 5

Iohan. 14 Iohan. 5

Conclusio

Quintum argumentum.

Sed redeamus ad scripturam. Rom. 6. An ignoratis fratres quia quicunque baptizati sumus in Christo Iesu, in morte ipsius baptizati sumus? hoc est, in merito mortis ipsius, & non in merito nostro. Nam per meritum passionis suæ, Christum id in nobis uerè

operas

operari credimus, cuius gratia mortuus erat, ut uides licet iustificati gratia ipsius per lauacrum regenera- Rom.3
tionis & renouationis spiritus sancti in nos abundè effusi, hæredes simus secundum spem uitæ æternæ. Tit. 3. Etenim in uno spiritu omnes nos in unum corpus baptizati sumus. 1. Cor. 12. Et quicunq; in Christo baptizati sumus Christum induimus, ut docet Apostolus, Gal. 3. Et alibi quòd Christo consepulti sumus in bap- Col. 2
tismo, in quo & resurreximus per fidem operationis Dei. De quibus scripturarũ locis alibi. Nam quòd ait in morte Christi baptizatos esse, quicunq; in ipso baptizati sint, quid est hoc aliud quàm ostendere eandem esse efficaciam mortis Christi atq; baptismi, sed huius effectiuè, illius meritoriè? Quemadmodum si diceris in morte Christi saluandos, quicunque in Christo saluabuntur, nónne significes Christum ipsum esse salutis authorem merito mortis?

Sequitur, cõsepulti enim sumus cum illo per baptismum in mortẽ. Vel in mortem eius, hoc est, ad efficaciã mortis eius suscipiendã, et per eam, mortis eius similitudinẽ in nobis exprimendã. Vel in mortẽ nostrã, id est, peccatorum nostrorum, ut iam per baptismum peccata sint in nobis mortua atq; remissa, non quidem sic, quasi concupiscentia quæ prius in nobis peccatũ erat, omnino sepulta sit, & inhabitare desinat, ut nullam amplius mali concupiscentiam sentiamus, útque quicquid desiderij stimuliue uel in animo uel in corpore sentimus, id semper sit bonũ, sanctũ, piũ atq; diuinũ. Nequaq̃. Est itaq; peccatum quidẽ in nobis, hoc est, concupiscentia & pronitas quædã ad peccandũ Consepulti sumus cum Christo in morte. Ro. 6

nos sollicitans, sed quæ post baptismũ non est ueri no minus peccatum, neq; imputatur ut prius nobis in peccatum, nisi iterũ regnet in nobis, ut obediamus & sequamur stimulos eius. Nihil enim nunc dãnationis est ijs qui sunt in Christo Iesu, qui non secundum carnem ambulant.

Rom. 6

Per baptismũ mortui sumus & sepulti.

Cæterũm per quid sumus mortui atq; sepulti peccato, ita ut ipsum non dominetur iam in nobis, utq; in nobis nihil sit dãnationis? Per baptismũ, inquit Apostolus, hoc est, per merita Christi in baptismo nobis operatione Dei cõmunicata, in hũc finem, ut quomodo Christus surrexit à mortuis per gloriam patris, ita et nos in nouitate uitæ ambulemus. Cùm enim in nouitate uitæ ambulare non sit uolentis neq; currentis, sed miserentis Dei, nemo id facére posset, nisi uiuificatus atq; iustificatus esset per baptismũ in sanguine Christi uirtute operationis Dei. In baptismo enim uetus homo noster simul crucifixus est, & destructũ corpus peccati, ut ultrà non seruiamus peccato. In baptismo cõplantati facti sumus similitudini mortis eius, ut si ita perseuerauerimus usq; in finem, simul cum ipso et resurrectionis similitudinem simus recepturi. In baptismo circuncisi sumus, non carnali & Iudaica, sed spirituali mẽtisq; circuncisione, in quo & resurrexi mus per fidem operationis Dei. Denique in baptismo simul cum Christo mortui atque sepulti sumus. Ita tamen ut huiusmodi mortuis, quorum uita est abscondita cum Christo in Deo, non cesset Apostolus adhuc præcipere, Mortificate membra uestra, quæ sunt super terram. Quasi dicat: Qui mortui sunt in Christo, mortificentur adhuc, quẽadmodũ dicitur Apoca. 22.

Rom. 9

Conclusio per reduplicationẽ quã dam.

Rom. 6

Mat. 24

Col. 2

Rom. 6

Col. 3

Qui

qui iustus est, iustificetur adhuc; & qui sanctus est, sanctificetur adhuc. Caro enim concupiscit aduersus spiritum, & ipse aduersarius noster circuit quaerens quem deuoret, cui resistendum fortiter in fide. Gal. 5 1. Pet. 5

Sed audi (quaeso) lector, quibus nugis Menno sese ex his tam apertis & validis scripturarum argumentis expedire nititur. Fatetur enim hostis Ecclesiae & aduersarius Christi, nos quidem mori, sepeliri, & remissionem accipere in baptismo, sed non per baptismum, quasi non ui atque efficacia baptismi. Idq; putat inde probatum iri, quod scriptum sit. Consepulti ei in baptismo, in quo & resurrexistis per fidem operationis Dei. Coloss. 2. Nos uero ita recipimus scripturã, eiq; credimus, ut nullam penitus eius partem negemus. Menno autem quãuis id quidem rectè secundum scripturam dicat, nos in baptismo accipere remissionem & spiritum sanctum, quia tamen addit, nos non per baptismũ saluos fieri, manifestè contradicit scripturae, eãq; falsam impio ore blasphemat. Ait enim Apostolus, Tit. 3. quod secũdum misericordiã suam Deus nos fecerit saluos per lauacrum regenerationis & renouationis spiritus sancti, hoc est, per baptismum. Et Ro. 6. ut suprà diximus, quod consepulti sumus eum illo per baptismum in mortem. Menno vult nos saluos quidẽ fieri in baptismo sed non per baptismum Responsio.

Iam uerò aut Apostolus mẽtitur, quòd ne cogitare quidem licet, dicens Deum per baptismum nos saluos facere secundum suam misericordiam, aut Menno mentitur, contrarium ab Apostolo dicens, quòd non per baptismum, sed in baptismo salui reddimur. Credimus itaque nos, sic in baptismo fieri remissionem, ut etiam reuera fiat per baptismum.

Memno uerò id negans fieri per baptismum, negat Apostolum.

Cauſſa erroris.

Decepit eum quòd ignorarit phrasim scripturæ aliquando Hebraicè loquentis: quam tamen hac in re habet manifesta declaratione alibi expositã. Si enim scriptura semper pronunciaret, in baptismo, & nunquam diceret, per baptismum nos fieri saluos, posset Memno sui erroris colorem aliquem prætendere, & se quodammodo purgare, quòd ignoranter lapsus sit.

Tripliciter loquitur scriptura q̃ vel baptismo vel in baptismo vel p̃ baptismum mundamur.

Nunc uerò eum dicat scriptura tripliciter modo, uis deliciet, & quod in baptismo, & quod per baptismũ, & tertio sine præpositione, quòd baptismo mundamur, quis est, qui hac in re tam lucida ignoranter, & non potius sponte atq; hæretica electione erret? Sine præpositione enim loquitur Apostolus Ephe. quinto siue græcam siue latinam literã hactenus usurpatam perlustres. Cum præpositione per, loquitur Tit. 3 & Ro. 6. & græcè & latinè, atq; Colos. 2. secundũ interpretationẽ Erasmi. Cũ præpositione in frequẽter.

Præpositio in, q̃d significet.

Collatione itaque facta diuersarum scripturarum inter sese, intelligimus hanc præpositionem in sæpe significare per, uel addi ablatiuo instrumẽti, aut causæ, aut efficientis, non latina sed hebraica phrasi. Hebræi enim id totum exprimunt per literam b̃ dictionibus præpositam. Vt Psal. 51. ubi nos legimus, Asperges me domine hyssopo. Ipsi legunt, beezob, id est, in hyssopo, uel per hyssopum. Et Psal. 91. ubi nos legimus: Scapulis suis obumbrabit tibi. Ipsi legũt, beebras ho id est, in ala sua, uel per alam suã. Vnde & nos in multis admodum locis hebraicam phrasim sequimur, ut Thren. 2. Cùm caderet populus in manu hostili, id

est,

est, per manū hostilem. Ose. 7. Cadent in gladio principes, hoc est, ut habemus Leuit. 29. Cadent gladio. Ose. 14. In gladio pereant, hoc est, ut habemus, Mat. 26. gladio perecāt. Ro. 5. Iustificati in sanguine ipsi, id est, per sanguinem. Nam sequitur: Reconciliati sumus Deo per mortem filij eius. Item Ro. 3. Per redemptionem, quæ est in Christo Iesu, id est, per Christum.

Quis enim neget nos per Christū redemptos, quāuis Apostolus hebraica phrasi dicat: Gratificauit nos in dilecto filio suo, in quo habemus redemptionem? Eph. 1

Quis neget nos per Christum uiuificādos, quāuis rursus alibi hebraicè dicat: Sicut in Adam omnes moriuntur, ita & in Christo omnes uiuificabuntur? 1. Cor. 15

Imò in Adam, hoc est, per Adam: ut patet alibi. Per unum hominem peccatum in hunc mundum intrauit. Rom. 5

Quemadmodum igitur dum dicimur in Christo redempti, circuncisi circuncisione nō manu facta, baptizati, sepulti, regenerati, iustificati & uiuificandi, id necessariò intelligimus per Christum, eò quòd alibi apertè scriptum sit. Per quem habemus accessum ad patrem. Per quem mihi mundus crucifixus est. Per me si quis introierit saluabitur. Ita etiam dum dicimur in baptismo mortui, sepulti, mundati aut saluati, id necessariò intelligimus per baptismum: eò quòd & alibi scriptum sit. Per lauacrum regenerationis nos factos esse saluos, præsertim dicente Petro non minus apertè. Quod & nos nunc similis formæ saluos facit baptisma &c. de qua Petri authoritate alibi latius. Conclusio. Eph. 2. Gal. 6 Iohan. 10. Tit. 3 1. Pet. 3

Siue itaq; scriptura dicat nos baptismo mundari à peccatis, siue in baptismo, siue per baptismum, id totum Repetitio cōclusionis.

totum est idem, & planè idipsum, quod Petrus multò apertius dicit, ipsum uidelicet baptisma nos facere saluos. Cui sine dubio tutius credas, quàm Mennoni sine ulla scriptura, imò contra scripturam dicenti q. baptismus non faciat nos saluos, neque ullam uim habeat nisi corporis lauandi.

Redargutio ex inconuenienti, & absurdo quod ex verbis Mennonis sequeretur.

Hoc enim Mennonianum si uerum sit, quod absit uel cogitare, non modò Apostoli nobis falsa pro ueris obtrusissent, dicētes per baptismum nos saluos fieri, sed ipsius etiam Christi institutiones non essent meliores neque efficaciores institutionibus Mosaicis, nihil discreparent sacramenta Christi, à cæremonijs ac sacramētis Mosaicæ legis, sed quemadmodum dictum erat de lege ueteri Ezech. 20. quod Deus dedisset eis præcepta non bona, & iudicia in quibus non uiuerent. Et Heb. 7. Nihil ad perfectum adduxit lex, id etiam dicetur de noua lege, quod uidelicet Christus dederit nobis præcepta non bona, & in quibus non uiuamus.

Collatio noue legis cum veteri quoad præcepta moralia.

Nam quæ moralia sunt utrinq; ea cùm tam efficacia essent in lege ueteri credentibus in Christum uenturum, quàm nunc credentibus in Christum passum, non arguunt hanc nouā esse meliorem lege illa. Tam enim Abraæ reputata est fides, ad iustitiam credenti Deo, ac plenissimè scienti, quòd quæcunq; promiserit Deus, potens sit & facere, quàm nobis ad iustitiā reputabitur, credentibus in eum, qui suscitauit Iesum Christum à mortuis. Quod autem de Abraam dicitur qui erat ante legem, cur idipsum nō rectè dixeris de Dauid, Hieremia, Esaia & similibus alijs qui sub lege erant, quòd & illorum fides sit ipsis reputata ad

Fides Abrahę. Gen. 15. Rom. 4

iustitiam,

iustitiam, quemadmodum & nobis nostra? Imò fides in quibuscunq; sub lege tam uiua, tam per charitatẽ operatiua, tam deniq; ardens inueniebatur, quàm in nobis, tam erat etiam Deo grata, quàm nostra.

Quin & ipsa charitas, quæ est excellẽtissima Christianorum uia perueniendi ad Deum, per quam effici mur nouæ creaturæ in Christo, per quam sumus filij regni futuri, & nunc quodammodo cognoscimur esse discipuli Christi, ita ut sine ea, quemadmodum etiam sine fide impossibile sit placere Deo, nõne & ea ad salutem tam erat necessaria, & tam efficax in ueteri lege, quàm nunc, ita ut quicunq; tunc erãt extra charitatem, fuerint etiam sine Deo, & quicunq; tunc erant in charitate, fuerint in Deo, & Deus in ipsis? Nã in duobus diligendi mandatis uniuersa lex pendet & prophetæ, hoc est, quicquid præceptum ac scriptum erat in lege & prophetis, id totum propter charitatem exoptandã, quærendam, colendam, semperq; fouendam scriptum erat. Nam & ea erat maxima & prima in lege. Deut. 6. Quæ igitur excellentia euangelicæ institutionis præ ueteri, si sacramenta noua nõ magis quam uetera sint gratiæ effectiua? Nam ut apud illos, si quis totam legem secundum literam exactissimè obseruasset, sed sine misericordia uiua, sine charitate uera, nihil dignũ laude diuina, nihil dignũ cælo fecisset. Ita & nunc.

Charitas ꝑstãtissima. 1. Cor. 13. 2. Cor. 5. Iohan. 13. Heb. 11. 1. Iohan. 3. 1. Iohan. 4. Mat. 7. & 22. Collatio noue legis cum veteri quoad cæremonias à Christo institutas.

Dicerris fortè nouam hanc legẽ eò meliorem esse, quòd Christus sit datus nosq; redemerit, qui illis erat non nisi promissus. At quemadmodum illis non proficiebat Christus promissus, nisi legem obseruantibus, & fide uiua in Christum uenturum credentibus, ita neq;

Obiectio. Responsio.

Iohan.4 Heb.5. Rom.13

neque nunc Christus datus. Et quemadmodum nunc spiritu & ueritate Deum adorantibus ac Christo uere obtemperantibus, parata est per Christum uita æterna. Ita & tunc, nisi quòd nunc manifestior & propior sit nostra salus, idq; nõ ex efficacia charitatis aut aliorum moralium obseruatorum, quæ nunc sit maior, præ ut tunc erat, sed ex eo quòd Christus nunc precium salutis nostræ exolucrit & figuras impleuit.

Obiectio.

Cæterùm Christus quidem nunc uitam æternam nobis effecit uiciniorem, idq; sua morte non nostris meritis. Verùm Christus ipse non est noua lex, sed nouæ legis lator, quemadmodum Moses ueteris. Quamuis igitur constet legis nostræ authorem esse præstantiorem Mose, & Christũ sua morte uitã æternã fecisse nobis proximiorẽ, q̃ illis, inde tamen non colligas nouam legem in se esse præstantiorem atq; efficaciorẽ ueteri nisi nouis Christi constitutionibus maiorẽ deris efficaciam. Si itaque nouæ legis sacramenta à Christo instituta non sunt meliora & efficaciora sacramẽtis Mosaicis, quomodo euangelica lex in se melior atq; efficacior erit antiquâ?

Paræceus cõclusionis.

Lex noua melior & efficacior ueteri, eò q; sacramẽta noua sint gratiæ effectiua, argumẽtum sextum.

Sed absit ut non dicatur melior lex noua. Lex enim per Mosen data est, gratia autem & ueritas per Iesum Christum facta est. Sicut enim Christus ipse fuit plenus gratia & ueritate, sic & eius uerba, factaq; & mandata atq; instituta, nequaq̃ sunt dicẽda non bona sed plena gratiæ & ueritatis per Christũ, ex quibus & salutẽ hauriamus à Domino. Absit enim ut dicamus Christũ uitã, ueritatẽ & uitã, instituisse quicquam inefficax, infirmũ, carnale, literale, & quod figuris Mosaicis nõ sit melius, dignius atq; diuinius quodque

Iohan.14

Absurdi Mẽnoniani refutatio.

Argumentũ septimũ.

que sit non spiritus, sed mortis ministratio. Ipse uenes rat factur⁹ omnia nouus. Quæ autè hæc essee nouitas, quæ hæc instauratio, si mutasset circuncisionem in bas ptismũ non paulò infirmiorẽ? Nam si baptismus nihil est aliud q̃ externa lotio, ut Memno blasphemat, erit infirmior circuncisione. Absit huiusemodi blasphes mia. Nam quemadmodũ Christus nullum habuit membrũ, quantumuis in speciem humile atq; abiectum, quod non fuerit diuinũ, & salutis efficax, adeò ut et saliua, & lutum sputo eius cõmistum, & fimbriæ ues stimenti, & uerba fluxa atq; irreuocabilia miras effecerint uirtutes, ita & baptismus ex Christi institutione est gratiæ effectiuus, quantumuis in speciem infirmus.

Argumentũ octauum. 2.Cor.3 2.Cor.5

Argumentũ nonum. Marc.7 Iohan.9 Marc.5 Iohan.6

Marc ita q; rubrũ liberauit Israël ab hostibus uilis bilibus, ipsos q; perdidit hostes. Ita & baptismus cũ sit gratiæ & ueritatis sacramentum, liberat ab hostis bus inuisibilibus, quos Apostolus uocat principes & potestates, mundiq; rectores tenebrarum harum.

Argumentũ decimum. Exod.14 Eph.6.

Naaman septies in Iordane lauit se, iussu prophe tæ legalis, sine institutione, & mundatus est: quomo do baptismus iussu omnium prophetarum summi, ses cundum institutionem & salutis promissionem, erit inefficacior, & nõ potius mundabit à lepra spiritua lis? Nónne uerissimum est, quod ait Apostolus, Deum nos fecisse idoneos ministros noui testamenti, non lis teræ, sed spiritus? Verissimum profectò: Oportet itaq; ut baptismus à nobis administratus sit per spiritum Christi, in sanguine ipsius, non literale quid occidens, sed spirituale uiuificans, non ministratio dãnationis & mortis, sed spiritus sed uitæ.

Argumentũ undecimũ. 4.Reg.5.

Argumentũ duodecimũ 2.Cor.3

Nunc

Ex antiquo testamento petuntur argumenta.

Nunc itaque omisso nouo testamento (nam cetera Euangelicæ scripturæ testimonia huc pertinentia, alibi cogente Mennone tractabuntur) uideamus etiam, quomodo prophetica oracula cùm his quæ iam dictis quadrent, sine longiuscula singulorum explanatione. Pijs enim & candidis lectoribus iamdudum abunde satisfactum puto. Impijs autem & omnino reluctantibus, quis unquam fecerit satis? Esa. 44. Effundam (inquit Dominus) aquas super sitientem, & fluenta super aridam. Effundam spiritum meum super semen tuum, & benedictionem meam super stirpem tuam, & germinabũt inter herbas quasi salices iuxta præterfluentes aquas. Ecce coniungit prophèta statim cum baptismo præuiso spiritũ sanctum, significans nimirũ eum per baptismum, atque in baptismo datum iri: quemadmodum & Christo baptizato statim aperti sunt cœli, & spiritus Dei uisus est ab Iohanne descendisse sicut columba, & uenisse super ipsum, nõ tam propter eũ quam propter nos, ut sciremus unde spiritus sit hauriendus.

Argumentum decimũ tertium.

Mat. 3 Iohan. 1

Argumentũ decimũquartum.

Ezechiel. 35. Effundam super uos aquam mundã, & mũdabimini ab omnibus inquinamẽtis uestris, et ab uniuersis idolis mundabo uos, et dabo uobis cor nouũ, & spiritum nouum ponam in medio uestri. Ecce hæc omnia fiunt per aquam mundani, aut per lauacrum regenerationis, ut per illud ab omnibus mundemur peccatorum maculis, et spiritum nouũ recipiamus in corde nouo, atque purgemur ab omni idololatria, iuxta uerbum Ananiæ ex ore Christi, Baptizare, & ablue peccata tua. Quæ est enim aqua munda, nisi aqua baptismatis, non modò quæ foris abluit corpus, sed etiã

Act. 22

quæ

quæ intus operatione diuina purgat animam. Nam spiritus sanctus, quem per tale signum externum, in nomine trinitatis adhibitũ, uoluit Christus, sui præcioſi ſanguinis merito in animam transfundere, baptiſmum facit efficacem.

Hic forſan ſupercilia attollet Menno, & noua rurſus contra Eccleſiam Dei cornua ſumet, occaſione inde ſumpta, quòd dixerim per baptiſmum nos quoque ab omnibus mundari idolis: quod in nos haudquaquam quadrare contendet, eò quòd multas tum Chriſti tum ſanctorum imagines apud nos in uſu & honore haberi uideat, quæ idola eſſe clamabit, nosq; earum uſurpatores idololatras. Refutatio obiectæ nobis idololatriæ à Menone.

Ne longè digrediar ab inſtituto, paucis obiter reſpondeo ipſum Deum optimum maximum eſſe nobis imaginum habendarum authorem, qui præterq̃ quod ipſe iuſſerat fieri ſimilitudines Cherubim, ſerpentis, Chriſtum ſignificantis malogranatorum, et maris atq; boum, cuius & inſtructu Salomon fecerat quatuordecim leunculos, præcepit etiã ut ea quæ nos admoneãt dilectionis, ligemus quaſi ſigna in manibus noſtris, ſinteq; & moueantur ante oculos noſtros, atq; ſcribamus in limine & oſtijs domuũ noſtrarum, mandauitq; duodecim lapides ex medio Iordanis legendos, atque ponendos in loco caſtroruũ, ut ſi à poſteris rogemur, quid ſibi uelint lapides iſti, dicamus cum Iſraëlitis, poſitos in ſignum & monumentum quòd defecerant aquæ Iordanis ante arcam fœderis, ut ſiccis pedibus tranſiremus. Vſus imaginum ab ipſo deo introductus. Exod.25 Num.21 2.Paral.4 3.Reg.10 Deut.6 Ioſ.4

Cùm igitur, qui ſunt literarum rudes, non poſſint ſcribere & legere, cur non literarum loco liceat eis Applicatio.

imaginum scripturas habere quæ quotidie ob oculos eorum uersentur, nosq; & eos admoneant beneficiorum Dei, & dilectionis à Christo nobis in cruce semel exhibitæ, atque à nobis uicissim illi reddendæ? Cur nõ liceat habere non iam serpentem æneum, qui figuras linealmine Christum crucifigendum præsignificet, sed humanam imaginem, quæ aperta significatione Christum crucifixum exprimat? cur non duodecim Apostolorum lapideas similitudines, ut si filij atque nepotes nostri rogent quid illi lapidei uiri sibi uelint, respondeamus positos esse in medio nostri tanquam signa & monumẽta, ut per ea semper memores simus, & quid Christus pro nobis fecerit, & quid nobis uicissim pro nomine eius cum Apostolis sit faciendum?

Imagines nõ adoramus cultu latriæ.

Sed non adorandam Christi imaginem dicis. Fatemur, neq; nos eam adoramus ut Deum. Si incuruaremur ante eam, & obsecraremus dicentes, libera me quia Deus meus es tu, quemadmodũ describit Esaias idololatriam, meritò uideremur eam adorare. Nunc uerò neutiquam putamus eam esse Deum nostrũ, neq; ab ea obsecramus auxilium. Aperimus quidem caput, genua flectimus, et preculas fundimus ante imagines, non ipsis quidem imaginibus, sed per eas significatis & repræsentatis quemadmodum hi uersiculi ex consilio Nicæno secundo docent.

Esa. 44

Hoc Deus est, quod imago docet, non est Deus ipsa.
Hanc recolas, sed mente colas, quod cernis in illa.

2. Reg. 6

Sed quid multis? Quemadmodũ Dauid propheta, cùm maximũ exhiberet honorem arcæ Domini, prius quidẽ, quòd se indignũ putaret, ad quem arca diuerteret, eò quod uiderat Oza ob irreligiosum eius contactum,

ractum, subita morte à Domino prostratum, deinde q̃ eam celeberrima & religiosissima pompa ex domo Obededom, quẽ ob eam hospitio susceptam intellexerat benedictione Domini locupletatũ, in ciuitatẽ suã traduceret, ludibrio habitus est atq; derisus ab impiẽte Micol. Ita & nos ridemur ab impijs filiabus Saul persecutoris ueri Dauid, quòd Christũ adoramus, nõ modò spiritu mentis, & interna ueritate, q̃ præcipuũ esse scimus, sed etiã monumẽta passionis eius in honore habendo, ut sic alij quoq; uideant, iuxta euangeliũ opera nostra bona, et glorificẽt patrẽ qui in cælis est. Sola enim mentis pietas neminem suo exemplo inflammat, neminẽ ad sui imitationẽ extimulat. Quæ autem foras prodit pietas, in similem ardorem alios inuitat. Sed hæc missa facientes, reuertamur ad baptismum. Nam qui de cultu imaginũ plenius catholicã et apostolicã ueritatẽ scire uult, legat acta œcumenicij cõcilij septimi in Nicea Bitiniæ cõtra Icouoclastas celebrati. Diximus igitur in baptismo effundi super nos aquam mundam, per quam mundemur ab omnibus inquinamentis, & ab omnibus idolis, & accipiamus cor nouum & spiritũ nouũ. Atq; hoc ipsum idem ille prophetarursus cap. 47. in spiritu præuidit, & futurũ uaticinatus est, cùm inquit. Et conuertit me (scilicet Dominus) ad portam domus, & ecce aquæ egrediebantur subter limen domus ad orientẽ. Nónne limen & ostium domus Dei est Christus Iesus, Iohã. 10? Subter huius pectus ex corde effluxit fons iste aqueus, in quo quæcunque lauat animas, eas sibi assumit in sponsas, quemadmodum ex latere Adæ dormientis sumpta est Eua de qua expergefactus dixit. Hoc nunc

Iohan. 4

Mat. 5

Repetitio argumẽti superioris.

Argumentũ decimumquintum.

Iohan. 19

Gen. 2

os ex oßibus meis, & caro de carne mea. Propterea relinquet homo patrem & matrē, & adhærebit uxori suæ, & erunt duo in carne una. Addit Apostolus, sacramentum hoc magnum est, ego autē dico in Christo & in ecclesia. Reliquit enim Christus patrem, & uenit in mundum, & reliquit matrem, ex qua secundū carnem natus est, partim quam in cruce commendauit Iohanni, quasi aliquantisper derelictā: partim quā ob perfidiam deseruit, donec plenitudo gentiū intrarit, & adhæsit uxori suæ, quam ex latere suo dormientis sumpsit. Manifestum est enim quòd ecclesia Christi est generata atque nata ex aqua & spiritu sancto, tanq; ex latere Christi. Atque hanc esse sententiam Apostoli constat inde quòd paulò ante baptismi mentionem fecerat, dicēs: Christum se tradidisse pro ecclesia, ut illam sanctificaret, & mundaret lauacro aquæ in uerbo uitæ.

Eph.5 Iohan.16 Io.19 Mat.21 Rom.11 Io.3 Eph.5

Ezech.47 Atque hoc ipsum propheta supradicto loco prosequitur latißimè, inter cætera addens. Et erunt pisces multi satis, postquam uenerint illuc aquæ istæ. Et sanabuntur & uiuent omnia, ad quæ uenerit torrēs, & stabunt super illa piscatores. Qui sunt enim hi pisces Mat.4 Luc.5 1.Cor.3 Act.2 tores, nisi Apostoli & eorū successores? Pisces quoq; sunt, quos illi retibus euangelicæ prædicationis plantando atque rigando ceperunt, quorū certè tam multi sunt, ut statim ab initio tria milia uno die, & aliàs quinque milia, atque deinceps innumeri capti sint, Apocal.7. Hos pisces itaque propheta canit sanandos atq; uiuificandos, ad quos aquæ istæ uenerint, manifestam nimirum baptismi uim sanandi ostendens.

Conclusio.

Argumentū Similiter Zach.13. Erit fons patens domui Dauid, &

& habitantibus Hierusalem, in ablutionē peccatoris & menstruatæ. Et cap.14. Exibunt aquæ uiuæ de Hierusalē. Ecce quid aliud prædicit propheta, quam quòd multis modis supra ex nouo testamento ostendimus, possemusq; amplius ostendere, nisi hæc nunc sufficere putaremus, per baptismum uidelicet nos etiam intus lauari, mundari, regenerari, uiuificari, atque saluari, secundum meram misericordiam Dei, & institutionem Christi, nos sic ex promissione salutis, huic signo annexa, saluos facere uolentis, atque per spiritū sanctum ad dandam salutem & peccatorum remissionem in sanguine suo cooperantis, ita ut planè cæcus sit, qui hoc non uideat, impius qui non credat, deniq; peruersus qui oppugnet, ut proximis capitibus adhuc magis patefiet. decimū sextum. Argumentū decimum septimum. Epilogus.

Quod baptizandi præceptum, non sit omnium mandatorum minimum, ut Menno sine scriptura blasphemat. Cap. VI.

HÆc quæ iam diximus de baptismi efficacia, multis modis oppugnat Menno, sed armis (quod dicitur) ficulnis, & Marte simistro. Quis enim ipsam ueritatē, quæ (teste scriptura) super omnia uincit, expugnet? Accipiamus itaq; gladium spiritus, quod est uerbum Dei, eoq; stricto huius rufi draconis septē præcidamus capita, ne quemadmodum incepit, latius porrò pergat cauda 3.Esd.3 Ephe.6 Apoc.12

ſua magnam ſtellarum partem e cælo detrahere. Audiamus itaque ipſam beluam ſua ipſius uerba reſonantē: ut ſuo eum iugulemus gladio. In fundamento ſiquidem Chriſtianæ doctrinæ (ſic enim libellum ſuum uocat) habet in hunc modum.

Menno. Baptiſmi præceptum eſt omnium mandatorum minimū, quia nihil eſt amplius, quàm paruum externum opus, ſcilicet unica manus aquæ plena (opinor intelligendum per metonymiam, baptiſmum eſſe nil, niſi tantillam lotionem, quæ uel unica manu aquæ plena fiat) Multò maius præceptum eſt inimicos diligere, benefacere malefacientibus, orare in ſpiritu & ueritate pro perſequentibus & calumniantibus, carnem cogere & premere ſub uerbo Dei, omnem ſuperbiā, luxuriam, gulam conculcare, ſeruire proximo atque ſuppeditare inopia laboranti aurum, argentum, cæteraque ad uitam agendam neceſſaria, omnino circuncidi ab omnibus malis & cogitationibus & uerbis & operibus Deū ex toto corde diligere, eius iuſticiā, uoluntatem, ac præcepta ſequi, crucē Chriſti portare læto corde. Qui hæc interna nō habet, rectè dicere poteſt, quid mihi proderit aqua baptiſmi? Nam etiam ſi totam totius mundi aquam, ſmigma & lixiuium lauandis hominibus adhibeas & conſumas, nihil efficeris, quàm diu, quem lauas, is manet tam iniqua mente. Malim equidem mori, quàm ut huiuſmodi quempiam baptizem. Dolus tamen accipientis, non imputabitur ad peccatum danti ſed accipienti. Hactenus ille.

Similia & alibi ſæpe inculcat. Sed hæc propoſita ſufficiant. Quæ ubi falſitatis & impietatis conuicerimus, cætera quoq; quæcunque ſint eiuſdem farinæ, conuis

conuicta fuerint. Nam de singulis eius uerbis iterum atq; iterum eandem cantilenam horrido stridore crepitantibus, non ita laborabimus.

Cæterum quis simplicium hæc & huiusmodi lectu & creditu? Quis prima facie suspicetur subesse uenenū sub tam dulci uerborum melle? Quis suspecta erroris habeat uerba tam phalerata, & quasi ex intimis diuinarum literarum thesauris depromptas? Adfert enim Menno plurima sine dubio pia atque diuina, quorum fulgore oculos incircumspectorum præstringat, ne Sathanam in angelum lucis se transfigurantem agnoscant. 2.Cor.11

Sed agè o Menno ex qua scriptura habes quòd baptizandi præceptum sit omnium mandatorum minimum? Certū est quòd nusquā id ostendere poteris scriptū. Non enim adfers, imò neq; adferre potes ullum scripturæ uel minimū uerbū, quod doceat baptismū uel esse mandatorū minimū uel non esse aliud nisi externā quandā lotionē. Nā quēadmodū hoc falsum esse ex superiori cap. patet, ita & illud indoctè ac impiè dictū esse, quis ex superioribus etiā satis apertū esse posßit, ex dicendis tamē clarius adhuc euadet. Cæterū non admodum laborabimus de eo, an baptizandi præceptum sit maximum, aut quàm sit magnum, quóue sit maius minúsue, quamquam nonnihil de hac quoque re disserēdum quidem, sed sobriè, ad hoc scilicet nos extimulante Mennone. Sed potißimū docebimus, hoc figmentum asserendi baptismum omnium mādatorum esse minimum, ex hæretico cerebro profectum, non esse ulla scriptura expressum, (cùm tamen hæretici

non solent crepare nisi scripturam) sed & scripturæ & rationi esse contrarium, indoctum somnium atque temerarium, inauditū ac blasphemum hominis confidentissimi paradogma.

Primum itaque audiamus quibus rationibus suam ineptam præceptorum collationem stabiliat. Cum enim nullam haberet scripturā uel aliqua ex parte sibi in hanc rem fauentem, satis intellexit id sibi rationibus assecurandum.

Mennonianæ rationis discussio.

Ratio itaque eius potissima hæc est. Quia baptismus nil amplius est, ut ipse ait sua authoritate frestus, nisi paruum externū opus, unica uidelicet manus aquæ plena, ideò baptizandi præceptum est inter omnia minimum. Sed huius rationis fontem nos supra falsitatis & impietatis luto plenissimum docuimus ex Esa. 44. Ezech. 35. & 47. Zach. 13. & 14. Iohā. 1. 3. & 9. Mat. & Luc. 3. Marc. 1. & 16. Rom. 6. 1. Cor. 1. 3. 4. & 12. 2. Corin. 3. Gal. 3. Eph. 5. Col. 2. Tit. 3. 1. Pet. 3. Act. 2. 9. & 22. atq; ex alijs id genus locis, nec non & rationibus multis.

Argumentatio Mennonis

Adfert præterea Menno & has futiles atq; friuolas ratiões, ut dicat: Multo maiora præcepta esse inimicos diligere, benefacere malefacientibus, &c. in hunc modum quodammodo argumentatus. Qui nõ diligit inimicos, neque malefacientibus benefacit, neq; orat in spiritu & ueritate pro persequentibus, is frustra baptizatur, neq; ei baptismus quicquam prodest, constat itaque illa esse maioris præcepti quam baptismum, Sic ille.

Refutatio.

Quid uerò si eadem ratione etiam dixeris, o Menno, Qui non diligit inimicos, neque benefacit malefacientis

cientibus, neque orat in spiritu & ueritate pro persequẽtibus, ei sanguis Christi frustra effusus est: an id in uniuersum fuerit uerum? Minimè profectò, uel tuo ipsius iudicio. Doces enim Christianorũ puerulos seu infantes per sanguinem Christi forè saluos, quamuis non diligant inimicos, imò neque possint, quamuis nõ orent pro persequẽtibus, neq; benefaciant malefacientibus. At nos simili ratione infantibus quoq;, qui necdum possunt Deum uel proximum diligere, per sanguinem Christi, baptismum esse saluificum, et sine baptismo sanguinẽ Christi nihil profuturum, posteriori libro latissimè probabimus, cum sint spiritussancti non minus in baptismo capaces: quàm ipse Iohannes Baptista adhuc in utero matris fuit. Vana itaq; & impia est ratio, qua baptismum non modò omnium mandatorum minimum, sed etiam paruulis inutilem ostendere uoluisti, quasi prius oporteat id præstare quod est maximum, & postea quod est minimum. Luc.1

Quid, quod & adultis baptizãdis ut prosit baptismus, non oportet ut ipsi prius uerè dilexerint inimicos, benefecerint malefacientibus, quàm baptizẽtur? Sed in hoc baptizantur, ut Deum ex toto corde, & proximum sicut seipsos uerè diligere possint. Dilectio enim Dei & proximi, quantulacunque sit, quam habemus ante remissionem peccatorum in baptismo factam, naturalis quædam & humana est dilectio potius quã uerè diuina: ut docebimus capite de regeneratione. Non enim possumus uerè diligere Deum, uerè in spiritu & ueritate orare pro persequẽtibus et calumniantibus nos, nisi prius remissis peccatis. Sed perganus discutere Mennonis rationem. Mat.22

Diximus autem iam, hanc Mennonis rationem esse planè raucidam, meptam, atq; impiam, si sic intelligatur, quemadmodum ipse eam intellexit, dum per eam pædobaptismā confutare uoluit. Si uerò eam paulò commodius instruamus, quasi dixerit: Qui non diligit inimicos, sed eos odio & inuidia prosequitur: qui nō benefacit malefacientibus, sed eis uicissim malum pro malo uel cum fœnore reddit: denique qui non orat pro persequentibus & calumniantibus, sed eos uicissim maleuolentia & diris imprecationibus persequitur, huic nihil prodest baptismus ad salutem quamdiu manet tam iniqua mente. Hoc omnino uerū esse fatemur, sed inde consequēs esse, quòd diligere inimicos, benefacere malefacientibus, & orare pro persequentibus sint maiora atque meliora præcepta quam baptismi, quasi inde tandem colligatur baptismi præceptū esse inter omnia minimum, & sine illis baptismum neque utilem neque necessarium, id negamus.

Ratio Mennōis quomodo quomodo instruatur non est sine errore.

Eadem enim ratione sequeretur diligere inimicos esse maius, melius & efficacius ipsa passione Christi. Nam qui non diligit inimicos, sed eos odio habet, ei passio Christi nihil prodest ad salutem, quādiu manet tam impia mente: dicente Apostolo: Qui non diligit, manet in morte. An propterea melior et efficacior erit nostra dilectio passione Christi? Absit blasphemia. Sed potius, quia passio Christi per spiritum sanctū id in nobis efficit, ut nostra dilectio sit uerè diuina & Deo grata, quæ alioqui non foret, nisi naturalis quædam & humana dilectio, ideo passio Christi est melior, et efficacior nostra dilectione, quantūuis naturaliter ardentissima. Simili quodam modo se habet baptismus,

Ex ratione Mēnoniana sequuntur absurda.

1. Iohan. 3

ptiſmus, cum reliquis operibus bonis comparatus: de qua comparatione reliquum eſt ut nunc dicamus, Mennone ita cogente.

Hoc tamen primò proteſtamur iniquam & improprian eſſe hanc collationem, qua uel baptiſmum cum alijs operibus ſecundum præcepta Dei factis, uel baptiſmi præceptum cum cæteris præceptis componas. Baptiſmus enim non eſt opus baptizati, cùm nemo ſeipſum baptizet. Neq; eſt ita opus miniſtri baptizantis, quemadmodũ prædicare uerbum Dei eſt opus ſeu officium prædicantis: ſed Baptiſmus magis eſt opus Dei, multò aliter in baptiſmo nobis cooperãtis, quàm in alijs noſtris operibus. Diligere autem inimicos, orare pro perſequentibus & ſimilia ſunt opera diligentis & orantis, à Deo tamen adiuti. Cõparatio baptiſmi cũ operibus bonis ſecũdum dei præcepta factis eſt impropria.

Præterea baptiſmi præceptũ, quo iubemur ex aqua et ſpiritu ſancto naſci, non eſt agendi, ſed accipiendi præceptũ. Chriſtus enim ipſe baptizandus, non cooperatus eſt manibus ſuis Ioanni ad ſui lotionẽ ritè perficiendam, ſed ſe humiliter ſubiecit ſuo miniſtro, & ſe ab eo lauari paſſus eſt, quãquã ut Deus reuera Ioanni inuiſibiliter cooperatus ſit. Cætera autem præcepta, ut quibus iubemur diligere inimicos, benefacere malefacientibus, orare pro perſequẽtibus, carnem noſtram crucifigere cum uicijs & concupiſcentijs, ſunt agendi præcepta, in quibus non utimur miniſtro pro nobis operante, ſed oportet ut ipſi manum aratro admoliamur. Impropria itaque & indocta eſt comparatio, qua quis baptizandi præceptum cum alijs diuerſe rationis confert præceptis. Ioan.3 Mat.3 Mat.5 Gal.5 Luc.9

Nam & Chriſtus docens præceptũ diligẽdi Deum

ex

Dilectio dei est inter humanas omnes actiones excellentissima.

ex toto corde, esse maximũ & primum. Secundum uerò et simile illi esse, præceptum diligendi proximum sicut seipsum, locutus est potissimũ de præceptis actiuis. Inter oẽs enim diuinas actiones, quas secundũ Dei præcepta exercemus, prima est in hoc mũdo, dilectio Dei: secunda dilectio proximi, loquendo non de naturali & humana dilectione, secundum quam naturaliter amicus amicum diligit, sed de dilectione charitatis per spiritum sanctum cordibus infusæ, de qua nimirum ipsa loquitur scriptura. Ea enim in hoc mundo excedit omnes uirtutes, quippe per quam cæteræ uirtutes sunt uiuæ, & Deo gratæ, & sine qua mortuæ, neque saluificæ.

Mat.22
Mat.5
Rom.5
1.Cor.13

Nunc uerò propius accedamus & comparemus baptismi præceptum cum alijs, quo id modo fieri posterit, & præsertim cum præcepto diligendi Deum, aut prædicandi uerbum Dei, sed sobriè & craßè, ne Mennoniarum blaßpemiarum uel quicquam scrupuli in mente lectoris hærere permittamus, quod eximere poßimus.

Cõparatio vnius cũ alio variè sumitur.

Varijs autem modis dici potest aliud præceptum alio maius minúsue. Vel ratione præcipiẽtis, quo modo omnia diuina sunt humanis meliora. Vel ratione exequentis seu implentis, Sic maiora sunt quæ ab animo, quam quæ à corpore tanquam proprio agente implẽtur. Vel ratione principij seu originis, Sic maiora sunt, ex quibus alia suæ perfectæ impletionis originem sumunt, ut sine quibus alia perfectè impleri non possent. Sic baptizandi præceptum foret alijs omnibus maius, per baptismum enim datur remißio peccatorum, & spiritus sanctus, per cuius gratiam in bapti-

Act.2

smo

fino acceptam perfecte implere possumus, quicquid nobis à Deo præcipitur, quatenus in hoc mundo perfectio haberi potest. Alia enim est perfectio patriæ, & alia uiæ. Vel ratione finis, Sic maius est, cuius gratia cætera præcepta data sunt, cui & cætera potius quàm ipsum cæteris cedere debent, si ita necessitas fidei postulet. Sic præceptum charitatis est sine dubio maius omnibus alijs teste Apostolo, 1. Timo. 1. Finis præcepti est charitas, de corde puro, conscientia bona, & fide non ficta. Hic enim finis debet nos mouere ad cætera omnia implenda, & non propriæ utilitatis respectus. Atque huic fini cætera debent cedere, si forte aliquando aut alicubi reperiantur cum hoc fine pugnare: quemadmodum Dauid urgente famis necessitate accepit à sacerdote panes sacros & comedit, quos tum non licebat laicis edere. Sic & Christus fauit in sabbatho. Imò & sacerdotes mactabant & offerebant sacrificia in sabbatho, neque uiolabant sabbathum, nimirũ sic suadente charitate, & cultu Dei, sed pergamus. Vel ratione fructus ex obseruatione prouenientis aliud præceptum est alio maius, utde licet ex cuius obseruatione maior est fructus. Vel ratione obligationis, Sic maius est quod fortius, & magis necessario obligat, & sine quo minus saluus fieri queas. Atque hoc modo baptizandi præceptum est quodammodo maius præcepto diligendi Deum ex toto corde. Baptismus enim & paruulis & fatuis, qui nihil rerum diuinarũ humanarúmue intelligere possunt, est ad salutem necessarius: ut posteriori libro patebit, præceptum uerò diligendi Deum & proximũ aut orandi pro inimicis, non item, quippe quòd ut tales

Præceptum charitatis maximum.

1.Cor.10.13.

1.Reg.21 Mat.12 Luc.14 Num.28

Baptizandi præceptũ magis & latius obligat q̃ præceptũ diligendi Deũ

les implere non possunt. Vel postremò ratione actionis seu operationis. Sic maius est, cuius actio magis excedit uires humanas, et quod maiori habet opus adminiculo Dei. Atque hoc modo baptizandi præceptum non est modò minimum, sed propemodum maximum omnium mandatorum, quemadmodũ & ratione fructus. Baptismus enim in merito atq; uirtute Christi dans spiritum sanctum, efficit nostram dilectionem Dei, cæteraſq; uirtutum actiones uiuas, & Deo uerè gratas. Et non nostra dilectio, nostra fides, aliæúe uirtutes, quas ante remissionem datam in baptismo habere uidebamur, efficiunt baptismũ uiuificum, sed mors Christi, & uirtus operationis Dei. Loquor autem adhuc de nobis, perinde, atque si adulti baptizemur. In quibus fides quidem necessariò præcedit baptismum, sed ipsa ex sua efficacia non efficit remissionem, neq; dat spiritum sanctum. Videamus autem quomodo baptizandi actio magis excedit uires humanas quàm aliorum præceptorum, ut inde pateat baptismũ haud quaquam esse minimum, quamuis forsan nolis admittere esse maximum: de quo non admodum laboro.

Baptizandi præceptũ ratione actionis uires humanas excedentis est maximũ omniũ.

Opus baptizandi seu baptismi, non ut hominis, ita Dei est. 1. Cor. 3

Certè Apostolus Paulus Baptismum Christi tam eximium credidit, ut putarit non tam Pauli aut Cephæ aut Apollo opus esse plantantis atque rigantis, quàm ipsius Dei incrementum dantis. Ita ut neque sus sipientes possint gloriari quòd à melioribus uel maioribus sint baptizati ministris, neque ipsi ministri quantumuis præclarissimi possint sibi quicquam arrogare ex eo quod baptizarint. Imò neque possint dicere suum baptisma quod administrarunt, sed sanctum baptisma Christi: eò quòd Christus ipse sui baptismi

Baptismi opus nemo dicit suum, alia aũt uir-

uerus

uerus & præcipuus sit author atque dator, ut suprà diximus. Alia autem opera quæcunq; secundum præcepta Dei facimus, nostra dicimus, quantumuis à Deo accepta. 2. Tim. 3. Tu assecutus es meam doctrinam. Heb. 6. Non iniustus est Deus, ut obliuiscatur operis uestri & dilectionis. Apocal. 14. Opera illorum sequuntur illos. Roma. 2. Iudicabit Deus occulta hominum secundum Euangelium meum, inquit Apostolus, 2. Thessal. 2. Vocauit uos per Euangelium nostrum.

tum operatiã nostra dicimus.

Apostol⁹ dicit Euangelium suum, sed nunq̃ baptisma suũ.

Ecce autem audet Apostolus, Euangelium Christi, quod prædicarat, dicere suum: doctrinam Christi, suam. Sed baptismum Christi, quem administrarat, non audet dicere suum, eò quòd sciret baptismi opus esse excellentius & diuinius, quàm ut humanarum uirium facultas id totum operari posit. Minister enim baptismi, ut sæpe diximus, & sæpe necessariò repetimus, nil aliud facit, quàm quod, quem foris lauat secundum formam Christi, eundem interim simul ab ipso Christo intus sigillo quodam diuino insignitum, & totum spiritu promissionis sancto, reddit parentibus iam regeneratum, & adoptionis filium factum, quam internam Dei operationem promisit Christus semper fore annexam externæ lotioni, in eum finem institutæ, nisi in suscipientibus quid obstet huic diuinæ operationi. Quomodo ergo dixerimus Baptismum esse omnium mandatorum minimum?

Apostolus ex virtutum operib⁹ mercedem expectat, sed non baptismo administrato.

Præterea Apostolus in alijs operibus quod omnino gloriatur, & ex illis sibi certissimam mercedis coronam promittit 2. Cor. 1. Gloria nostra hæc est testimonium conscientiæ nostræ, quòd in simplicitate cordis, &

dis, & syncritate Dei, & nõ in sapientia carnali, sed in gratia Dei conuersati sumus in hoc mundo. 1. Cor. 9. Si uolens euangelizauero mercedẽ habeo. 2. Tim. 4. Bonum certamen certaui, cursum consummaui, fidem seruaui. In reliquo reposita est mihi corona iustitiæ. Sed in baptismo administrãdo nõ gloriatur, neq; inde sibi promittit ullam mercedem, cò quòd id non tam suum, quàm Christi (ut diximus) opus esse sciret. Quid enim est lotio sola, quam solam Apostolus suis uiribus perficere potuit? At quanti est facienda animi interna lotio, & consignatio per spiritum sanctũ facta, quã Apostolus suis uiribus attingere nõ potuit?

Quãuis vt ĩ prædicando ita & ĩ baptizãdo christ' cooperetur, magis tũ baptizandi q̃ prædicandi est opus dei, & minus hominis.

Miraris fortè cur baptizandi opus, magis q̃ prædicandi uerbum Dei (ut id exempli causſa ponam) sit Christi, cum tamen quemadmodum in baptizando, ita etiam in prædicando Christus cooperetur, faciatq; solus incrementum: dicente Apostolo, Rom. 15. Non audeo aliquid loqui eorum, quæ per me non effecerit Christus, in obedientiam gentium, uerbo & factis, in uirtute signorum et prodigiorum, in uirtute spiritus sancti. Audies, & mirari desines, spero.

Omniũ bonorũ operũ cooperator Deus. Esa. 26

Primum fatemur Deum in omnibus nobis cooperatorem agere, etiam in edendo, bibendo, ambulando & sedendo, nedum in præceptis Dei rite implendis. Omnia enim opera nostra (inquit propheta) operatus es in nobis. Nequaquam tamen dixerim, ut quidam, Deum etiam esse authorem peccati.

In diuinis virtutib. magis cooperatur nobis deus q̃ in rebus ciuilibus.

Sed in bonis operibus, ac Deo gratis, quæ secundũ præcepta eius facimus, magis cooperatur nobis Deus quàm in rebus humanis aut ciuilibus aut naturalib⁹, ea uidelicet præueniendo & adiuuando, non modò ut

à nobis

à nobis fieri, sed etiam ut rectè & gratè Deo fieri possint. Deus est enim qui operatur in uobis & uelle & perficere pro bona uoluntate, Philip. 2.

Opera autem nostra bona, quæ secundum mandata Dei facimus, sunt duplicia. Aut quæ in nostrã ipsorũ potißimum salutem uergunt, ut sunt dilectio Dei & proximi, humilitas, patientia, obedientia, & id genus alia. Aut quæ in salutem aliorũ à nobis fiunt, ut sunt prædicatio uerbi diuini, gratia sanitatũ, operatio uirtutum, interpretatio sermonum, atque ex horum genere est baptißmi administratio. Vt autem ea quæ in propriam operãtis salutem potißimùm spectant, non modò fiant, sed etiam ritè fiant, & secundũ quod grata sint Deo: oportet ut Deus nobis cooperetur, nõ modò uoluntatem & uim ea literaliter faciendi tribuendo, sed etiam uirtutem quandam supernaturalem per spiritum sanctum nobis in, andendo, per quam ita efficiamur diuinæ consortes naturæ, ut ea spiritualiter implere possimus. Exempli causſa: Patientiam ut habere possimus in persecutionibus ferendis, Deus nobis cooperetur oportet. Ea aũt quoniam duplex est, Aut qualem habent infideles, dum iniustè forsan à tyranno quopiam premuntur atq; affligũtur: & constanter ac fortiter ferunt, neq; animo franguntur. Aut qualẽ habent ueri Christiani, qui propter nomen Christi contumeliam ac persecutionem patiuntur, & patienter ferũt. In utroq; sanè genere Deus cooperatur, sed aliter multò in hoc posteriori atque in priori. Hæc enim uera & uiua est patientia, non modò quia pro Christi fide inuicto animo tolerata (ea enim potest esse impietati cõiuncta) sed quia per spiritũ sanctũ intus habitantem

Opera sancta & Christiana sunt duplicia.

Quæ in nõstram ipsorum salutẽ à nobis fiunt, Deo cooperante fiunt.

2. Pet. 1

Patientia duplex.

Mat. 5

bitantem & nos in omnem ueritatem perducentem infusa & inflammata.

Quomodo Deus cooperetur in ijs, quæ in salutē proximi à nobis fiūt.

Similiter in operibus diuinis, quæ potissimùm in salutem proximi sunt instituta, Deus cooperatur non solùm ei, qui ea proximo in salutem administrat, ut uidelicet rectè administrare queat. Sed etiam eis, in quorum salutem administrātur, non modò ut ea sibi administrari uelint, cupiant & curent, sed etiam per ea in ipsis administrationē susceipientibus operando intus talem effectum, in quem ordinata sunt.

Prædicandi Deus cooperator.

Quemadmodū in prædicando uerbum Dei, Dominus primò aperit ipsius cōcionatoris intellectū, ut rectè intelligat quæ prædicanda sint, datq; ei uirtutem ut bonis sit lateribus, præsenti memoria, & eloquētia ad persuasionem apta, utq; ea potissimum in medium adferat, quæ nunc magis quadrent his auditoribus, q̄ aliàs. Id quod sæpissimè fit tacito quodā instinctu & motu Dei, dicente Christo: Non uos estis qui loquimini, sed spiritus patris uestri, qui loquitur in uobis.

Mat. 10

Deinde cooperatur Dominus ipsis auditoribus nō modo ut audire uelint, & se attentos ac dociles præbeant, animumq; habeant sine somnolentia, aut mentis uaga agitatione ad finem usq; concionis permanendi, sed etiam ut sese dent in omnem obedientiam fidei, spiritu Dei intus ad id inflāmante, illuminante atq; excitante. Prædicatoris enim uerba aures possunt percellere, sed non animū penetrare, neq; mutare. Nisi enim intus sit qui doceat, in uanū doctoris lingua laborat.

Io. 14. 15

Baptismi opus magis est Dei q̄ prædicatio uerbi diuini.

Nunc igitur ad institutum ueniendo, uideamus qui fiat, ut baptismi opus magis sit Dei, quàm prædicatio uerbi diuini: cùm utrinque Deus æquè uideatur

coopes

cooperari, neque sine Deo quicquam efficere queas.

Primò quidem authoritas scripturæ, qua Apostolus uocat Christi Euãgelium, suum, doctrinã suam, patientiã suam, sed nunq̃ baptismũ suum, cæterũ semper baptismum Christi, nobis fuerit huius rei sufficientissima ratio. Disquiramus tamen & aliam rationem tam in ipsa rerum natura, quam in scriptura sitam & inde eliciendam, quæ est hæc.

Prædicatio uerbi potest esse uera & perfecta, modò ipse Ecclesiastes suo docendi munere, secundũ ueritatem doctrinæ, Deo auxiliante, ritè fungatur, etiam si Deus nihil operetur in auditoribus ad prædicationis fructum percipiendum. Christus enim uerè & perfectè est prædicationis functus officio, non modò quando auditores habebat audiendi & obtemperandi cupidos, sed etiam quando indociles, maleuolos & obstreperos. Quis enim ausit dicere quòd Christi prædicatio in Nazareth facta Luc. 4. aut quam describit Iohannes octauo capite, non fuerit uera & perfecta prædicatio, quàmuis auditores non euaserint meliores, sed multò peiores, adeò ut hi cum lapidibus obruere, illi uerò ex mõtis cacumine precipitẽ dare uoluerint? Certè auditorũ nulla maleuolẽtia, quantũuis peßima, potest doctoris alioqui & integri & integra doctrina utentis prædicationẽ corrũpere, quin ea sit et uera et perfecta eatenus, quatenus secũdum ueritatẽ Euãgelij, Deo aspirante, administretur.

Prædicatio verbi potest esse perfecta etiã si nihil efficiat fructus in auditoribus.

Neque propter auditorum malitiam desistendum à prædicandi munere, dicente Apostolo: Insta oportunè, importunè, argue, obsecra, increpa in omni patientia et doctrina. Erit enim tẽpus cùm sanam doctrinam non

Non cessandũ prædicatori, etiamtĩ nõ fructifícet. 2. Tim. 4

Ad audiendū verbum compellēdi maleuoli.

non fustinebunt. Sed potius cōpellendi sunt maleuoli ad audiendū uerbum Dei, Luc. 14. ut etiamsi aliquanti per inuiti & nolentes audiant, fiant forsan posteā beneuoli, dociles atq; attenti, & compuncti corde dicant cum Hierosolymitanis Christi occisoribus: Viri fratres quid faciemus? Actorum secundo.

Baptismus non est perfectus & verus, si nullū omnino fructū faciat in baptizato.

Sed baptismus Christi non est perfectus & uerus, nisi Christus ipse intus cooperetur, non modò ei qui baptismum administrat, ut eum ritè secundum formā à Christo præscriptam & hactenus ab Ecclesia Dei usurpatam administret, sed etiam ei, qui baptizatur, non modò, ut, si sit adultus, ex animo uereq; uelit & petat baptizari, sed etiam intus talem effectū operando, cuius gratia baptismus institutus est, si non omnē, saltem uel aliquē. Nam si quis adultus uel timore cōpulsus, uel spe cōmodi alicuius inuitatus, uel pericli tandi gratia quidnā illa lotio efficeret posit, uel ceremonias ridendi gratia, ueniat quidem & simulet se uelle baptizari, sed animo planè nolit, is certè, etiāsi minister prauitatis eius ignarus, faciat ex animo quicquid Christus faciendū iussit, non tamē uerè baptizatur, neq; huiusmodi baptismus est uerus baptismus Christi, sed est talis, qualia erant baptismata calicum, urceorū, æramentorū, et lectorum Iudaicorū, aut qualis erat baptismus, quo Pharisæi nisi crebrò lauissent manus, non manducassent, tenētes traditionē seniorū. Marc. 7 Mat. 15. *Quapropter oportet ut si talis postea ad uerā pœnitentiā se cōuerterit, & cupiat uerè in albo esse Christianorum, aperiat quo prius animo sit baptizatus, & sinat se tum demū uerè & ex animo baptizari. Si aūt prior baptismus fuisset uerus & pfectus, neutiq; esset reites*

reiterandus. Præterea si ministro cõstet quenquam esse indignum baptismo, ex signis aut uerbis maliciam eius palã manifestãtibus, nullo modo huiusce modi hominẽ ad baptismũ Christi susceipiendũ admittere debet, neq; talem baptizare, etiãsi esset mortẽ ob illius repulsam subiturus. Tantum abest ut quisquam sit ad baptismũ inuito animo, quemadmodũ ad prædicationem uerbi audiendam, aut ducendus aut cogendus.

Ad baptismum nemo vel cogẽdus vel cum malicia admittẽdus cuius eum necdũ pœnitere scimus.

Constat itaq; uerum & perfectum baptismum non esse in sola ministri fitũ administratione: quemadmodum prædicandi munus sine beneuolis auditoribus in solo ministro uerbi uerè & ad plenũ absolui & perfici potest. Nam si in utroq; officio & prædicandi & baptizandi, Deus dumtaxat cooperetur ministris, ut & rectè prædicent, & uera utantur baptismatis forma, neq; quicquã omittant, quod secundũ institutionẽ Christi desyderetur, habebis quidẽ uerã uerbi prædicationẽ & plenè administratã, sed nõ uerũ baptismũ.

Baptismi nõ in solo ministro sicut prædicandi sitũ

Manifestum est igitur rursus baptismum amplius quiddam esse quàm externã lotionẽ ministri, alioqui ministro ritè lauante absolutum haberes & irreiterabilẽ baptismũ, sed præter externam lotionẽ esse etiã operationem quandam solius Dei, qua anima eius, cui sese ex animo uereq; curat baptizandum, signaculo quodã Dei imprimitur, & consignatur. Quam quidẽ operationẽ minister nullis suis utribus quantumuis à Deo adiutis attingere potest. Atq; hanc internã Dei operationẽ si non adiunctam sic habeat externa lotio baptismus nullus est neq; ullo modo censendus Christi baptismus.

Baptismus est amplius quiddã q̃ externa lotio.

Quiddam in baptismo à solo Deo fit, si modò baptismus sit verus, quod à ministro fieri nullo modo potest

Patet itaq; tertio totã baptismi operationẽ uires

humanas magis excedere, quàm prædicationem uerbi diuini, aut exterorũ mandatorum obseruationẽ. Nam in exteris Dei mandatis implendis ita cooperatur nos bis ipse Deus, ut per gratiã suam nostras uires ex no bis quidem impares, insufficientes, atq; inidoneas, ex suo aũt spiritu reddat idoneas & sufficiẽtes implere quod iubet. In baptismo uerò non ita cooperatur mi nistro, ut is dicere posit se suis uiribus, quantumuis Dei gratia adiutus, lauisse animam baptizati. sed hoc eximium & omnipotentiæ opus, credimus Deum sibi reseruasse, neq; ulli hominũ cõmunicasse, dicente scri ptura. Ipse est qui baptizat in spiritu sancto, ut dixis mus suprà. Quod autẽ de baptismo, hoc ipsum etiam de alijs Christi sacramẽtis in salutem institutis intelli gendũ uolumus, secundũ rationẽ uniuscuiusq; illorũ, de quibus non est hic dicendi locus. Nam ad pædobas ptisma festinamus, cuius gratia hæc obiter scribimus.

Non tota ba ptismi ope ratio est cõ municabilis hominibus. 2.Cor.3

Mat.3 Luc.3 Marc.1 Iohan.1

Quis itaq; tanta est impietatis temeritate, ut ausit hoc tam eximiũ Christi opus, cuius ipsemet Christus præcipuus est author, cuiusq; nõ nisi minimã exequen di partẽ cõcauit ministro, dicere õm mãdatorũ mini mum? Quis est hic Philistæus incircuncisus, qui expro brauit aciẽ Dei uiuẽtis, dicti tãs totũ mundũ hactenus in baptismo errasse, et quasi ex baptismo sibi uitulum aureũ conflasse, per quem Christi sanguis sit cõculcas tus? O blasphemiã Dauidicis lapidibus obruendam, et gladio spiritus confeciendam. Vos autem ò qui Chris sti sanguine loti estis à peccatis uestris, huiusceemodi blasphemis ne consenseritis. Persuasio hæc non est ex eo, qui uocauit uos, ut hactenus declarauimus, & am plius porrò declarare pergemus.

1.Reg.17

Gal.5

Quòd

Quod, quamuis per baptismum vere fiat remissio peccatorum, non tamen continuo, nisi vnicum sit nostræ salutis medium, qui est Christus Iesus Dominus noster, contra Mennonis impiam argumentationem.

Caput. VII.

ECce autem, quasi parum sit semel turpiter pulsum atq; prostratum esse, rursus quasi redintegratis uiribus uenit Menno, ut secundo impetu ciuitatē Dei oppugnet, dum id nobis persuadere nititur, ut cū ipso credamus baptismum esse remissionis accipiendæ inefficacem, ex eo quod non sit, nisi unicum nostræ salutis medium atq; remedium, ut inquit, quasi duo essent futura media, si & per baptismum, & per sanguinem Christi fieret remissio. At quam sit friuolū & nullius ponderis id argumenti, nunc ostendamus. Prius tamen ipsius Mēnonis ficulnā & inutilem macharam uideamus, ipsiusq; ineptias quantumuis absurdas audiamus.

In fundamēto Christianæ doctrinæ hunc in modum blaterat: Sumus omnes per Adam facti peccatores, & filij mortis. Ro. 5. excepto secundo Adā Iesu Christo, per quē habemus gratiā, electionem & remissionem a patre, & non per baptismum. Si enim esset remissio per baptismū, esset iuge sacrificiū exhaustū et terminatū, id quod pro peccatis oblatū est, & in æternū ratū et efficax manebit. Scriptura loquitur non nisi de uno medio cōtra mea peccata, uidelicet de purissimo Menno

& purpureo sanguine Iesu Christi, 1.Pet.1:1.Iohā.1: Apocal.1.Rursus in declaratione Christiani baptismi hoc modo loquitur: Cùm nullum sit mediū contra peccata, quam sanguis Christi. Eph.1: Coloss.1: Apocal.1: & 1.Iohan.1. quando remissionē tribuimus baptismo, & non Christi sanguini, fundimus ex baptismo uitulū aureum. Si enim per baptismum mundaremur, oportet Christum cum suis meritis cedere, aut admittere deberemus duo esse media & remedia contra peccatum. Sed sanctissimus & preciosissimus sanguis Christi in omnibus debet habere laudē, ut ab omnibus prophetis & Apostolis atque ubiq; in omnibus scripturis uberrimè dictum atq; scriptum est. Verùm enimuero fideles accipiunt remissionem non per baptismum, sed in baptismo. Sic ille:

Septē precipua mendacia ex verbis Mēnonianis cōtra baptismum ostenduntur.

Bone Deus quàm multa impietatis mendacia latent sub paucis uerbis, et præsertim septem. Bis enim dixit non fieri remissionem per baptismum, manifestè cōtra scripturam Apostolicam, Ro.6. Eph.5. Tit.3. Act.2. Coloss.2. ut suprà abundè ostendimus. Semel ait nos tribuere remissionem baptismo, & non sanguini Christi: quod etiam ex superioribus mendacissimum esse constat. Diximus enim per baptismum & in baptismo fieri remissionem & dari spiritum sanctum, nō nostris meritis, sed merito sanguinis Christi. Sed quid opus est surdis eandem cantilenam frustrà canere, iterumq; ac iterum repetere? Semel quoque dicit quod fundimus ex baptismo uitulum aureum. Quæ est intolerabilis blasphemia non contra nos, sed contra Christum baptismi authorem, & contra eius Apostolos in remissionem peccatorum, baptismi & doctores & usurpatores

tores. Deinde ter indoctissimè, mendacissimè atq; impiissimè contra ueritatem argumentatus est, dum dicit: Si esset remissio per baptismum, esset iuge sacrificium exhaustū. Rursus, si per baptismū mundaremur, oporteret Christum cedere. Deniq;, si per baptismum mundaremur, admittere deberemus duo esse media contra peccatum.

O indocta falsa & fallax argumentatio. Perinde enim argumentatus est Menno, atq; si quis impius hoc modo colligat: Vnicum est medium remissionis. Si igitur per sanguinem Christi est remissio, non erit remissio per spiritum sanctum, neque per fidem. Aut si per spiritum sanctum, non per sanguinem. Sanguis enim Christi & spiritus sanctus duo sunt, inter sese natura magis diuersa, q̄ aqua baptismatis & sanguis Christi. Cùm igitur non sint duo media, sine q̄ sanguis & spiritus duo, oportet admittere, si & per spiritū sanctum & per sanguinem Christi dicas esse remissionē, quòd duo sine media: aut oportet sanguinem Christi cedere. Talis o Menno & tam impia est tua argumētatio. Confutatio

Nos potius uerā Ecclesiæ fidem secuti in hunc modum argumentamur. Quoniam constat ex sacris literis nos iustificari atq; saluari non modò per sanguinē Christi, sed etiam per fidem, spem, atq; charitatem, & multò magis per patrem, filium & spiritum sanctum, deniq; per baptismum, & pœnitentiā, oportet quòd hæc omnia, quamuis sint multa numero, uirtute tamē non sint multa, sed unū. Multa enim sunt numero, per quæ dicimur uiuificari, iustificari et saluari, sed omnia ea uim suam habēt ex unica uirtute operationis Dei, & ex unico merito Christi Iesu. Vera & Ecclesiastica argumentatio. Multa quidē sunt per quæ dicimur saluari, sed omnia ea sūt vnū virtute

Vnicum est meritum remissiõis omnium peccatorum.

Vnicum est enim efficax remedium & meritum remissionis peccatorum, passio scilicet Christi Iesu, et non est ullum aliud meritum remissionis extra illud unum, quod uidelicet uim suam non habeat inde.

Nihilominus tamẽ credimus etiam, sine dubio per patrem fieri remissionẽ peccatorum, dicente scriptura: Sicut pater suscitat mortuos & uiuificat, sic & filius quos uult uiuificat. Et Es.43. Ego sum, ego sum ipse qui deleo iniquitates tuas propter me, & peccatorum tuorum non recordabor. Non quasi pater remissionem meruerit. Pater enim non effudit sanguinẽ pro nobis, cùm neque sit homo neque habeat sanguinẽ neque pati potuerit: sed solus filius. Pater tamen in Christo mundum reconciliauit sibi. 2.Cor.5. Deditq; humanitati Christi immensam uirtutem, per ineffabilẽ unius personæ Dei et hominis unitatem, ut humana natura Christi sic unita diuinitati non iã infirma esse & ineffi cax, quemadmodum est nostra peccatrix natura, sed ut in plenitudine diuinitatis corporaliter inhabitantis efficacissima esset atq; potentissima pro omnibus peccatis totius mundi satisfacere, etiamsi hic mundus centuplo populosior futurus esset, quàm erit, & millecuplo grauioribus peccatis pressus. Nec quæ hoc duntaxat modo est pater remissionis author, sed & alio quodam efficacissimo modo, quo secundũ bene placitum suæ electionis, ex mera misericordia ad Christum tractos atque uocatos, per baptismũ in sanguine Christi, ipsemet sanat, mundat, atq; iustificat, pro quibuscunque rogat Christus.

Per patrẽ fit remissio. Iohan.5

Coloss.2

1.Iohan.2

Eph.1 Iohan.6

Iohan.17

Per spiritũ sanctũ fit remissio.

Secundò credimus remissionẽ fieri per spiritũ sanctũ, non quidẽ quasi eius merito (nã merito Christi solius)

lius) sed uirtute atq; potẽtia eius diuina. Is enim cum sit ignis, & lumen inaccessibile, in animã hominis sese transfundit, ad cuius influxum euanescãt oportet penitus omnes peccatorum tenebræ: quemadmodũ ad solis exortũ naturaliter fugiunt tenebræ noctis. Eph.5 Eratis enim aliquãdo tenebræ, nunc autem lux in Domino. Io.3. Quod natum est ex spiritu, spiritus est. Itẽ Io.6. & 2.Cor.3. Spiritus uiuificat. Ro.8. Accepistis spiritum adoptionis filiorum. Hunc enim accipimus in baptismo, Act.2. ut diximus supra. Heb.12. 1.Tim.6

Tertiò credimus remissionem fieri per Christum Iesum, partim quidem, ut qui sua humana natura eam semel in cruce meruerit, semetipsum offerẽs Deo patri oblationem & hostiã in odorem suauitatis, & nostræ redẽptionis precũ exoluens: partim ut qui quotidie intus in nobis sua diuina uirtute remissionem et purgationem peccatorũ cum patre & spiritu sancto efficiat, nosq; per fidem inhabitet in charitate radicatos atq; fundatos. Non enim statim moriente Christo in cruce, omnibus hominibus uel tunc uel nunc uiuentibus, uel posteà nascituris, peccata erãt remissa. Multi enim erũt, próh dolor, quibus nunq; peccata remittentur, quibus tamen & ipsis Christus meruerat remissionem peccatorum: idq; non uicio Christi, sed ipsorũ, qui Christo obtemperare nolucrũt. Nam quis Christi passio satis superq; sit efficax ad omniũ hoim omnia peccata penitus delenda: nunq; tamen omniũ delebuntur, eò q; non omnes obediant euãgelio Christi. Consummatus enim, factus est omnibus obtemperantibus sibi caussa salutis æternæ. Heb.5. Per filiũ seu Christũ Iesum fit remissio. Eph.5 Heb.1 Io.14 Eph.1 Rom.10

Constat

Constat itaque in cruce Christum Iesum non statim in omnibus operatum esse, sed meruisse remissionem peccatorum: secundum quod meritum, Christus dicitur nos liberasse à seruitute peccati, & à potestate diaboli, & transtulisse in regnũ dilectionis suæ, nosq; redemisse, & reconciliasse suo patri, non quasi iã tum omnes fuerimus liberi à peccato, sed quòd adhuc quotidie idipsum uerè operetur & efficiat, quod tunc temporis semel meruit, nos nunc uocando, lauando, regenerando, uiuificando, iustificando, sanando, illuminando, & pascendo atq; gubernãdo. Si peccator itaq; legerit illud Apocal. 1. de Christo, quòd lauerit nos à peccatis nostris in sanguine suo, non putet sibi, dum adhuc in peccatis esse pergit, peccata esse remissa per sanguinem Christi: sed intelligat Christum id semel meruisse, ut possint eius peccata lauari, mundari, atque remitti, merito passionis eius, in uirtute spiritus sancti, si modò ad pœnitentiam agendam se dederit, & fructus dignos pœnitentiæ egerit.

Roma. 6 Coloss. 2 Eph. 1 Roma. 3. 5 Gal. 3. 4. 5

Rom. 8 Apoc. 1 1. Pet. 1 Eph. 2

Luc. 13 Luc. 3

Quartò credimus remissionem fieri per gratiam Dei nobis infusam, per fidem, spem atque charitatem: dicente scriptura, Acto. 15. Fide purificans corda eorum. Et per gratiam Domini nostri Iesu Christi credimus saluari. Ro. 8. Spe salui facti sumus. 1. Pet. 5. Charitas operit multitudinem peccatorum. Ro. 3. Iustificati gratis per gratiam ipsius. Non quasi in peccatis adhuc constituti, per hæc opera ex condigno meremur peccatorum nostrorum remissionem, id enim solius est Christi: sed quod per hæc diuina et supernaturalia dona à Deo uiuificemur, qui eramus peccatis mortui, à Deo illuminemur, qui eramus tenebræ, & diuinæ

Per gratiam fidem, spẽ & charitatẽ fit remissio.

Tit. 3

Eph. 2.

tunc reddamur consortes naturæ, ut viuamus iam deinceps non nos, viuat uerò in nobis Christus. Quemadmodum homo per animam immortalem corpori à Deo inspiratam, tantisper uiuit, dum eam uitam animæ seruat incolumem, Deo adiuuante. Ita etiam homo iustificatus per iustitiam Dei, seu gratiam diuinitus sibi infusam & inspiratam, inhabitante spiritu promissionis sancto, eámque diuinæ naturæ participationem assidua uiuificatione intus conseruante, uiuit spiritualiter, estq; tam dormiens quàm uigilans adoptionis filius. Eph.4.5 2.Pet.1 Gal.2

Per baptismum fit remissio.

Quintò credimus per baptismum fieri remissionẽ, & dari spiritum sanctũ: non quasi nos per baptismum id mereamur. Hoc enim si quis dixerit, is uerè ex baptismo uitulum aureum sibi conflarit, & Christo contumeliam fecerit. Nam remissionis gratiam, ut sæpe diximus, ex cõdigno solus Christus nobis meruit. Sed ut meriti & sanguinis Christi per huiusmodi signum ab ipso Christo in eum finem institutum, & per uirtutem ipsius Dei intus cooperantis, participes efficiamur: ut suprà dictum est.

Multa numero sunt, sed ea oía vnum virtute, per quæ saluamur.

Quamuis itaq; multa quidem sint numero, per quæ saluari dicimur: ut pater & filius & spiritus sanctus, sanguis & passio Christi, gratia, fides spes & charitas atq; baptismus. Hæc tamen omnia, cum sint unum uirtute Dei cooperantis, atq; merito Christi redimentis, non sunt dicẽda multa media, uel remedia, sed unicum efficax atq; perpetuum medium in unius redemptoris ac saluatoris nostri Iesu Christi sanguine.

Quomodo multa vnũ. 1.Iohan.5

Quemadmodum enim tres sunt qui testimonium dant in cœlo, pater, uerbum, & spiritus sanctus: & hi tres

tres unum sunt, inquit diuinissimus Iohannes: unum inquam sunt, non unitate personæ: pater enim neque est filius, neq; spiritus sanctus, sed unitate essētiæ atq; operationis. Ita etiam tres sunt qui testimonium dant in terra, spiritus, aqua, & sanguis, & hi tres unum sunt. Quomodo autem spiritus, aqua, & sanguis unū? Certè multò minus unum, quàm pater uerbum & spiritus sanctus. Spiritus enim incorporeus est. Aqua autem & sanguis corporea sunt, fluida atq; instabilia. Sed unum sunt non numero neq; re: cæterùm uirtute unius per ea cooperantis Dei, in unico merito unius mediatoris Dei & hominum Christi Iesu, qui dedit redemptionem semetipsum pro omnibus:

Spūs, aquaet sanguis vnū

1. Tim. 2

Per baptismum igitur accipere remissionem peccatorum & saluari, nihil est aliud, quàm per patrem et filium & spiritum sanctum in baptismo cooperantem atq; uiuificantem regenerantemq;, & per sanguinem ac passionem Christi merentem atque redimentem, ac in baptismo nobis cōmunicatum: & per gratiā, fidem, spem, atque charitatem in baptismo atque per baptismum nobis infusas saluari.

Mendax ratio Mēnonis de iugi sacrificio.

Mendacissimum itaq; est argumentum Mennonis, cùm inquit: Si esset remissio per baptismū, esset iuge sacrificium exhaustum atq; terminatum. Imò cōtrà: Si cessaret baptismus, cessaret et iuge sacrificiū, quippe cuius energia atq; efficacia in baptismo pariter atq; in cœna Domini, & in alijs sacramentis à Christo institutis, communicatur nobis, uirtute operationis Dei: præsertim cùm Christus sit sacerdos in æternū, et usq; modo eū patre operetur, sitq; operaturus, & nobiscū futurus & præsentia & operatione diuina, omnibus

Psal. 109
Heb. 5
Iohan. 5
Mat. 28

diebus

diebus usq; ad consummationẽ seculi, nõ iam amplius pro nobis merendo, sed meritum suum participando, non modò per fidem internam, sed etiam per signa externa ab ipso in hunc finem instituta purificando corda, idq; non sine fide cordibus infusa.

Iuge sacrificiũ quomodo vim suã in nobis exercet.

Quòd autem iuge illud sacrificium, quantum huic loco satis est, sic oporteat accipi & intelligi, uidelicet quod uim suam in nos exerceat, non modò per fidem, sed etiã per signa externa à Christo ad salutem accipiendã instituta, uel ex hoc ualidissimo argumento colligas. Manifestum est, ex promissione Christi dicentis: Ecce ego uobiscũ sum omnibus diebus usq; ad consummationẽ seculi, et ex alijs id genus multis tum propheticis tum Apostolicis scripturis, nunq; fore aduersus Ecclesiã Dei tantam uel persecutionẽ uel hæresim uel schisma, quæ uerã Christi fidem omnino ex omniũ fideliũ cordibus uel unũ diem eximat & extinguat: sed semper futuros uerè fideles aliquos, etiam multos, in quibus, per fidẽ ipsorũ, iuge sacrificiũ Christi omnibus diebus usq; ad cõsummationẽ seculi, uim suam salutificã sit exercitaturũ. Manifestum est præterea ex Daniel. 12. Apoc. 11. & ex alijs scripturis, q̃ iuge sacrificium aliq̃diu auferetur, quando uidelicet ciuitatẽ sanctã calcabunt gentes mensibus quadraginta duobus, nimirũ quando ueniet discessio primũ, et reuelabitur homo peccati, filius perditiõis, qui aduersabitur et extolletur supra omne quod dicitur deus aut quod colitur, qui et iã nũc mysteriũ operatur iniquitatis. Ex his igitur cùm constet fidẽ non defecturã neq; perituram unq̃ penitus, ne unum quidem diem: ipsum autem iuge sacrificium aliquantisper cessatu-

Mat. 28

2. Thess. 2

1. Iohan. 2

rum,

rum, euidẽtißimè colligitur, non per solam fidem, sed etiam per signa externa à Christo in remißionem instituta, & ab Antichristo aliquantißper destituenda abrogandáq;, fieri nos participes meriti Christi, atq; per ea iuge illud sacrificium uim suam, peccata remittendi in nos exercere. Quippe quæ, peccata remittendi uis, per signa externa, tempore Antichristi iacebit sopita, cùm & baptismus, & cætera Christi signa seu sacramenta ipsumq; adeò omnium sacramentorum excellentißimum augustißimumq; caput, corpus uidelicet Christi, quotidiano ac iugi sacrificio in commemoratione semel in cruce oblati sacrificij, Deo patri pro peccatis offerri institutum, prohibente Antichristo, diebus mille ducentis nonaginta, nusquàm publicè administrabuntur. Vides igitur opinor quòd si iaceret, frigeret, sopita atque emortua esset energia atq; uis baptismi, iuge sacrificiũ exhaustũ esset ac sine uigore. Nequaquàm igitur ex baptismo uitulum aureum conflamus, ut Memno blasphemat, sed Christum ipsum eiusq; sanguinem in baptismo ueneramur. Neq; Christi meritum per baptismum excludimus: sed omnibus modis includimus, nobilitamus, atque stabilimus. Esset autem inane, exclusum exhaustumq;, si eius non euadere remus participes hisce à Christo institutis modis.

Matt. 28
1. Cor. 13

Quod in Baptismo, & non ante Baptismum, regeneremur, & in filios Dei adoptemur. Caput. VIII.

Docet

Docet præterea Mennо regenerationem non in baptismo, neq; per baptismum, sed ante baptismum in obedientia fidei ex auditu uerbi natæ fieri, & baptismum non esse, nisi signum obedientiæ nostræ, hac uidelicet arte pædobaptismа quasi friuolum, inutile, atq; nullius fructus reijciens. Cupit enim Mennо nobis persuasum esse, baptismum nullam habere uim lauandæ animæ, sed solius esse corporis externam quandam lotionem, in testimonium fidei internæ, remissionemq; in baptismo quidem fieri, non per baptismum, sed per fidem eius, qui prius sit regeneratus uerbo ueritatis. Ita ut si quis non sit prius regeneratus è supernis ex auditu uerbi, ei neque sit præceptus, neq; prosit baptismus. Quamuis itaq; ex superioribus satis pateant hæc esse falsa: de regeneratione tamen hic non nihil disserendum, ne quis huiusmodi strophis atq; impostura deceptus ac seductus, cum ipso Mennone, impia persuasione imbutus, putet hactenus errasse totum mundum, quòd crediderit atq; docuerit in baptismo & per baptismum fieri regenerationem.

Sūma doctrinæ Mennonianę de baptismo.

Audiamus itaque prius aduersarij nostri rugitum circumeuntis atq; quærentis quem deuoret, ac deinde ei fortes resistamus in fide: ut sic fiat apertū, quæ utilitas & quæ necessitas impulerit nos ad operosius & prolixius differendum de re alioqui manifesta. Nemo enim de hac re dubitasset, nisi tenebricosus hic seductor, nouum glaucoma oculis quorundam offudisset, eosq; cæcos in perditionis naſſam secum traxisset.

1. Pet. 5

In declaratione autem Christiani baptismi sic ait:

Menno. Quia baptismus est lauacrum regenerationis & renouationis spiritus sancti, nō possunt baptizari, nisi qui prius fuerint regenerati & renouati ex uerbo Dei. Paulò pòst: Putatis, inquit, charissimi regenerationem nil aliud esse, quemadmodum hactenus putauit mundus, q̄ intingi in aquam, dicente alio quopiam Ego te baptizo in nomine patris et filij & spiritus sancti? Nequaq̄. Sed regeneratio neq; aqua est, neq; uerba, sed est cœlestis, uiua et mouens Dei uirtus intus cōcepta in cordibus nostris, quæ effluit à Deo, quæ & per prædicationē uerbi diuini, quando id susc epimus per fidem, corda nostra mouet, innouat, scindit & conuertit, donec ex perfidia in fidē, ex iniustitia in ipsam iustitiā, ex malo in bonū, ex carne in spiritū, ex terrenis in cœlestes, ex mala natura Adæ, in bonā naturam Christi mutamur, conuertimur, et innouamur. Qui sic sunt affecti, uerè sunt renati filij Dei, quibus baptismum, quasi signum fidei docuit, & reliquit Christus, in quo accipiant remissionē. Primò enim debet adesse doctrina Euāgelij. Secūdò auditus uerbi Dei. Tertiò per auditum fides. Quartò ex fide noua generatio. Quintò ex noua generatione baptismus, quasi obediētia uerbo Dei exhibita. Sextò promissio. Nisi enim sponte sancto spiritui resistere, & Dei gratiā cū omni uiolentia extrudere uelimus, impossibile est, ut sit recta & uera fides sine regeneratione, & hæc sine obedientia, atque hæc sine promissione. Nam si uera fides & obedientia fidei possent à se inuicē separari (quēs admodum fortè possunt, in ijs, qui cōtristant spiritum sanctum, & qui in spiritum peccant) huiusmodi uera fides

Regeneratio secundū Mēnonem.

Vera fides, & spiritus sanctus possunt separari se-

fides absq; obedientia nihil prodesset, neque haberet promissionem. Paulò pòst super illud Galat.3 Omnes filij Dei estis per fidē, quæ est in Christo Iesu. Quicūq; in Christo baptizati estis, Christum induistis. Hic docuit Apostolus, inquit, *Galatas, q; per fidē, & non per baptismum sint facti filij Dei. Cum aũt essent filij Dei & tunc per obedientiā baptizati sint. Charissimi fratres, hoc est germanum & natiuum ingeniū omnium hæreticorū, ut abrumpāt particulam aliquā è medio scripturæ, qua suum propositū tueantur, non animad uertētes interim quid et præcedat & sequatur, unde tamen uerus sensus accipiendus sit. Sicut hic fecerūt, sumentes hanc sententiā: Quicunq; in Christo baptizati estis, Christum induistis, pro se sed relinquentes priorem sententiam, eamq; dissimulantes. Omnes filij Dei estis per fidem: unde tamen debet sequi tota Apostoli sententia &c. Anteà rursus super illud Act.2. Pœnitentiā agite & baptizetur unusquisq; uestrum &c. Primò, inquit, fit generatio è supernis. Io.3. per quā efficimur filij Dei. Io.1. Secundò adhibetur aqua in qua filiorum Dei obedientia ostenditur. Tertio fit cōmunicatio sancti spiritus, per quem in conscientijs nostris certi sumus gratiæ Dei, remissionis peccatorum, et uitæ æternæ per Christum. Ro.8. Præterea in fundamento Christianæ doctrinæ dicit quòd accipere nouam generationem, induere Christum, & fieri participē spiritus sancti, hæc tria non sint inter se diuisa, sed qui habet unum, habet & reliqua. Hactenus ille.*

cundū Meno nē, & rectè, sed non cōuenienter alijs eius dictis multis.

Quæ qdē eius uerba recēsuimus paulò latius, ut plenius intelligas, quæ sit hæc cōtrouersia, utq; ex ipsius uerbis eū cōuincamus, et suo sibi iugulemus eū gladio.

Habere nouam generationem. Induisse Christū, & habere spiritum sanctū secundum Mēnonem indiuisa sunt, & rectè, sed non cōuenienter omnib⁹ eius dictis.

Aperi autẽ, ò Christiane lector, oculos: & uide, quàm inter sese pugnent huius miseri & cæci erronis para dogmata. Hoc enim ultimo loco, audisti regeratio nem esse acceptionẽ seu participationem spiritus sancti. Prius autem audieras regenerationem esse ex uera fide ante baptismum, quippe post quam debeat sequi baptismus, quasi signum fidelis obedientiæ, eùm tamen interim etiam fateatur Menno, in baptismo dari spiritum sanctum ex Act. 2. Nónne hæc ex diametro inter sese pugnant? Nónne cùm accipere spiritum sanctum & regenerari sint eadem & indiuisa, oportet, ut si in baptismo accipimus spiritum, quẽadmodum et scriptura docet, & Menno ipse fatetur, etiam in baptismo dicamur regenerari? Nam si ante baptismum regeneramur, ac deinde in baptismo accipimus spiritum, ut ipse sibi & scripturæ contradicit, diuisa sint oportet et nequaq̃ eadẽ regeneratio et acceptio spũs.

Menno sibimetipsi contrarius

Regeneratio & acceptio spiritus sancti idiuisa ergo in baptismo regeneramur.

Præterea si per regenerationẽ efficimur filij Dei, quemadmodum reuera efficimur, constat quòd in baptismo regeneramur, et non antea. Nam per spiritum sanctum, quem in baptismo accipimus, efficimur filij Dei, sicut per spiritum humanũ effecti sumus filij hominum. Sine spiritu autem sancto, neq; sumus Dei neq; Christi. Rom. 8. Si quis spiritum Christi non habet, hic non est eius. Rursus: Non accepistis spiritum seruitutis iterum in timore, sed accepistis spiritum adoptionis filiorum. Ezech. 11. Dabo eis cor nouum, & spiritum nouum tribuam in uisceribus eorum. Et auferam cor lapideum de carne eorum, et dabo eis cor carneũ, ut in præceptis meis ambulent, & iudicia mea custodiant, faciant q; ea, & sint mihi in populũ, & ego sim eis

Per regenerationẽ, vt & per spiritum, efficimur filij dei ergo in baptismo regeneramur.

Per spiritũ sanctum regeneramur.

eis in Deũ. Hæc est enim uera totius scripturæ sententia, ut per spũm sanctũ corda nostra inhabitantẽ simus, imò & efficiamur filij Dei, per quẽ & regeneremur, & nullo modo per fidẽ nostram ante spiritũ acceptũ.

Rursus, si in baptismo accipimus remißionem, constat quòd ante baptismum, & ante remißionem in baptismo acceptam, eramus peccatores & inimici Dei, si peccatores, profectò adhuc mortui. Quomodo ergo ante baptismum & ante remißionem regenerati? quomodo qui nõdum uiuunt in Christo, sunt filij Dei? Si homo mortuus nõ est homo, certè neq; qui mortuus adhuc est in peccatis, & in quo nondũ uiuit Christus per spiritum eius sanctum, nondũ est Christianus, nondum regeneratus, neq; dum filius adoptionis.

Prima remissio peccatorum est prima regeneratio ergo in baptismo regeneramur.

Nam quicquid in nobis fuerit, quantũuis pium & sanctum & diuinum uideatur, ante spiritusſancti per gratiam inhabitantis aduentum, sine quo non est remißio peccatorum, id totum nondum uerè uiuum, non dum uerè spirituale, nondum uerè Deo gratum. Nam in gratia spiritusſancti gratificauit nos in dilecto filio suo Eph. 1. Non enim uolentis neque currentis, sed miserẽtis est Dei. Quamuis enim per fidem, ex auditu uerbi Dei natam, obedienter uelis perficere, quicquid Deus iußit, quãuis curras ad ea perficienda, quæ fides facienda dictat, non tamen ex tua uoluntate, neq; ex tuo cursu, priusquàm habeas spiritum sanctum, qui fidem tuam & obedientiam ex auditu uerbi natam, uiuificet, es filius Dei. Sed per spiritum sanctum, et nos & nostra omnia, tam quæ cogitemus aut loquamur q̃ quæ operemur, uiuificantem, efficimur filij Dei. Spiritus enim est qui uiuificat, caro non prodest quicq̃.

Ante remissionem peccatorũ nihil est in nobis uerè uiuum & uerè Deo gratum.

Rom. 9

Iohan. 6
2. Cor. 3

In baptismo igitur, in quo nimirum datur spiritus, uiuificamur & regeneramur & non ante baptismum in nostra obedientia sine spiritu. Non enim in nostra, sed in unius obedientia iusti constituuntur multi. Nes que ex merito nostræ fidei, neq; ex uigore nostræ mentis, q̃tumuis in Deum credentis, sed ex merito Christi, et ex uigore spiritus sancti cordibus nostris infusi, constituimur filij Dei, quod quidē Christi meritū, et quē eius spiritū in baptismo dari, satis ex superioribus patet. Nostræ tamen fidei ex auditu natæ obediētia, ante spiritum acceptum, aufert obstaeula ex cordibus rebellibus, animamq; præparat, & magis idoneam reddit, ad remißionis et spiritus sancti infusionem. Quemadmodum in Saulo uidere est, ut suprà diximus, qui per tres dies ieiunando & orando, animumq; paratum, & prōptum gerendo ad omnia perficienda, quæ sibi Christi nomine iussa essent, iam quidem bene uos lebat, bene currebat, etiam adminiculante Deo, (quid enim facias sine Deo?) animumq; donis diuinis indies aptiorem reddebat, non tamen remißionem aut spiritum sanctum accepit, nisi in baptismo Act. 9. et 22. per quem tum demum incepit esse filius Dei.

Noſtrę mentis motus in Deū non eſt efficax remiſſiōis, nec regeneratiōis. Rom. 5

Act. 9

1. Cor. 4

Quicunque enim spiritu Dei aguntur, hi sunt filij Dei, Ro. 8. hoc est, quoscunq; spiritus Dei per fidem, spem, atq; charitatem ita inhabitat, ut in ipsis fructificet, hi sunt filij Dei. Nō enim quicunq; quouis modo spiritu Dei aguntur, hi continuò sunt filij Dei. Multi enim sunt, qui spiritu Dei aguntur quidē, non in suam ipsorum, sed in aliorum salutem, quos tamen per gratiam nō inhabitat spiritus. Agebat spiritus Caipham, ut cùm esset pontifex anni illius prophetaret, quòd

Spiritu Dei agūtur filij Dei.

Nō qui quouis modo aguntur spiritu Dei, hi sunt semper filij Dei. Iohan. 11

Iesus

Iesus moriturus erat pro gente. Agebat spiritus & Saulem, qui quãuis maligno spiritu actus uenisset ad occidendum innocentem Dauid, statim tamen ut uenisset in chorum prophetarum, actus & ipse spiritu Domini prophetauit. Quid, quòd & non modò Balaã impius propheta, agente spiritu Dei prophetarit, sed & asina eodẽ stimulante spiritu, locuta sit? Quin & impij quiuis, cùm nomẽ Christi uerbo tenus magnificè prædicant, ac se ostentant speciosos pelle decora, id non possunt, nisi spiritu agente, non tamen ipsos per gratiam inhabitante. Nemo enim potest dicere Dominus Iesus, nisi in spiritu sancto, Quin & amici Iob, qui uenerant eum multis miserijs pressum atq; afflictum consolaturi, multa de Deo præclara atq; sancta & intellexerunt & magnifico ore protulerũt atq; deprædicarũt, hoc tamen errore grauissimo ignoranter imbuti erant, quòd putabãt non posse fieri, ut Iob innocens à Deo iusto tam misere esset attritus, et flagellis Domini quasi aurũ in fornace exploratus et probatus innocẽter, in maius uirtutis incrementũ, ac totius mũdi exemplar futurũ. Hi sanè quicquid diuinũ uel mente cõceperant, uel uerbis expresserant, id totum à spiritu sancto acceperãt, qui tamen eos non inhabitabat neq; filios Dei reddebat, eò quòd innocentem temerario iudicio cõdemnabant quasi nocentem, & qui Deo meritas dedisset pœnas. Quem errorẽ tandem aperuit ipsa Dei uox cælitus audita, quæ controuersiam eorũ iusta sententia terminauit dicens: Non estis locuti coram me rectum, sicut seruus meus Iob. 1. Reg. 19 Nu. 22. 23. 24. 1. Cor. 12. Iob. 2. 4. 5. 8. Luc. 6 Iob. 42

Quinetiam spiritus ueritatis quodãmodo agebat & Regulum illum Rhomanum, ut malueri[illegible] uolunta- Atilius Regulus.

I 4 rium

rium subire corporis cruciatum, mortemq; grauissimam, quàm iusiurandi sacramẽtum uiolare. Similiter & peregrinũ illum Philosophũ, cuius mentionẽ facit Gellius, spiritus Dei agebat, quem ipse tamen ignorabat, ut diceret Sapientem uirum non peccaturum, ne si dij quidem atq; homines eum peccasse semper sint ignoraturi. Addam & Socratem, qui ad extremũ usq; finem uitæ perseuerabat in uoluntario diuitiarũ contemptu, & uirtutis solius amore, noctes & dies quæritans adolescentes bona indole, quibus gratis instillaret uirtutis præcepta, & ueri boni expetendi desiderium inspirãret, nihil antiquius, nihil diuinius, nihil beatius una sapientia dictitãs, eamq; non esse nisi mortis meditationem identidem inculcãs, non quærens uis delicet quod suum erat, sed quod putabat esse Dei.

Noct. Attic. lib. 12. cap. 11

Socrates in Apologia.

In Phædone Platonis & alibi.

Vnde autem ethnicus ille idololatra hanc tam exiniam uirtutis & opinionem & culturam sumpserat, nisi ab eo, per quem uiuebat, quamuis eum non rectè neq; norat, neq; solum adorabat, ac proinde neq; eius filius erat? Vt palàm fit ex discipulo eius Platone, qui quãuis de suo præceptore quàm potuit magnificentissimè & senserit & scripserit, in Phædone tamẽ de eo scriptum reliquit, q iam iam moriturus Socrates iusserit idololatricũ sacrificiũ Æsculapio offerendum. Hæc enim memorat fuisse eius nouissima uerba. ὦ κρίτων, ἔφη, τῷ ἀσκληπιῷ ὀφείλομεν ἀλεκτρυόνα, ἀλλὰ ἀπόδοτε, καὶ μὴ ἀμελήσητε, non id scripturus, nisi relatu dignum et laudabile atque memorabile putasset.

Hæc fortè & id genus alia egregia ethnicorum facinora, ac Christianis digna (excepto eorum errore quem

quem admixtum habebāt) animaduertit Menno, dum pronunciauit multas adhuc gentes in impia & uasta esse Babylone, quæ etiamsi ignorent se erroribus inuolutos, quærant tamē Deum ex toto corde, crucifigentes carnem suā, & exprimentes legem naturæ in cordibus suis scriptam, alijsq; facientes quemadmodum uelint sibi fieri &c. Neq; hæc in medium adduxerim ex Mennone, quasi id uerum esse comprobem, quod gentes à Deo alienæ, quærant Deum reuera ex toto corde, sed ut ostendam uel ex ipsius Mennonis uerbis, nedum ex saeuis literis, non omnem animi promptam obedientiam esse statim cum spiritu sancto inhabitāte coniunctam, efficereq; adoptionis filios, et ex Deo renatos. Si enim gentes sine spiritu per fidem inhabitante, toto corde Deum quærunt, ut ipse putat (quæ autem potest esse maior obediētia erga Deum, quàm ut eum toto corde quæras?) quid mirum, si & hi, qui iam fidem ex auditu didicerunt, tantam possint Deo dare obedientiam, ut uideantur eum toto corde quærere, etiamsi nondum neque baptizati, neque regenerati, neque filij promissionis sint? quales erant plurimi in exordio Ecclesiæ Christianæ.

Mēno dicit gentes multas Deū quidē ignorantes, attamen Deum quærere ex toto corde.

Nō igitur quicunq; quouis modo, spiritu Dei ipsos nondum per gratiam inhabitante aguntur, hi cōtinuò sunt filij Dei: sed quos spiritus per fidem uiuam inhabitat, atq; intus ita agit ac possidet, ut iam non ipsi, uiuat uerò in ipsis Christus, quem in baptismo induerint Gal. 3. Neq; in nostræ uoluntatis potestate remissio peccatorum, & regeneratio sita, sed in spiritus sancti operatione, quem, non modò scriptura, sed & ipso Mennone teste, accipimus in baptismo.

Rom. 8
Gal. 2
Rom. 9
Act. 2
1. Cor. 12

Quemodo igitur possit quis somniare regenerationem fieri ex auditu uerbi ante susceptum baptismum, & simul fateri in baptismo dari spiritum, cùm tamen non nisi ex spiritu sancto sit regeneratio? Non enim in sermone est regnũ Dei, sed in uirtute 1.Cor.4. *Sic neq; in auditu est regnum Dei, neq; in nostra obedientia, sed in uirtute operationis Dei* Eph.1.

Fides ex solo auditu sine spiritu est mortua ꝙtũnis uera

Fides enim quæ ex auditu solo est iuxta Apostolũ Ro.10. *quantumuis obediens, ante remissionem peccatorum datam, & ante spiritum sanctum in baptismo acceptum, non est nisi huiusmodi fides, de quali loquitur Apostolus* 1.Cor.13. *Et si habuero omnem fidem, ita ut montes transferam, charitatem autem non habuero, nihil sum. Nam & fides uera sine charitate, & sine spiritu promissionis sancto, esse potest: ut & Mẽno ipse secũdum scripturã rectè fatetur. Imò & ipsa fidei obedientia, qua paratos nos præstemus non modò facere, quicquid scimus iussu Christi faciendum, & uitare, quicquid scimus uitandũ, sed etiam qua uel ignominiosam mortem pro Christi nomine uelimus subire, si res ita postulet, potest esse sine remissione, sine spiritu sancto, & sine charitate: dicente Apostolo,* 1.Cor.13 *Si tradidero corpus meum ita ut ardeam, charitatẽ autem non habuero, nihil mihi prodest: idq; prætered, quòd nostrum uelle, nostrumq; scire potest esse erroneum, etiam nobis nescijs, uel quòd nostra obedientia nondum lota in sanguine Christi, non est nisi humana, in baptismo autem per spiritum sanctum futura diuina, etiamsi eadem esse, & æquè ardens uideatur, quæ præcesserit & quæ sequatur baptismum: ut proximo capite latius declarabitur.*

Obedientia ꝙtis promptissima potest esse sine spiritu sãcto

Per

Per Christum enim si quis introierit saluabitur, & ingredietur & egredietur, & pascua inueniet, & non si quis per seipsum ingrediatur. Fides enim docet non ex operibus nostris, sed per Christum fieri in baptismo remissionem: ut sæpenumero diximus. Rursus Io.12. Nisi granum frumẽti cadens in terrã mortuum fuerit, ipsum solum manet. Si autem mortuum fuerit, multum fructum adfert. At in baptismo cum Christo morimur, sepelimur, atque resurgimus. Rom.6. Qui enim mortuus est, iustificatus est à peccato. Vnde & Dauid propheta non ex suæ fidei obedientia sibi salutem arrogauit, sed rògauit sibi dari salutem, & peccatorum remissionem, ut tum demum posset uerè obedire fidei. Psal.118. Clamaui ad te saluum me fac, ut custodiam mandata tua. Vnde discimus, nisi prius acceptа peccatorum remissione & spiritu sancto cordibus nostris infuso, non posse nos uerè obedire Deo. Iohan.10 Rom.6 Coloss.2

Cum igitur in baptismo detur spiritus, qui & fidẽ prius mortuam quantumuis ueram, uiuificet, & obedientiam fidei prius humanam faciat diuinam, et amorem prius naturalem, faciat sanctum, immaculatum et Deo gratum, quis dubitet quin & regeneratio, per quam efficimur filij Dei, fiat in baptismo? De Cornelio autem qui solus cum suis ante baptismum legitur accepisse spiritum sanctum, eò quòd essent primitiæ gentium, per quos uoluit Dominus ostendere, sine dubio & gentes sine circuncisione esse cõcorporales & compartícipes promissionis Christi, modò duntaxat credãt, baptizentur, & in nouitate uitæ usq; in finem ambulare perseuerent, alibi dicemus. Act.10

Quod hactenus diximus, ecce habes apertè ostensum

Credẽtibus in Christũ data est potestas filios Dei fieri.

sum Iohan.1.ubi inquit euangelista: Quotquot receperunt eum, dedit eis potestatẽ filios Dei fieri, his qui credunt in nomine eius. Ecce non dixit Euangelista, quẽadmodum blasphemat Menno, quòd statim his, qui eum receperunt, credentes in nomine eius, dederit filios Dei esse, sed dederit potestatem filios Dei fieri. Qui enim Christum per fidem non recipiunt, hi quas tenus tales neq; sunt filij Dei, neq; dum habent potestatem, qua fiant filij Dei. Sed qui per fidem Christum receperunt, hi quidem q̃uis non statim sint filij Dei, habent tamen potestatẽ ut fiant filij. Fides enim est non ipsa adoptatio filiorũ, sed potestas qua fiant filij: quippe quæ aufert ex infidelibus obstacula rebellionis contra spiritum sanctum, et docet unde sit petenda salus, & ad lauacrum regenerationis & renouationis spiritus sancti humiliter & obedienter sese accelerat, ut inde hauriat salutem à Domino.

Fides est potestas qua fiam° filij dei

Mẽnonimi erroris causa prior.

Tit.3

Sed Mennonem contraria docentem decepit & in errorem abduxit prius quidem, quod ipsius scripturæ hebraico sæpissimè modo loquentis phrasim ignorarit: ut & suprà diximus. Cùm enim Apostolus uocat baptismum lauacrum regenerationis, syntaxi quidem seu constructione (ut uocant) transitiua, sed loco intransitiuæ constructionis posita, inde perperam colligit regenerationem esse diuersum & distinctũ quipiam à baptismo, neque eam per baptismum fieri, nescius quòd hebraica phrasi aliquando loquatur scriptura, ponens genitiuum à substantiuo rectum loco adiectiui uel nominis uel participij in eodẽ casu cum eodem substantiuo conuenturi: Vt sunt hæ phrases, Gladius occisionis, id est occidens. Oues occisionis, id

Ezech.21 Psal.43

est

est occidendæ uel occisionis dignæ. Homo peccati, id est peccator uel peccãs. Homo pacis, id est pacificus. Homo pacis meæ, id est per quem essem pacem daturus. Vir consilij, id est cõsiliarius, consulendus, uel consilio dando accommodus. Euãgelium salutis, id est salutificum & dans salutem. Deus totius consolationis, id est per quem consolamur in omni tribulatione nostra, & sine quo non est ulla consolatio uera. Sic & lauacrum regenerationis & renouationis spiritussancti, id est lauacrum regenerans & renouans per spiritum sanctũ, uel quo nos regenerat & renouat spiritus sanctus. Deinde Mennonem fefellit indistincta regenerationis uarietas. Quæ aliquando accipitur proprie pro uera, perfecta & uiua regeneratione, quam in baptismo per spiritum sanctum fieri credimus atq; docemus: aliquãdo impropriè pro seminario quodam seu initio generationis futuræ, siue pro præparamento ad uiuam regenerationem efficiẽdam uel utili uel necessario: quemadmodum & generationem naturalem dupliciter acceptam inuenimus.

Rom.8
2.Thess.2
Psal.40
Eccles.51
Eph.1
2.Cor.1
Tit.3
Erroris Mẽnoniani caussa altera
Regeneratio duplex.

Regeneratio enim cum habeat analogiam cum generatione carnali, dicente Christo: Quod natũ est ex carne, caro est: & quod natum est ex spiritu, spiritus est: oportet ut hæc ex illa intelligatur. Inuisibilia enim Dei, á creatura mundi, per ea quæ facta sunt, intellecta conspiciuntur. Quemadmodum itaque in naturali generatione est semen quoddam, est seminator, est & ager in quo semen conceptum fouetur & augmentatur. Sed ex horum omnium propria efficacia, necdum habes plenam et uiuam generationem, neq; dum quod conceptum est, filius est eius, á quo seminatum est.

Iohan.3
Rom.1
Cõparatio & similitudo regenerationis cum generatione carnali.

Sed

Sed ubi Deus tempore suo inflarit ei spiraculum uitæ, idq; nõ ex energia seminatoris, neq; ex ui seminis, neque ex fertilitate agri, sed ex Deo solo, qui naturæ, secundum naturalem capacitatem eius, supra uirtutem ipsius cooperatur, tum demum quod conceptũ est, uiuus est filius hominis.

Semen.

Ita quodãmodo & fit in regeneratione spirituali: In qua semẽ est uerbum Dei auribus auditum, & mente conceptum, Lucæ 8. Seminator est minister uerbi Mat. 13. Act. 17. *Ager autem est mens hominis uerbo Dei consentiens, & ex merito Christi per spiritũ sanctum remissionẽ expectans & petens. Iam non in seminando uerbo Dei, neque in concipiendo semen, illudq; per obedientiam fidei fouendo & augmentando, est uiuifica regeneratio: sed in eo, quod Deus inspiret supra naturalem capacitatem, & supra uirtutem eius, qui semen in corde suscepit, suæ diuinæ uitæ consortium quoddã et admirabile spiraculũ, non ex potestate ministri seminãtis, neq; ex energia uerbi literaliter auditu animoq; concepti, neq; ex prõpta humanæ obedientiæ fertilitate, sed ex Dei oipotẽtia, ex uerbo increato atq; icarnato, et ex spiritu promissiõis sancto.*

Seminator
Ager seminis capax.

Vt carnalis generatio dupliciter, ita & regeneratio intelligitur.

Quòd autem regeneratio aliquando uel uerbo uel ministro improprie attribuitur, id dicitur eodem modo, quo & carnalis generatio uel patri uel semini attribuitur. Quẽadmodum enim Abrahã genuit Isaac, & Dauid natus est ex semine Abrahæ, eum tamẽ uitã neq; semẽ neq; Abraham dederit. Ita etiam in Christo Iesu Paulus Apostolus genuit Corinthios per Euangelium quasi semen: atq; ipse uocat se eorum patrem, & illos suos filios. Nosq; uerbo ueritatis dicimur geniti,

Mat. 1

1. Cor. 4

Iacob. 1

niti, non quasi regeneratio suam uitam spiritualē uel ex Pauli efficacia, uel ex eius uerbo literaliter audito acceperit: nam eam ex solo spiritu uiuificante accepit: sed quia, quēadmodū pater & eius semen necessaria sunt præparanēta ad ueram & uiuam hominis naturalē generationem. Ita etiam prædicatio uerbi & fides eius, q̄ obedientia, quæ est quasi augmentatio seminis, sunt necessaria præparamenta ad regenerationem spiritualem in adultis. Nam in paruulis regenerationē fieri ex solo spiritu per baptismum accepto, sine præuio fidei præparamento, alibi declarabimus. Iohan. 6

Fides est præparatio ad regenerationem viuam.

Quemadmodū igitur in generatione naturali non prius habes ueram & uiuam generationem, q̄ à Deo, supra uirtutem seminis, fuerit afflatū spiraculum uitæ. Ita et in regeneratione, non prius dicenda est uera & uiua ac perfecta regeneratio, q̄ à Deo per spiritū sanctum in baptismo sint peccata mortis aut horanenta penitus ablata, & nouitas uitæ data. Imò multò amplius operatur in generatione naturali ipse seminator, & agri fertilitas, q̄ in regeneratione, uerbi administrator, adeò ut Apostolus dicat: Neq; qui plātat est aliquid, neq; qui rigat, sed qui incrementū dat Deus. Atq; hinc est cur minus impropriè dicatur Abraham genuisse Isaac, & Isaac natus esse ex semine Abrahæ, quàm Corinthij dicantur geniti ex uerbo Pauli.

Vt semen patris non uiuificat conceptū fœtū: ita nec semē prædicatoris, quod est uerbum Dei auditum, regenerat ad uitā spiritualē perfectē.

Regeneratio quę dicitur fieri ex auditu uerbi, non est proprièdicta: sicut & cadauer hominis dicitur improprie homo.

Idcircò quemadmodum tropica locutione aliquando pater cæleſtis dicitur quidē homo. Mat. 22. Simile est regnū cælorum homini regi qui fecit nuptias filio suo, cò q̄ sit φιλάνθρωπος, nequaq̄ tamen propriè et uerè dicēdus homo. Imò quēadmodū et cadauer hominis aliquādo quidē dicitur homo. 3. Re. 13. Sepelite me

me in sepulchro, in quo uir Dei sepultus est: non enim homo ipse sed cadauer eius erat sepultum. Sic & impropriè regeneratio dicitur aliquādo fieri ex auditu uerbi, quæ tamen cùm non sit uera & uiua, donec in baptismo spiritus uitæ accedat, non est aliter dicenda regeneratio quàm cadauer hominis, aut (ut uicinioremsimilitudinem sumam) quàm fœtus hominis iam recens conceptus, sed nondum uiuus, sit dicendus homo. Propria igitur, uera, uiua & perfecta regeneratio est ex Deo uiuificante per baptismum.

Ioha.1

Atq; hinc est cur cùm dixisset Euāgelista Iohānes, eos qui iam credunt, non statim esse filios Dei, sed habere potestatem ut fiant filij, statim subiungat & docet quomodo & quando fiant atq; sint, qui credunt, filij Dei, quando uidelicet ex Deo nati sunt, hoc est, ut Nicodemum Christus ipse docuit, ex aqua & spiritu sancto.

Qui ex Deo natus est, is fili⁹ Dei est.

At uerò hunc locum Iohan. 3. perperam torquet Menno in suam impietatis sententiam, putans primò regenerationem fieri è supernis, idq; interpretans, ex auditu uerbi: de qua Christus prius loquatur dicens: Amen amen dico tibi, nisi quis natus fuerit è supernis (sic enim legit cum Erasmo) non potest uidere regnū Dei. Secundò aquam adhibendam, in qua obedientia filiorum Dei ostendatur. Et tertiò cōmunicationem dari spiritus sancti, de quibus scilicet duobus posterioribus secundo loco Christus loquatur dicēs: Amen amen dico tibi, nisi quis natus fuerit ex aqua & spiritu sancto, non potest introire in regnum Dei.

Verbis Christi de baptismo ad Nicodemū abutitur Mēno, quæ habentur Iohā. 3

Confutatio

Quanquàm ex superioribus satis constet, falsa esse quæ fingit Menno, et quæ nobis obgānit, uel ex ipsius uerbis,

uerbis, cò quòd regenerationem uocet acceptionem spiritus sancti, quæ nimirum fit per aquam, & nõ ante aquam: cùm hæc duo, aqua scilicet & spiritus à Christo connexa sint, & simul significentur fieri, præposita tamen aqua, ne quis exurgeret aliquando blasphemus, ut nunc contigit, qui ante aquã, & (quod abominabilius) ante spiritum sanctum, regenerationem fieri contendat. Ex hoc tamen loco iterum ostendamus contrariũ. Primò aũt quod legit Menno cum Erasmo: Nisi quis natus fuerit è supernis, cuius loco nos hactenus legimus: Nisi quis natus fuerit denuò, id nõ admodũ uariat sententiã, ut ob eã rem opus sit multa digladiatione: quanq̃ non fuerat necesse antiquam translationem hoc loco mutari. Nam qua uoce usus est Euangelista græcè scribens, ea authore uel ipso Erasmo post Chrysostomum, potest utrunq; significare uel denuò, ut nos, uel è supernis, ut nouatores legunt. Imò quãuis qua uoce Christus ipse cum Nicodemo loquẽs in patria lingua usus sit, an ea quoq; ad utrunq; ambigua fuerit, non puto nunc esse quemq̃ qui id sciat, patet tamẽ satis apertè ex litera Nicodemũ intellexisse denuò, et non è supernis: præsertim cũ sententiæ Christi dubius, interrogaret super ijsdem uerbis quomodo sint intelligenda, dicens: Nunquid potest in uentrem matris suæ iteratò introire, et nasci? Quod enim Christus dixerat ἄνωθεν, hoc Nicodemus uocat δεύτερον id est secunda uice, rursus, denuò, iterum, aut iteratò. Quin & ipse Apost. τὸ ἄνωθεν uidetur exponere πάλιν, id est iterum. Tit. 3. διὰ λουτροῦ παλιγγενεσίας per lauacrum regenerationis. τί γὰρ ἄλλο ἡ παλιγγενεσία, ἢ γενεσία δι' ἧς τινος ἂν ἄνωθεν, τοῦτ'

Quomodo legẽdũ. Io. 3 E supernis, vt Erasmus, an denuò, vt antiqua translatio habet.

ἄνωθεν id est, è supernis, vel abinitio, seu denuò, vt ipse Erasmus trãstulit. Luc. 1 Potius legẽdum denuò q̃ è supernis vel desuper.

Iohan. 3

Tit. 3

ἐστι κατὰ τὴν τοῦ πάυλου ἐξήγησιν, πάλιν γένοιο, hoc est. Quid enim aliud est regeneratio, q̃ generatio per quã ἄνωθεν, hoc est, secundũ Pauli expositionẽ, iterũ, rursus, uel denuò nascaris? Si enim Nicodemus intellexisset Christum loqui de generatione, non quæ denuò, sed quæ è superis fiat, facilè potuisset cõcipere, huiuscemodi generationem non fore ex uentre matris: neq; interrogasset. Nunquid potest in uentrẽ matris iterũ introire? Non tamen dubium, quin regeneratio, de qua loquitur Christus, fiat è supernis: nã ex spiritu sancto, cæterũ Christus uidetur eam noluisse supernã seu cælestem uocare, sed iteratã generationẽ, uidelicet ne cuiq̃ daret occasionẽ putandi regenerationẽ nihil penitus esse, nisi cælestẽ, quasi non ex aqua humano ministerio adhibita, ut Memo putat contra hanc scripturã. Sed his prætermissis, quæ parui sunt ponderis, siue enim è supernis, siue denuò legas non magni refert, ueniamus propius ad rem.

Regeneratio, est iterata, noua, & denuò facta generatio si verbi ethymologiam spectes.

Cùm igitur Nicodemus uerba Christi audisset dicentis: Amen amen dico tibi, nisi quis natus fuerit denuò, nõ potest uidere regnũ Dei, neq; ea intellexisset, rogabat quomodo id fieri posit ut homo renascatur. Respondet Christus et docet, quæ sit noua & iterata generatio, ex qua nascamur filij Dei, dicẽs: Amen amẽ dico tibi, nisi quis natus fuerit ex aqua & spiritu, non potest introire in regnũ Dei: qui dicitur nasci denuò, non est nasci ex uentre matris, sed ex aqua et spiritu, apertè nimirũ docẽs regenerationẽ esse generationẽ ex aqua & spiritu. Iam uerò si Christus à Nicodemo rogatus, quomodo denuò nasci posimus, aliud respondisset, q̃ prius dixerat, ut Mẽno inceptit, non satisfeciisset Nicodemo sciscitanti quid sit nasci denuò. Si:

Iohan. 3 Nasci denuò quid sit.

Regenerationis finitio.

cuit & alibi Petro dicenti: Edissere nobis parabolam istã, nisi Dominus eandẽ sententiam prius obscurã fecisset dilucidiorẽ, non docẽtis, sed potius (q̃ absit uel cogitare) peruertentis, et ingenia ad perplexas tenebras redigentis, fuisset functus officio. Quod itaq; prius dixerat Dominus Nicodemo uerbis obscuriorib⁹, id rogatus explicat uerbis apertioribus dicẽs nasci denuò seu renasci, non est aliud q̃ nasci ex aqua & spiritu sancto. Idq; in sequẽtibus adhuc manifestius reddit subdens analogiã & similitudinẽ quandã esse inter id, quod est, Nasci ex carne, & nasci ex spiritu. Quẽadmodũ enim qui ex carne natus est, caro est. Ita qui ex spiritu natus est, spiritus est: docẽs nimirum q̃ quẽadmodũ ante natiuitatẽ quæ est ex carne, nõ præcedit aliqua natiuitas carnalis, nisi seminatio, & seminis conceptio & augmentatio, ex quibus solis non dicimur nati, neq; filij hominũ, nisi & spiraculum uitæ nobis imbuatur. Ita etiam ante natiuitatem, qua nascimur ex aqua & spiritu, seu ut prius dixerat, qua ex Deo nascimur, non præcedit aliqua spiritualis natiuitas, unde dicamur filij Dei, nisi seminatio, et seminis cõcepti per obediẽtiã augmẽtatio ad spiritũ recipiẽdũ, ut diximus. Constat itaque, cùm quod natum est ex carne, caro sit, eaq; regno Dei indigna 1.Corin.15. & nondũ sit spiritus, donec ex spiritu fuerit natũ, ut & spiritꝰ fiat, quod ante baptismũ, in quo fit remissio, et datur spiritus, nondũ simus regenerati, neq; filij Dei. Filijs enim sunt peccata remissa, et spiritꝰ datꝰ, in quo clamẽt abba pater, per quẽ et maneãt in domo in æternũ. Si enim spũs eius, qui suscitauit Iesũ à mortuis, habitat in uobis, qui suscitauit Iesum Christũ à mortuis,

Mat.15

Nasci ex carne, & nasci denuò, seu renasci habent inter se analogiam quandam.

Iohan.3

Rom.8 Iohan.8 Rom.8

uiuificabit & mortalia corpora uestra, propter inhabitantem spiritum eius in uobis.

Mēnonis calūnia traducitur.

Quod ergo calumniatur Menno, totum hactenus mundum errasse atq; putasse nouam generationē non esse aliud, quam tingi in aquam, dicente alio: Ego te baptizo in nomine patris & filij & spiritus sancti. Id mendaciſsimū est. Credidimus enim atq; docuimus semper hactenus, nouam generationem esse animæ nostræ quandam innouationē, quæ sit sigillo diuino impressa atq; insignita, & spiritu promissionis sancto mūdata ac uiuificata, cū infusione fidei spei & charitatis, per lauacrū aquæ in uerbo uitæ (ut suprà diximus) factā, per quam diuinæ naturæ conformis, & æternæ hæreditatis particeps sit anima.

Responsio ad Mēnonis calūniam, dicentis nos abusos sententia Pauli. Gal. 3

Prætereà quod cauillatur Menno, nos esse abusos sententia Pauli ad Gal. 3. quasi qui sumpserimus posteriorē partem pro nobis, ac priorem dissimulauerimus atq; intactā reliquerimus, ex qua tanē tota sententia dependeat. Id quoq; falsissimū. Ipse potius Mēno Apostoli uerba perperam tractat, prætermittens particulam rationalem seu causſalem, enim, in secunda parte positam, cùm inquit: Quicunq; enim in Christo baptizati estis, Christum induistis. Ex qua particula, potissima uis totius sententiæ dependet.

Nihil otiosum in sacris literis. Mat. 5

Nihil enim frustrà positū in sacris literis, ne unum quidem iota, aut unus apex. Vnde fit, ut qui cōsultò prætereant & dissimulent uel minimā scripturæ particulam, præsertim quando in ea scriptura, contentionis & controuersiæ cardo uertitur, se falsarios & deprauatores scripturæ, atque ueritatis osores ostendāt. Quod ut apertius fiat, oportet ut propius confe

rantur

ramus pedẽ,et Apostoli sententiã preßius cõtemplemur. Apostolus loquitur de adultis, qui ex lege quasi ex suis meritis,sine spiritu Christi iustificari nõ poterant,sed iustificandi erant ex merito Christi per spiritũ sanctum,si modò in Christũ crederent, & per fidem ei obtẽperarent. Ait enim: Lex pædagogus noster fuit in Christo, nos scilicet ad Christũ ducẽs,per cuius Christi meritum et diuinã operationem accipiamus,remißis peccatis,spiritũ promißionis sanctũ.1dq; non nisi fide mediante,ex qua iustificemur, nõ tamen quasi ex merito,sed tanq̃ præparamento ad spiritũ suscipiẽdum necessariò adultis.Per fidem enim mortuã, qualis est ante remißionẽ,omne obstaculũex cordibus nostris amouetur,ut sunt perfidia,inobediẽtia,superbia,et in proprijs uirtutibus cõfidentia,et aptum habitaculum spiritui sancto præparatur.Spiritus enim sanctus disciplinæ effugiet fictum,et auferet se à cogitationibus,quæ sunt sine intellectu,& corripietur à superueniente iniquitate.Neq; in maliuolã animam introibit sapientia, nec habitabit in corpore subdito peccatis. Hanc igitur animi maliuolentiã tollit fides ex auditu uerbi nata, quantumuis adhuc mortua, & cordis nostri spiritui sancto ostia aperit.

Quomodo per fidẽ filij Dei simus. Gal.3

Gal.3

Fides ex auditu quid efficiat in nobis.

Sap.1

Cæterũ ubi iam spiritus per baptismum datus fuerit,et per charitatem nos inhabitare cœperit,tum demũ remißione atq; salute accepta,quæ erat prius mortua,q̃tumuis uera,iam facta est fides uiua,per quã et filij Dei nominemur,& simus,quantumuis nondum appareat quid futuri simus.Ait itaq; Apostolus.At ubi uenit fides,iam non sumus sub pædagogo. Fides enim etiãsi adhuc forsan sit mortua,cæterum nullo errore

Fides quomodo sit viua.

1.Iohan.3

Gal.3

Fidei veræ officium.

infecta, docet à Christo, & non ex operibus legis sine Christo petendam salutem. Fides autem uiua, ut dixi mus, iam habet salutem iustificationis, eamq; non suis sed Christi meritis acceptam fert, atq; adeò indies cu mulationibus meritis per gratiam Dei exornat, iuxta quod dicitur: Qui sanctus est sanctificetur adhuc. De hac autem fide uiua per spiritũ sanctum diuinitus nos bis infusa intelligitur quod sequitur. Omnes filij Dei estis per fidem, quæ est in Christo Iesu, & non de fide mortua, ex solo auditu nata, ante remissionem in bas ptismo facta. Quicquid enim ante baptismum, nõdum data remissione, mortuum adhuc erat, id in baptismo per spiritum sanctum uiuificatur. Vnde & sequitur, de quo est nostra cõtrouersia. Quicunq; enim in Chri sto baptizati estis, Christũ induistis, hoc est, quia per baptismũ Christum induistis, ideo estis per fidem filij Dei, quam accepistis uiuam in baptismo, cùm esset prius ex solo auditu uerbi mortua.

Fidei uiuæ officium.

Apoc. 22

Omnes filij Dei estis per fidem.

In Christo baptizati, Christum induerunt

Iam hæc secunda pars, cùm sit caussa prioris (non enim ociosa est caussalis particula, enim, ab Apostolo addita) nequaquã est posterior superiori parte, quasi prius simus filij Dei per fidem, et baptizemur posteà, ut Menno blasphemat: sed contrà ubi prius baptizati fuerimus, atq; in baptismo Christum induerimus, tum demum sumus filij Dei per fidem, et non anteà. Caussa enim nunquàm est posterior eo, cuius est caussa, sed semper aut tempore aut natura prior. Si igitur exem pli caussa dixerit quis ad similitudinem orationis Apostolicæ. Omnes filij iræ estis per carnalem propaga tionem, quæ est ex Adam. Quicunque enim ex Adam nati estis, Adæ peccatum induistis. Constat quod non

Rationis seu caussę particula enim, efficit secun dam partem scripturæ, esse superio ri priorem. Caussa non est poste rior ei, cuius est caussa.

prius

prius simus filij iræ, quàm ex Adam nati fuerimus, quamuis illud prius ordine orationis dictum sit. Sed contrà, postquàm ex Adam nati fuimus, Adæq; peccatum induimus, tum eramus filij iræ.

Coniunctio enim caussalis postposita ei, cuius causam reddit, facit ut non secundum orationis ordinem, & sententiarũ ac rerum ordo sit sumendus: sed ut sententia orationis posterioris sit habenda uel prior uel saltem eiusdẽ temporis, & nequaq; posterior, cum sententia orationis prioris. Cuicunq; enim orationi coniunctio caussalis additur, eam facit esse priorẽ. Ostendamus id ex aliquot scripturæ locis. Esa.1. Cùm multiplicaueritis orationem non exaudiã. Manus enim uestræ sanguine plenæ sunt. Ecce quod posteriori loco dictũ est, id sine dubio prius esse intelligitur, propter particulam caussalem enim posterius additam. Non enim prius est oratio nostra execrabilis, quàm manus sanguine fuerint plenæ. Sed contrà, postquàm Deo posthabito, ad impietatem manus admoliti fuerimus, & in ea obstinato animo perseuerauerimus, auresq; nostras clauserimus, ne audiamus legem, ut Sapiens ait, tunc oratio incipit esse execrabilis. Nam longè est Dominus ab impijs, & orationes iustorũ exaudiet Prouerb.15. Atq; alibi: Oculi Domini super iustos, & aures eius in preces eorum. Vultus autem Domini super facientes mala, ut perdat de terra memoriã eorũ. Pro.28 Psal.33 1.Pet.3

Rursus Rom.1. In me promptum est & uobis qui Romæ estis euangelizare. Non enim erubesco euangelium. Hic rursus habes posteriorem orationis partem ordine sententiarum intelligendam priorem. Certè prius acceperat Apostolus animum diuina uirtute

obfirmatum, ut non puduerit eum euangelij, quàm de creuerit ac promiserit Romanis prædicare.

Ro.1 Sequitur, Virtus enim Dei est in salutẽ omni credẽti. Hoc quoq; prius est eo, quod præcesserat. Prius enim erat euangelium uirtus Dei, q̃ Apostolum nõ puduerit euangelij. Cùm enim adhuc spiraret minas & cædes in discipulos Domini, euangeliũ nihilominus erat uirtus Dei, q̃ postea cũ se penitus deo deuouisset.

Act.9

Rom.1 Sequitur, Iustitia enim Dei in eo reuelatur. Certè prius est iustitia per euangeliũ reuelata, q̃ ipsum euangeliũ fuerit uirtus in salutẽ omni credẽti. Nõ enim prius erant credentes, q̃ iustitia dei fuisset eis reuelata. Sumam & aliundè unum adhuc huius rei testimonium. Io.3. Exaltari oportet filium hominis, ut omnis qui credit in ipso nõ pereat, sed habeat uitã æternã. Sic enim Deus dilexit mundum, ut filium suũ unigenitum daret. Aperi uel nunc (ò Menno) oculos diuturna cæcitate clausos, & uide quomodo coniunctio causalis enim in secunda sententia posita, eam efficiat priorem. Nónne certissimum est, quod prius mundum dilexerit Deus, & filium suum dederit, quàm ipse filius hominis exaltatus sit in crucem? Charitate enim

Hier.31 perpetua dilexit nos. Huiusmodi autem testimonia facile, quàm multa uelim, adducere possem, in quibus hæc causalis particula enim efficiat posteriorem orationis partem, cui ipsa adhæret, esse sensu et rerum ordine uel priorem, uel saltem non posteriorem, ut nunc constat satis.

Hinc igitur manifestissimum euadit, cùm Apostolus dicat, quod omnes sumus filij Dei per fidem, quæ

Gal.3 est in Christo Iesu, ac deinde subiungat eius causam, dicens:

dicens: Quicunq; enim in Christo baptizati estis, Christum induistis: quòd non prius simus filij Dei per fidẽ, q̃ fuerimus baptizati: sed quòd postq̃ baptizati simus & in baptismo eum remissione peccatorum acceperimus spiritum sanctum, & nos & nostra opera uiuificẽtem, tunc simus uerè filij Dei per fidem iam tum ex Deo uiuam, quæ prius ex solo auditu erat mortua. Ita ut nequaq̃ dicendum sit cum Mennone (nam & ipsum Mennonem spero, si diligenter hæc scripta nostra excusserit atq; expenderit, per gratiam Dei, suarum inceptiarum palmodiam cãtaturum) ideo nos baptizari, quia sumus filij Dei: sed contrà ideò nos esse filios Dei, quia sumus baptizati, & obedientiæ atq; meriti Christi per baptismum facti participes.

Prius Christum induimus in baptismo, q̃ simus filij dei per fidem.

Si enim in baptismo Christũ induimus, ergo si nondum sis baptizatus, nondum etiam induisti Christum, quomodo igitur nondum indutus Christum, uideberis esse regeneratus, aut Christianus? Prius autem q̃ uerbum, quod erat in principio apud Deum, induisset carnem humanã, ipsum quidem erat Deus, sed nequaq̃ homo, neq; filius hominis. Sic etiam priusq̃ induaris Christum, es quidem homo, sed non Christianus, neq; filius Dei. Quemadmodum enim impossibile est sine uestibus indutis, esse uestitũ, et sine humana natura induta esse hominem, sic etiam sine Christo induto esse Christianum. Oportet igitur ut, cùm in baptismo induimus Christũ, in baptismo etiã regeneremur, in baptismo in filios Dei adoptemur, in baptismo Christiani efficiamur. Prius autem quàm hanc dissertatiunculam de regeneratione absoluam, hoc abs te rogo, ò Menno, qua fronte audeas non solùm splendidè mentiri, sed

Induti Christum sumus filij Dei, & non prius.

Iohan.1

Mendacium Menonis dicentis nos p baptismũ filios Dei factos.

etiam mendaciũ mendacio nectere, ut contra apertam scripturam dicat Apostolum docuisse Galatas, quod per fidem, & non per baptismum sint facti filij Dei. Vtrunq; enim falsum & mendax, ut tu capis: Siquidẽ nusquàm dixit Apostolus in hunc modum. Omnes filij Dei facti estis per fidem, & non per baptismum. Id enim si ostenderis, uiceris. Neq; dixit: Omnes estis facti filij Dei per fidem, quemadmodum tu mẽtiris. Sed simpliciter dixit, Omnes estis filij Dei per fidem.

Deut. 4. 12
Pro. 30
Apoca. 22

Porrò scis scriptum esse, quod nihil sit addendum uerbo Dei, ne inueniaris mendax, neue omnis maledictio, quam scriptura cõminatus est cuiquam, apponatur tibi, cur igitur addis uerbo Apostolico duas mendaces particulas, scilicet non per baptismũ, & facti. Nusquàm enim Apostolus (ut diximus, neq; tu, neque quisquam contrarium ostendere poterit) eam facit baptismi mẽtionem, ut dicat, nos non per baptismum factos esse filios Dei. Sed contrarium iam abundè docuimus ex eodem Apostolo, per baptismum uidelicet nos fieri saluos, idcoq;, & filios Dei Tit. 3

Per baptismum efficimur filij dei

An per fidẽ fiamus filij Dei.

Neq; item uerũ est, q̃ per fidẽ facti simus filij Dei, quemadmodũ tu id intelligis & doces. Tu enim contendis, per obedientiã fidei ex solo auditu natæ, ante remissionẽ per spiritum sanctũ in baptismo datam, nos ita factos esse filios Dei, ut ante baptismum uerè & perfectè fuerimus regenerati. Quod ex dictis nostris per scripturã patet esse mendacissimum. Interim tamen nos concessimus per fidem ex auditu uerbi nos præparatiuè fieri filios Dei. Sed inde neutiq̃ cõsequitur, per fidem ante baptismũ nos fuisse regeneratos.

Per fidem sumus filij dei

Apostoli autem sententia hæc est: Omnes estis filij

Dei

Dei per fidē, ut præpositio, per, significet permanentiā & perseuerantiam, hoc est per fidem, quam in baptismo, cum induistis Christū, per spiritū sanctū nobis infusam accepistis, et per quā nūc Christus in uobis habitat, estis et permanetis filij Dei tātisper quidē, dum ea fides, aut spiritus ipse, per quē illā accepistis, cum suis charismatibus in uobis manserit. Nā si is ſſ ūs, qui fuit uobis author fidei uiuæ, in uobis unq̄ esse desinat, ita ut quicquam fidei cōtrariū, et ab ecclesia Dei alienū, opinari, credere, docere et pertinaciter defendere inceperitis, tū demū, qđ absit, nō estis amplius filij dei.

Vide nunc quantum discrepet Apostoli sententia à tuis dictis. Nam factū esse, & esse multū differunt, præsertim hoc loco, quando loquitur de regeneratione, & quidem secundum Apostolum de permanentia essendi (ut sic dicam) loquentem. Dum enim Christus adhuc uersabatur in hoc mundo, eratq; amorum duos decim aut triginta. Imò & nūc, cum sedet ad dexterā maiestatis in excelsis, uerū est de ipso dicere, quod ipse factus sit homo per descensum ex sinu patris in uirginis matris intactū uterū, & assumptionē humanitatis ex ea. Non tamē uerū est, quod nūc sit homo per id ipsum. Nō enim ut homo sit et permaneat, oportet ut perseueret descendere in matrē, & inde assumere humanitatē, sicut oportet nos perseuerare in spiritu sancto, per quē fidē uiuā accepimus, si uelim⁹ permanere filij Dei. Rursus è diuerso uerū est de Christo dicere, q̄ ipse sit Deus per diuinitatē: nequaq̄ tamē dixeris, q̄ sit factus Deus per diuinitatē. Similiter de Apostolo Petro, quem nunc credimus regnare cum Christo, uerum est dicere, q̄ ipse nunc sit filius Dei per apertā uisionem & gloriæ æternæ fruitionē, et tamen nō est

Fieri & esse differunt.

Luc. 2.
Heb. 1

Luc. 1

Ioan. 3

Luc. 23
Phil. 1

Mendacium Menonis dicētis nos nō p baptismū filios Dei factos.

etiam mendaciū mendacio nectere, ut contra apertam scripturam dicas Apostolum docuisse Galatas, quod per fidem, & non per baptismum sint facti filij Dei. Vtrunq; enim falsum & mendax, ut tu capis: Siquidē nusquàm dixit Apostolus in hunc modum. Omnes filij Dei facti estis per fidem, & non per baptismum. Id enim si ostenderis, uiceris. Neq; dixit: Omnes estis facti filij Dei per fidem, quemadmodum tu mētiris. Sed simpliciter dixit, Omnes estis filij Dei per fidem.

Deut. 4. 12
Pro. 30
Apoca. 22

Porrò scis scriptum esse, quod nihil sit addendum uerbo Dei, ne inueniaris mendax, neue omnis maledictio, quam scriptura cōminatus est cuiquam, apponas tibi, cur igitur addis uerbo Apostolico duas mendaces particulas, scilicet non per baptismū, & facti. Nusquàm enim Apostolus (ut diximus, neq; tu, neque quisquam contrarium ostendere poterit) eam facit baptismi mētionem, ut dicat, nos non per baptismum factos esse filios Dei. Sed contrarium iam abundè docuimus ex eodem Apostolo, per baptismum uidelicet nos fieri saluos, idcoq;, & filios Dei Tit. 3

Per baptismum efficimur filij dei

An per fidē fiamus filij Dei.

Neq; item uerū est, q̄ per fidē facti simus filij Dei, quemadmodū tu id intelligis & doces. Tu enim contendis, per obedientiā fidei ex solo auditu natæ, ante remissionē per spiritum sanctū in baptismo datam, nos ita factos esse filios Dei, ut ante baptismum uerè & perfectè fuerimus regenerati. Quod ex dictis nostris per scripturā patet esse mendacissimum. Interim tamen nos concessimus per fidem ex auditu uerbi nos præparatiuè fieri filios Dei. Sed inde neutiq̄ cōsequitur, per fidem ante baptismū nos fuisse regeneratos.

Per fidem sumus filij dei

Apostoli autem sententia hæc est: Omnes estis filij

Dei

Dei per fidē, ut præpositio, per, significet permanentiā & perseuerantiam, hoc est per fidem, quam in baptismo, cùm induistis Christū, per spiritū sanctū nobis infusam accepistis, et per quā nūc Christus in uobis habitat, estis et permanetis filij Dei tātisper quidē, dum ea fides, aut spiritus ipse, per quē illā accepistis, cum suis charismatibus in uobis manserit. Nā si is ſ ūs, qui fuit uobis author fidei uiuæ, in uobis unq̄ esse desinat, ita ut quicquam fidei cōtrariū, et ab ecclesia Dei alienū, opinari, credere, docere et pertinaciter defendere inceperitis, tū demū, qđ absit, nō estis amplius filij dei.

Fieri & esse differunt.

Vide nunc quantum discrepet Apostoli sententia à tuis dictis. Nam factū esse, & esse multū differunt, præsertim hoc loco, quando loquitur de regeneratione, & quidem secundum Apostolum de permanentia essendi (ut sic dicam) loquentem. Dum enim Christus adhuc uersabatur in hoc mundo, erat q; annorum duos deceim aut triginta. Imò & nūc, cùm sedet ad dexterā maiestatis in excelsis, uerū est de ipso dicere, quod ipse factus sit homo per descensum ex sinu patris in uirginis matris intactū uterū, & assumptionē humanitatis ex ea. Non tamē uerū est, quod nūc sit homo per id ipsum. Nō enim ut homo sit et permaneat, oportet ut perseuret descendere in matrē, & inde assumere humanitatē, sicut oportet nos perseuerare in spiritu sancto, per quē fidē uiuā accepimus, si uclim⁹ permanere filij Dei. Rursus è diuerso uerū est de Christo dicere, q; ipse sit Deus per diuinitatē: nequaq̄ tamē dixeris, q; sit factus Deus per diuinitatē. Similiter de Apostolo Petro, quem nunc credimus regnare cum Christo, uerum est dicere, q; ipse nunc sit filius Dei per apertā uisionem & gloriæ æternæ fruitionē, et tamen nō est

Luc. 2.3
Heb. 1
Luc. 1
Iohan. 3
Luc. 23
Phil. 1

uerum quod primo sit factus filius Dei per id ipsum. Vides igitur quomodo non sint eadem, per fidem esse filium Dei, & per fidem factum esse filium Dei, cum hoc sit falsum, iuxta tuam sententiam, de nobis, & alienum ab Apostolo, illud uerum & Apostolicum, & semper ab Ecclesia Dei creditum atq; doctum.

Nunc itaq; si quis adhuc dubitet an per baptismū in spiritu sancto regeneremur atq; iustificemur, atq; filij Dei per fidem uiuam efficiamur, cum iuxta Pauli admonitionem censeo ut hæreticum hominem deuitandum, quia subuersus est, qui huiusmodi est, & delinquit, cùm sit proprio iudicio condemnatus, Tit. 3.

Quod in baptismo detur nobis spiritus sanctus, per quem iustificemur & saluemur, nō autem per quē in conscientijs nostris semper certi simus gratiæ Dei, remissionis peccatorū, ac vitæ æternę per Christum. Cap. IX.

IN superioris capitis initio audiuimus, quòd Menno super illud Act. 2. Pœnitentiam agite, & baptizetur unusquisq; uestrum & c. tria putet desiderari, ad hoc, ut uerè & Christicè baptizemur. Primò ut præcedat regeneratio è supernis, per quam efficiamur filij Dei. Secundò ut adhibeatur aqua, in qua obedientia filiorum Dei ostendatur. Tertiò ut detur cōmunicatio sancti spiritus, per quem in conscientijs nostris certiores reddamur gratiæ Dei, remißionis peccatorū, ac uitæ eternæ per Christum. Ne igitur quicquam uidcamur

consul-

consultò præterire atq; dissimulare, quod sit redargutione dignum, & summopere ex cordibus piorum extirpandũ, operæprecium esse visum est, cùm de regeneratione, ac spiritus sancti communicatione, in remissionem peccatorum, ac iustificationem, per baptismũ expetẽda, satis dictũ sit, ut hanc quoq; postremã eius blasphemiã de conscientiarum certitudine retundamus, eaq; paulò lõgius pertractemus, q̃ huic loco forsan necessariũ uideatur, eò quòd ipse Mẽno in omnibus suis libellis, eorumq; plurimis locis, hoc ferè solo argumẽto quasi õn ualidissimo, et ad sua dogmata omnibus cõmendanda obtrudẽdaq; accõmodatissimo nitatur, quod ex propriæ cõsciẽtiæ elogio, quasi ex spiritus sancti oraculo, aut ex tripode Apollinis prõpsit.

Omnibus ubiq; hæreticis id fuit semper inter ipsos cõmune & proprium, ut se ex testimonio suæ cõscientiæ quasi secundũ scripturã, sed heu nimis cõtra scripturã, dicerent uerũ esse corpus Christi, se esse ueras & innocentes oues Dei, se esse ueros adoptionis filios, deniq; se habere spiritũ sanctũ, atq; se in cordibus suis remissionẽ peccatorũ sentire, alios uerò omnes à se alienos, esse impios: uidelicet ut his strophis fidem faciãt simplicib. & incautis hominib. se quoq; habere et literã uerbi diuini, atq; ipsius literæ uerũ sensum, alios aũt literã quidẽ habere, nõ aũt uerũ eius intellectum. Potissima enim probatio, qua Menno (ut ex hoc uno ceteros, quasi ex unguibus æstimes leonẽ, sunt enim hac in re eiusdẽ farinæ omnes) ostendat suã doctrinam esse diuinã, non ex reuelatione diuina, sed ex testimonio propriæ cõscientiæ sumitur: quod quidem cõscientiæ testimoniũ ex literali uerbo Domini (ut

Hæretici sibi tuntur suæ cõsciẽtiæ falso testimonio.

(ut supra ex ipso Menone retulim⁹ cap. 3.) errũ esse
Brech.11 ait ipse. Et rectè quidè, Quadrat enim bene, ut occi-
6.Cor.3 sor animarũ, ex litera, quæ occidit, saq; uel deprauata, uel perperam intellecta, suæ hæreseos principium se sumpsisse dicat.

Nam si quis literã sine spiritu, imò contra ueritatis spiritũ sectari uelit, quemadmodũ Menno seipsum fassus est declarat, ut partim antea patuit, & partim postea patebit, is non modò Mennonianos, sed & ipsum diabolũ ostenderit esse ex Deo. Nã scriptũ est. Omnis
Iohan.4 spiritus qui cõfitetur Iesum Christũ in carne uenisse, ex Deo est. Atqui diabolus iè secundũ literã confiteri uidetur. Marc.5. Quid mihi & tibi Iesu fili Dei altissimi? Rursus. Act.16. Isti hoẽs serui Dei & excelsi sunt, qui annunciãt uobis uiã salutis. Quod itaq; Mẽs-
Verũ signũ erroris se ex suę cõscientiæ testimonio innocentẽ & sanctũ iactare. no ex litera sine spiritu, perperam intellecta, & ex erroneo cõscientiæ suæ testimonio, omnibus persuasum esse cupit, se suosq; esse germanos uerosq; filios dei, atq; in cordibus suis uerè peccatorũ remissionẽ et spiritũ sanctũ sentire, id nos aspirãte Deo docebimus uerum esse signum erroris, uerum argumentũ pseudoprophetias, ucrunq; iudiciũ lupinæ hæreseos, præsertim si pertinaciã adiunctã habeat. Cùm sit scripturæ & fidei contrariũ, ita de sese, citra peculiarẽ Dei reuelationem, magnificè sentire, gloriari, atq; iactare.

Mẽno. Audiamus primò ipsius Mennonis uerba. In libello cui fecit titulũ, Cur Menno Simonis nõ cesset & cloquor, inquit, liberè & ex uero & certo spiritu, quod hæc nostra doctrina, nõ sit nostra sed eius qui misit nos Christi Iesu, ut suprà semel retulimus. Additq;, Quotquot Dei uoluntatem facere uoluerint, hi bene cognoscent,

scent, quod doctrina nostra ex Deo sit, et c. Sed age, ò Menno, quæ est hæc inaudita & mendax arrogantia, ut dicas ex solius conscientiæ testimonio, q̃ omnes bene cognoscãt tuã doctrinã ex Deo esse. Cùm tamẽ nõ tã arroganter Christus ipse id de se voluerit dicere? Redargutiõ erroris Mẽnonisti.

Nam Christus ipse, quanq̃ esset reuera missus ita à patre, ut nunq̃ fuerit solus, sed patrẽ semper habuerit secũ, ut in quo oĩs plenitudo diuinitatis habitabat corporaliter, qui & quæcunq; placita erant patri, faciebat semper, noluit tamen, ut suo unius testimonio mundus crederet. Nã ait, Si ego testimoniũ phibeo de me, testimoniũ meum nõ est uerũ. Et, Si ego glorifico meipsum, gloria mea nihil est. Sed habuit testimoniũ patris, uoce delapsa ad eum huiuscemodi à magnifica gloria. Hic est filius meus dilectꝰ, in quo mihi bene cõplacui, ipsum audite. Quæ uox bis audita est. Quinetertiò, uox quoq; patris audita est nõ modò à Iudæis, sed etiã à gentibus, testimoniũ de filio perhibens. Io. 12. Habuit præterea testimoniũ Iohãnis. Habuit testimonia multa scripturæ. Habuit deniq; testimoniũ suorum operum, qualia nullus alius facere poterat, sic cunctis rationẽ scripturæ dicentis. Esa. 35. Tunc aperientur oculi cæcorũ, et aures surdorũ patebũt, tũc saliet sicut ceruus claudus, & aperta erit lingua mutorũ. Iohan. 8 Colloss. 2 Iohan. 1. 14 Christꝰ suo testimonio se cõmendabilẽ reddere noluit. Iohan. 5 Iohan. 8 2. Pet. 1 Mat. 3. 17 Iohan. 12 Iohan. 1. 6 Mat. 11 Iohan. 14

Tu uerò (ò Menno) cùm nullum huiusmodi testimonium habeas, non patris, ais enim te non loqui ex reuelatione, aut inspiratione. Neque scripturæ, nam ea est multis modis contra te, ut iam ex parte ostendimus, ac deinceps magis ostendemus. Neque testimonium operum, nam ea quantumuis in speciem forsan bona (ut taceam de blasphemijs, mendacijs, Menno ex suo solius testimonio se cõmendat.

eccles

Ecclesiæ Dei & sacramentorũ Christi conculcatione, & id genus alijs horrẽdis sceleribus) uel in gentibus à Deo alienis inueniri possunt omnia, ut pòst patebit, cumq; ipse aliquãdo, quasi tui immemor, urgente cõscientia fateri cogaris, te apud Deum esse quotidianũ peccatorem, quomodo ex tuo solius coq; falso probatis testimonio iactas, id nosse omnes quod tua doctrina ex Deo sit? Imò omnes quotquot Christò credere uolunt dicenti. Si ego testimonium perhibeo de me ipso, testimonium meum non est uerum, bene sciunt, neq; quicquã addubitant, quin tua doctrina sit ex patre mendacij diabolo, præsertim cùm tuũ ipsius de te testimoniũ sit falsum, impiũ, & scripturæ contrariũ.

Iohan. 5

Meano.

Nam quòd in fine libelli de baptismo dicis, Vos retã ueritatem & uitã æternã quærere puro & mundo corde uosq; esse ueros et innocentes Dei filios, id apertè pugnat contra illud, Prou. 20. Quis potest dicere mundũ est cor meũ, purus sum à peccato? At multò horribilius est in eodẽ libello, quod de te & tuis cælestibus pronuncias, ne unã quidẽ falsitatis literã, aut unicũ fallax uerbũ in ore uestro inueniri, aut audiri, cùm in hoc uno libello sim plus minus centũ mendacia pnicioßima ex te profecta ostensurus. Quid uerò nõs ne his uerbis te Christo nõ modò similẽ, sed multò maiorem statuis? Nã de Christo duntaxat legimus, quod non sit dolus inuentus in ore eius. Tu uerò, ut extollas te supra omne quod dicitur Deus, aut quod colitur, & in templo Dei sedeas, ostentans te quasi sis Deus, parum putabas dixisse in ore tuo tuorúmque non esse dolum, sed addidisti miram & abominabilem hyperbolen, ne unam quidem literam doli, esse in

Meano iactat ne unã quidẽ literã mẽdacij in ore suo inueniri

1. Pet. 2
2. Thess. 2

ore

ore uestro. Id quod nusquàm ita hyperbolicè de Christo ipso scriptũ extat, quanq̃ non negẽ de eo sic posse dici. At de nobis quidem omnibus dictum est, quod in multis offendimus omnes. De te igitur meritò quis dixerit illud Persianum Ad populum phaleras, ego te intus & in cute noui. Iacob. 3

Audiamus præterea, quid in libello, quem scripsisti instar precationis super Psal. 25. ex eodem fallacis tuæ conscientiæ testimonio blasphemes, sic inquiens: Si non habeo uerba Iesu Christi, ò amantißime pater, cupio ea ex toto corde doceri. Nam ea quæro cũ magno timore atq; tremore. Certè hac in re non possum decipi. Verbo tuo credidi, illudq; suscepi per spiritũ sanctum, ut certum ueritatis uerbum &c. Paulò pòst Ego scio, inquis, certò & firmiter, quòd hac mea doctrina, quod est uerbum Dei, in die recti iudicij, nõ soelũ dominos & principes, non solũ mundum, sed ipsos etiã angelos iudicabo &c. Paulò pòst. Domine uerbũ tuum terret me, quod dicit: Qui stat, uideat ne cadat. Qui existimat se aliquid esse cùm nihil sit, ipse se seducit. Quia omnis caro spiritu tuo destituta, non est nisi mera cæcitas: ut patuit in Dauide, & Petro, & alijs &c. Quamuis itaque nunc dico, inquis, cum Paulo ex uero corde. Quis me separabit à charitate Christi? Et, Certus sum, quia neque mors, neque uita, neq; angeli, neq; principatus, neq; uirtutes, neq; instantia, neq; fut. neq; fort. neq; alt. neq; profund. neq; creat. al. poterit me separare à charitate Dei, quæ est in Christo Iesu Domino nostro. Non sum tamen mihimet ipsi notus. Omnis fiducia mea in te stat. Quamuis patrum ex calice passionis tuæ bibi, nondum tamen infis- Mẽo iactat se nõ posse so parari à charitate Dei.

Ecclesiæ Dei & sacramentorũ Christi conculcatione, & id genus alijs horrẽdis sceleribus) uel in gentibus à Deo alienis inueniri possunt omnia, ut pòst patebit, eumq; ipse aliquãdo, quasi tui immemor, urgente cõscientia fateri cogaris, te apud Deum esse quotidianũ peccatorem, quomodo ex tuo solius coq; falso probitatis testimonio iactas, id nosse omnes quod tua doctrina ex Deo sit? Imò omnes quotquot Christò credere uolunt dicenti. Si ego testimonium perhibeo de me ipso, testimonium meum non est uerum, bene sciunt, neq; quicquã addubitant, quin tua doctrina sit ex patre mendacij diabolo, præsertim cùm tuũ ipsius de te testimoniũ sit falsum, impiũ, & scripturæ contrariũ.

Iohan. 5

Mẽso. Nam quòd in fine libelli de baptismo dicis, Vos retã ueritatem & uitã æternã quærere puro & mundo corde uosq; esse ueros et innocentes Dei filios, id apertè pugnat contra illud, Prou. 20. Quis potest dicere mundũ est cor meũ, purus sum à peccato? At multò horribilius est in eodẽ libello, quod de te & tuis affectis pronuncias, ne unã quidẽ falsitatis literã, aut unicũ fallax uerbũ in ore uestro inueniri, aut audiri, cùm in hoc uno libello sim plus minus centũ mendacia pnicioßima ex te profecta ostensurus. Quid uerò nõs ne his uerbis te Christo nõ modò similẽ, sed multò maiorem statuis? Nã de Christo duntaxat legimus, quod non sit dolus inuentus in ore eius. Tu uerò, ut extollas te supra omne quod dicitur Deus, aut quod colitur, & in templo Dei sedeas, ostentans te quasi sis Deus, parum putabas dixisse in ore tuo tuorúmque non esse dolum, sed addidisti miram & abominabilem hyperbolen, ne unam quidem literam doli, esse in ore

Mẽso iactat ne unã quidẽ literã mẽdacij in ore suo inueniri

1. Pet. 2
2. Thess. 2

ore uestro. Id quod nusquàm ita hyperbolicè de Christo ipso scriptũ extat, quanq̃ non negẽ de eo sic posse dici. At de nobis quidem omnibus dictum est, quod in multis offendimus omnes. De te igitur meritò quis dixerit illud Persianum Ad populum phaleras, ego te intus & in cute noui. Iacob. 3

Audiamus præterea, quid in libello, quem scripsisti instar precationis super Psal. 25. ex eodem fallacis tuæ conscientiæ testimonio blasphemes, sic inquiens: Si non habeo uerba Iesu Christi, ò amantißime pater, cupio ea ex toto corde doceri. Nam ea quæro cũ magno timore atq; tremore. Certè hac in re non possum decipi. Verbo tuo credidi, illudq; suscepi per spiritũ sanctum, ut certum ueritatis uerbum &c. Paulò pòst Ego scio, inquis, certò & firmiter, quòd hac mea doctrina, quod est uerbum Dei, in die recti iudicij, nõ solũ dominos & principes, non solũ mundum, sed ipsos etiã angelos iudicabo &c. Paulò pòst. Domine uerbũ tuum terret me, quod dicit: Qui stat, uideat ne cadat. Qui existimat se aliquid esse cùm nihil sit, ipse se seducit. Quia omnis caro spiritu tuo destituta, non est nisi mera cæcitas: ut patuit in Dauide, & Petro, & alijs &c. Quamuis itaque nunc dico, inquis, cum Paulo ex uero corde. Quis me separabit à charitate Christi? Et, Certus sum, quia neque mors, neque uita, neq; angeli, neq; principatus, neq; uirtutes, neq; instantia, neq; fut. neq; fort. neq; alt. neq; profund. neq; creat. al. poterit me separare à charitate Dei, quæ est in Christo Iesu Domino nostro. Non sum tamen mihimet ipsi notus. Omnis fiducia mea in te stat. Quamuis parum ex calice passionis tuæ bibi, nondum tamen imis Mẽo iactat se nõ possesso parari à charitate Dei.

mum deguſtaui. Quando enim carceres et uincula pā timur, quando proponitur mors, & uita, aqua, ignis, & gladius, tunc rectè diſcernitur aurū à ligno, argē tū à ſtramine, et precioſi lapides à ſtipula. Tum demū ne dereliquas me Domine. Vidi enim aliquādo arbo res profundè actis radicibus, ui nētorum euulſas atq; eliſas, et mōtes terræ motibus ruptos &c. Sic iſthic.

Mirum eſt, ò Mēno, & extremæ ſtupiditatis argumentū, quod ex iſta fœtidiſſima tuorū uerborum ſenſima tetertimū grauiſſimumq; mortis odorem non olfacias exhalantē. Nam iſthæc tua uerba, quantūuis in ſpeciem, ſi folia ſpectes, pulchra & melle conſperſa, intus tamen, ſi fructū quæras, amarulentiſſimo ſunt ueneno, & errore peſtilentiſſimo plena. Id porrò oſtendamus, non tamen ſingula cola & cōmata uerbaq; ſed præcipuas blaſphemiarum partes paucis diſcuſſuri.

Quando diſcernatur aurū à ligno, argētū à ſtramine &c. 1. Cor. 3

Primò quod dicis, quando carceres & uincula paretimur, quando mors & uita proponitur, q; tunc rectè diſcernitur aurum à ligno, argentum à ſtramine &c. ex 1. Cor. 3. non germano & uero uſus es Apoſtolicæ ſenſu ſcripturæ. Id aūt in quem finē feceris, ſatis odoror, quod non eſt huius loci ad plenū perſequi. Teſtatur enim idem Apoſtolus in eadē epiſtola ca. 13. fieri poſſet ut quis abſq; charitate pro animi ſui pertinacia etiā in mortem cōſtanter ultroq; ſe tradat id quod et noſtro ſeculo ſæpius uiſum eſt cōtigiſſe in noſtri temporis hæreticis lutheranis, quos tamen nec ipſe Mēno (nimirū cū ipſi⁹ doctrinæ in multis aduerſentur) dixerit pro auro, argēto, ſeu lapidibus precioſis habēdos, porrò quàm nihil locus ille Pauli 1. Cor. 3. propoſito Mennonis ſubſeruiat ſequentia luculenter oſtendent.

Deinde

Deinde quod dicis, ô Memno, te ex toto corde cupere & quærere doceri, atque ideo te non posse decipi. Id quidem eatenus rectum est, & fidei consentaneum, quatenus eum qui ex toto corde quærit Deum, non posse decipi credis Deut.4. Cùm quæsieris dominum Deum tuum, inuenies eum, si tamen toto corde quæsieris. Sed impiè sentis & loqueris, atq; pestimè & perniciosissimè falleris, quòd te iactas ex toto corde quærere Deum, statuens te tui ipsius iudicem, contra Apostolũ, qui non uolebat seipsum iudicare. Nam quamuis sibi nihil conscius esset, non tamen ob id se iustificatum pronunciauit, quemadmodum tu sæpenumero facis. Non qui seipsum commendat, ille probatus est, sed quem Deus commendat.

Memno errat dicens & iactãs se ex toto cordeque quærere Deum.

1.Cor.4

2.Cor.10

Non est enim cuiq; mortalium ex literis sacris aut ex testimonio propriæ conscientiæ certum & apertum, se ex toto corde quærere Deum, se nunc personaliter esse in gratia Christi, sibiq; nũc esse remissa peccata, seseq; sine dubio possessurum uitam æternam, nisi id Deus forte alicui manifestum reddiderit peculiari reuelatione. Sed oia in futurũ seruãtur incerta, eò q; uniuersa æquè eueniant iusto & impio, bono et malo, mundo & immũdo, immolanti uictimas & sacrificia contẽnenti. Sicut bonus, sic et peccator Eccle.9.

Nemo scit certò se nũc esse iustum, sibiq; nunc peccata esse remissa, sine reuelatione

Saulus dum adhuc spiraret minas & cædes in discipulos Domini, & ignoranter in Ecclesiam Dei persequeretur, nónne si rogatus fuisset, respõsurum putas se Deum ex toto corde quærere? Neq; ei cordis sui latebras unquam potuisset uerè perlustrare atque excutere, perspectasque & bene cognitas habere, nisi uerus scrutator cordium, misertus erroris, ipsum sibi

Act.9

Hier.17

aperuisset, ipsumq; sui uerum cognitorem fecisset.

Amici quoq; Iob se putabant scilicet non minus q̃ Mennoniani, ex toto corde laudem Dei quærere, dum iustitiam Dei iniquis & obliquis oculis contemplati, ostendere niterentur, flagellatum esse Iob, ob sua peccata, neq; iustum Deum posse quenquam innocentem affligere. Attamen uox diuina pronunciauit errasse eos, neq; remissionem inuenturos, nisi pro ipsis orante amico Dei Iob. Sic etiam nunc temporis, quicunque blasphemarunt Ecclesiam Dei, nunquàm consequentur misericordiam, nisi pro ipsis Ecclesia orãte, cuius caput est Christus, idq; ipsis postulantibus. Non est enim quod sibi mendaciter persuadeant se toto corde Deum quærere, nisi prius totam animi superbiam, omnem inuidiã, quam contra ecclesiasticos conceperunt, omnem perfidiam & hæresim prorsus exuant, & se humilient sub potenti manu Dei, & uultu in terram demisso (ut loquitur Esaias de nobilitate corporis Christi, quæ est Ecclesia Dei) adorent Sion, & pulueream pedum eius lingant, ascendantq; cum Paulo & Barnaba, secundum reuelationem ipsis factam ad nostram eruditionem, ad Christianorũ Hierosolyma, & conferant cum illis, qui præsunt Ecclesiæ Dei Gal. 2. 1. Thess. 5. Euangelium quod prædicarunt, ac præpositis obediant non secus atq; Christo & tanquàm Angelo Dei Luc. 10. Gal. 4. Malach. 2. Mat. 18. & quoscunq; suis erroribus deprauarunt, pro uirili, quoad fieri potest, restituant in integram fidem.

Iob. 42

Desertores Ecclesiæ nõ inueniẽt misericordiam nisi pro eis orante Ecclesia, idq; eis petentibus.

1. Pet. 5

Esa. 49

Gal. 2

Prætereà nõnne & Iudæos sibi persuasum habere putamus, se uidelicet ex toto corde quærere Deũ: de quibus Apostolus testimonium perhibuit, quòd æmulationem,

Rom. 10

lationem, ſtudium, feruoremq; Dei quidem habeant, ſed non ſecundum ſcientiam? Manifeſtum eſt enim, quemadmodũ Chriſtus fore prædixerat, quòd regnum Dei ſit eis oblatum, datumq; gentibus. Mat. 21

Imò uerò nónne & Turcas & quaſuis alias gentes putamus hanc ſibi feciſſe fidem, quòd nos Chriſtiani toto cælo erremus, ipſi uerò habeant germanam ac ueram Dei cognitionem, uerumq; Deum ex toto corde quærãt. Id certò dixiſti ipſe non modò id eas putare, ſed etiam reuera Deum ex toto corde quærere, nihilo tamen minus adhuc eſſe in uaſta Babylone, & ignorare quòd ab ipſa ueritate ſint alieni. Sic enim loqueris in fundamento capite ultimo: ut alibi retulimus. Sed age credis eas ſine fide ſaluas futuras? Non reor id te credere, Nam Apoſtolus reclamat Hebr. 11. Et Chriſtus ipſe Marc. 16. Conſtat itaque eas uana ſpe duci, atque inani confidentia niti, quòd ſe ex toto corde Deum quærere & habere putent Deut. 4.

Perſpicuum itaque eſt te quoq; haudquaq; intelligere quid ſit Deũ ex toto corde quærere, ac proinde te perperam, impiè & hæreticè ſententiam de teipſo ferre, quòd Deum quæras ex toto corde, neque ob id poſſis decipi. Cùm neque cor tuum ut Deum ſcruteris, neque quid ſit Deum quærere ex toto corde, ut theologus intelligas. Quid ſit deũ ex toto corde quærere, ignorat Menno. Pſal. 7

Qui enim Deum ex toto corde quærit, is ſine dubio eum inueniet Deut. 4. neque is, ut ipſe inquis, poteſt decipi. Qui ſit igitur ut gentes quæ ſecundum te quærunt Deum ex toto corde, decipiantur, ſintq; extra fidem? Profectò ut non hæ, ita nec tu, cum tuis Deum quæris ex toto corde: atq; ideò cum ipſis gens Menno ſibi contrarius.

tibus pernicioſiſſimè & deciperis & decipis, dū tan dem te falſis luſum imaginibus ſenties.

Oēs deſerto res Eccleſiæ iactāt ſe deū ex toto cor de quærere.

Poſtremò nomine & nunc temporis, quotquot deſe cerunt à Romana, eaq; germana Dei Eccleſia Luthe rus, Bucerus, Bullingerus, Zuinglius, Oecolampadius, & tertius Dauid, omnes iactant ſe ex teſtimonio ſui ſpiritus, ſe toto corde Deū quærere, atq; eum ſibi pro piciū habere? Quos tamen cōſtat ita non modò tecū, ſed etiam inter ſeſe pugnare, ac diuerſa ſentire, ut ſi Lutherus uerū dicat, oporteat et Mennonē, et tertiū Dauidē, et Zuinglium mentiri, nec Deum toto corde quærere, neq; præſentē ſibi habere. Sin tu uerū dicas, oporteat & Lutherum & Bucerum & Melanchtho nem, & Zuinglium reliquosq; omnes errare.

Diſcordes ſūt hæretici

Quid ergo obſecro te per Deum immortalē, ò Mē no, faciat ſi quis de Romana eccleſia ſubdubitet, quod abſit, et cupiat alicui ueſtrū adhærere? Cui uis adhæ reat? Tibine? an Luthero? an Oecolampadio? an alij? Tibi inquis. Sed quo argumēto tibi potius q̄ Luthero ſuades accedēdum? Tam enim Lutherus habet literā ſcripturæ eamq; depraua tam ſine ſpiritu, q̄ tu. Tam quoq; Lutherus ſibi ſcilicet arrogat uerū ſcripturæ intellectū ex propria cōſcientia mendaci teſtimonio, q̄ tu. Quod enim tu dicis te ſentire remiſſionē peccato rum in corde tuo, te habere ſpiritū ſanctum, te eum tuis eſſe ueros adoptiōis filios atq; uerū corpus Chri ſti. Id & ſe eſſe cōtendit non modò Lutherus, tertius Dauid, cæteriq; qui nūc tragœdia impietatis mouēt, ſed idipſum etiā ante nos ſemper clamarūt, quicunq; uiperino morſu unq̄ ex corroſis lateribus matris pro rumpere nixi ſunt, quiq; matrem ſuam ex qua prodie

rant

rent,necare moliti sunt,sed irrito conatu,Donatistæ, Manichæi,Arriani,Priscilliani,cæteriq; Romanæ Ecclesiæ desertores atq; oppugnatores.

Ipsa autem uera Ecclesia Dei,non ex suæ pietatis testimonio,sed ex efficacissimis diuinæ scripturæ oraculis ac promissis se ostendit esse uerã Christi Ecclesiã fundatã nimirũ super firmã petrã: non aũt super arenã conscientiæ humanæ atq; mẽdacis:quippe cũ omnis homo sit mendax,quomodo nõ et omnis cõscientia humana mẽdax? Absit igitur ut cuiq; eorũ credã,qui mẽdacis cõscientiæ testimonio nitũtur quidẽ omnes,neq; tamẽ ullam opinionum cõcordiam,ullã fidei unitatem seruare possunt, de quibus rectè dixeris Bellua multorum es capitum:nam quid sequar,aut quem? Vera Ecclesia Dei non suę cõscientię sed scripturæ testimonio nititur Mat.7 Psal.115

Tot enim inter eos qui deseruerũt castra Dei,sunt sentẽtiæ,quot propemodum capita:nisi quòd in duobus omnes cõspirant. Alterum est quod dixi,& quod paulò pòst impiũ esse & scripturæ contrarium ostendam:quòd uidelicet omnes se suo pede perperam metiuntur,suæq; mendacis conscientiæ testimonio quasi oraculo Dei nituntur. Alterum quòd Romanam Ecclesiam uno animo omnes oppugnant, expugnatamq; atque deletam cupiunt. Nulla enim alia inter eos est concordia. Ea quoque coniuratio est in regno sathanæ,quòd in hoc omnes uno incũbunt spiritu, ut salutem hominum impediant. Sed his supersedendo,accedamus propius ad rem, & testimonium propriæ conscientiæ mendax & fallax ex ipso scripturæ inuincibilis testimonio ostendamus. In duob⁹ cõspirãt & consentiunt hæretici. Luc.11

Nam quod Apostolus dicit sathanam se transfigurare in angelum lucis,id non modò forinsecus contin- 2.Cor.11.

Impij sentiunt in animo nõ minꝰ q̃ pij testimonium q̃ sint filij dei, sed falsum, & à diabolo profectum.

Rom.8
Mat.4
Eccle.5

Prou.30

git, sed etiam intus: dum sese in impiorum mentes insinuat, & dat ipsis, quasi ex spiritu sancto, falsum probitatis pietatisq; testimonium. Quemadmodum enim spiritus sanctus testimonium reddit spiritui nostro q̃ simus filij Dei: Ita etiã spiritus malignus, qui se ubiq; Dei simium quẽdã & æmulatorẽ præbet, ac studet ut Deus & haberi & adorari ijs, quos possessos habet, testimoniũ reddit, & dulcedine quadã intus tãgit, afficit atq; mutat, qua & ipsi sibi persuadeant se esse filios Dei. Sunt enim impij, inquit Ecclesiastes, qui ita securi sunt, quasi iustorũ facta habeant. Et est generatio quæ sibi munda uidetur, cũ tamẽ non sit lota à sordibus. Versutißimus enim hostis humani generis non habet aliam technam ita efficacem, qua plures homines suis uinculis irretitos teneat, quàm ut eorum animos uana et falsa pietatis opinione imbuat, falsisq; laudat imaginibus, ita, ut se putent ueros esse Dei amicos, neque quicquam cogitent de agenda pœnitentia, quasi qui uel nulla, uel non grauia peccata habeant.

Psal.18

Propter quod precabatur Dauid: Ab occultis meis munda me. Præceßit enim, Delicta quis intelligit?

Pij aliquando ad tẽpus à Deo videntur derelinqui &c.

Psal.12

Sciebat nimirũ diuinus ille propheta, pios aliquando quasi à Deo aliquantisper derelinqui, & ærumnis quadã animi affici, nec æquè præsentes semper diuini numinis sentire stimulos, ut meritò semper deberent semetipsos suspectos habere, & ad misericordiã Dei cum timore atq; tremore confugere, & cum prophetà clamare: Vsq; quo Domine obliuiscêris me in finem? usq; quo auertis faciem tuam à me? Quandiu ponam consilia in anima mea? & dolorem in corde meo per diem? Vsq; quo exaltabitur inimicus meus super me?

Et

Et alibi: Anima mea, sicut terra sine aqua, tibi. Velociter exaudi me Domine, defecit spiritus meus. Quid, quod & ipse Christus clamarit: Deus meus, Deus meus ut quid dereliquisti me? De qua tamen derelictione non est hic consilium diu loqui. Psal. 142 Mat. 27 Psal. 21

Impij aliquando sentiunt in aio ardentiores quasi Dei stimulos, sed falsos & fallaces, q̃ pij.

Sciebat prætereà idem ille Regius propheta plerunq; & contrariò impios ardẽtioribus in animo tangi & agi quasi pietatis & amoris diuini stimulis, quàm ipsos pios: neq; ob id quenq̃ debere continuò sese gloriosius efferre, et quod peius est, instar euãgelici Pharisæi, cæteris hominibus et ipsi publicano se præferre: sed semper cũ Dauide humiliter dicere: Delicta quis intelligit? ab occultis meis mũda me Domine. Nam & Saulus nonnihilo ardentior & uiolentior uisus est fuisse in destruenda, quàm in ædificãda Ecclesia Dei, iuxta quod dicitur: Impij quasi mare feruens quod quiescere nõ potest. Et alibi: Anima calida quasi ignis ardẽs, non extinguetur, donec aliquid glutiat. Diabolus enim ui nititur, Deus aũt disponit omnia suauiter. Atq; hinc est cur Apostolus Ro. 10. tribuat Iudeis æmulationem & ardorem Dei, sed sine scientia. Qui profectò eorum ardor satis emicuit, dum extremã darent operam contra Christum Iesum, & eius discipulos, ut eos profligarent, suasq; leges tuerentur. Christus uerò ipse non daret cum impetu summã operam. Erat enim omnipotens, qui eos omnes uel uno nutu potuisset aut in suam sentẽtiam uertere, uel rebelles excindere atq; perdere, sed relinqueret unicuiq; libe rum, quod est Dei, credere uel non credere, animos interim beneuolorum suo spiritu in amorem sui trahens atque inflammans. Psal. 118 Act. 9 Esa. 57 Eccles. 23 Sap. 8 Eccles. Iohan. 20 Ac. 2. 4. 8. 10

Hæretici, ve hemētiores & violentiores catholicis.

Talis & ardor sine scientia nūc apparet non paulò (ni fallor) maior in hæreticis q̄ in catholicis, ita ut illi lorum multi, postquam ea peste plenius infecti sunt, tanto ardore agantur, ut neq; noctes neq; dies quiescere possint, quin animo uoluant & meditentur, quos modo quo iure quaq; iniuria effectū reddāt, quod sibi rectū esse finxerunt, nunc blandicijs & largitionibus (quas ipsi uocāt eleemosynas) ad se pertrahētes quot quot possunt, nūc insidijs, direptionibus et oppressionibus aduersariorū copias frangētes, dissipantes atq; cōculcantes ubicunq; possunt, nullo rationis, nullo iuris ordine seruato, cum Christianorū arma sint oratio & gladius spiritus sancti, nisi q; quibusdā datū est, nō sine caussa gladiū portare, & esse uindices eius, qui malū agat. Cùm itaq; (ut diximus) non modò spiritus sanctus, sed et spiritus malignus reddat testimoniū spiritu nostro, quòd simus filij Dei, hic quidē falsum, & plerumq; uiuacius ac uehementius, ille autem uerum & sæpenumero languidius, fit ut ubi senseris in animo tale testimonium, meritò dubites an à spiritu sancto, an à sathana, qui se transfigurat in angelum lucis, sit profectum, nisi peculiari reuelatione aliud tibi significatum fuerit. Vult enim Deus in hac uita nos non esse certos, sed omnia in futurum seruari incerta, ut Domino semper seruiamus in timore & tremore. Nō quasi propterea minus credamus promissis Dei, aut quasi spes nostra uacillet.

Ephe. 6 Rom. 13

Omnia in futurū seruāt incerta. Eccle. 9 Psal. 2

Fides nō iubet credēdū q̄ ego nunc sim in gratia Dei, & viuū

Fides enim non iubet ut ego firmiter & certò credam, aut me aut te aut alium quemuis sine dubio & nunc esse in gratia Dei, & post hanc uitā fore saluū. Imò id est cōtra fidē dicente scriptura Luc. 17. Cùm

Feceritis omnia quæ præcepta sunt, dicite, quia serui inutiles estis. Non enim uult Christus ut mentiamur. Si itaq; iubet ut dicamus nos inutiles, etiamsi feceris mus omnia quæ nobis præcepta sint, sine dubio & iubet ut idipsum etiam in animo de nobis sentiamus. Aloqui si animo putemus & credamus nos utiles, & ore dicamus nos inutiles, profectò mentiremur. Christi mẽbrũ, ac certũ saluus futurus, id est cõtra fidem.

Sed fides iubet ut firmiter credam Christũ Iesum & me & te et alium quẽuis, imò & ipsum proditorẽ Iudã, atq; adeò quotquot sunt & erunt apud inferos redemisse & liberasse, neq; quicq; amplius effudisse sanguinis pro hoc q̃ pro illo. Non tamen omnes fore saluos, sed eos dunt axat futuros saluos, qui obtempe rent Christo, & seruerit omnia quæcunq; mãdata sint ipsis, quiq; perseuerauerint usq; in finẽ. Qui enim cõ dẽnabuntur, non Christi uitio, sed sua culpa cõdemna buntur. Quia itaq; incertum est, neq; id scriptura certò docet, neq; etiã iubet credendum, q̃ ego aut tu aut quiuis alius uerè & per omnia nũc Christo obtem peremus, & Deum ex toto corde quæramus (solus es nim Deus est scrutator, non autem ego, cordis mei) incertum quoque manet, neque iubet scriptura sed prohibet credere, nos nunc esse gratos Deo, & certò saluos futuros: ut paulò pòst ex ipsius scripturæ thesauro ostendam, si prius id rationibus quam potero efficacissimis euicero. 1.Tim.2 1.Iohan.2 Heb.5 Mat.28 Mat.24 1.Reg.16 Hier.17 Psal.7 Act.1

Quicquid enim ego de me iubeor credere secundum scripturã, hoc ipsum & tu de te, & quiuis alius de se credere debet. Quamuis enim scriptura de multis & uiris & mulieribus tam laudatis q̃ illaudatis celebrem mentionẽ faciat, non magis tamen de me, quàm

de

de te, aut de tertio Dauide, aut rege Monasteriēsium loquitur. Si igitur est necesse, ut tu, quādocūq; te putas ex toto corde Deum quærere, credas tibi peccata esse remissa, & te sine dubio fore saluū, etiam necessarium fuerit, ut rex Monasteriensium, tertius Dauid, Lutherus, aut quiuis alius quantūuis sceleratißimus, quandocunq; putat se ex toto corde Deum quærere (quemadmodum multi q̄is facinoroßimi putant) credat sibi peccata esse remissa, & se fore saluū. Atq; ita futurum est ut non modò fides sit mendax, sed ipsum præceptum Dei (est enim fides diuini præcepti) iubeat, quod sit falsum, & fallax, quod dictu fuerit absurdißimum, & auditu horrendißimum. Si enim Saulus debebat credere se esse iustum, & se habere spiritū sanctū, dum ignorāter persequendo Ecclesiā Dei, putabat se ex toto corde Deum quærere, nónne fides eius falsa, et mēdax erat, atq; incredulitati cōiuncta?

Si ex fide fit mihi credendum me nūc esse iustum, fides erit sæpe falsa, & falsum iubebit credēdū.

Act. 9.

Rursus cùm fides sit catholica & uniuersalis, cur non, si ego tenear me credere, uidelicet me nunc esse iustificatum, præsertim quando non tibi patet de me contrarium, & quando ex bonis fructibus secundum Euangeliū iudicare debes arborem esse bonam? Multò enim minus licet tibi damnare uel condemnare me, quàm mihimetipsi me. Et cōtrà multò magis oportet ut de me rectè sentias, si modò non propinem tibi iustam occasionē ex manifestis impietatibus sinistrè de me sentiendi, quàm egometipse de me. Nam iustus accusator debet esse sui. Prouerb. 18. At quantò magis iniustus? Iam uerò si eos omnes, qui foris mihi uidētur operibus & fructibus bonis abundare, ac Deum toto corde quærere, debeo credere, nunc esse iustos, cùm

Mat. 7. Luc. 6.

sint

sint multa multorum horrenda peccata, quæ in hoc mundo nũquàm prodibunt in publicum, quamuis ipsi uideantur optimi, nimirum fides mea multis scatebit mendacijs. De arcanis autem non licet mihi iudicare. 1.Cor.4

Prætereà si cuiquã secundum scripturam credere uel licet uel necessarium est, sibi nunc peccata esse remissa, & se fore saluum, nónne id maximè Salomoni, & Nicolao uni ex septem primis licuisset, præsertim quando hic Apostolica authoritate delectus erat ex multorum numero cum beato Stephano, & creatus diaconus Ecclesiæ, illi uerò diuinitus dictũ erat diuitias & substantiam et gloriam dabo tibi, ita ut nullus in regibus nec ante nec post te fuerit similis tui? At cùm Nicolaus ille diuina uoce condemnatus sit hæreseos, & Salomon, quantumuis sapientißimus, in grauißimam idololatriam lapsus sit, ex qua secundũ scripturam non cognoscitur resipuisse, profectò si credi dissent se saluos fore, fides eorum perpetuò fuisset falsa. At quantò minus nobis, qui neque diuino neque Apostolico ore nominati sumus unquàm, licebit credere de nobis, quòd nunc iusti simus ac certò salui futuri, quamuis uideamur nobis nunc, imò & simus sanctitate præclari? Act.6 2.Paral.1 Apoc.2 3.Reg.11

Postremò potest quidem fieri, ut qui nunc habet fidem, cras non habeat, si forsan cras impia persuasione seductus falsum uel incredibile putet, quod prius uerum credendumq; uerè existimabat. Sed quod unum idemq; axioma, nunc sit uerum credendumq;, nunc falsum atq; incredibile, atque deinde rursus uerum, idq; incessabili uicißitudinis fluxu atq; refluxu, id nusquã inuenies. Nam aliud est uerũ simpliciter, aliud autem

fide

fide credendũ. Si igitur hæc enunciatio. Mennonunc est iustus, sit non modò simpliciter uera (ut id docens di gratia esse fingamus) sed etiam Christiana fide credenda, cùm septies in die cadat iustus, profectò ea fides monstro simillima fuerit, & uel ipso Euripo mutabilior. Peccante enim Mennone falsa erit et nõ credenda. Id autem quoties abhinc uiginti aut triginta annos factum sit ut Menno peccarit, & suum fidei axioma falsum reddiderit, non libet coniectare. Quãobrem cùm id in nullis omnino axiomatis, quæ sub fidẽ cadant inueniri queat, ut tam crebra mutatione ex ueris in falsa & uicißim ex falsis in uera abeant, nisi in hoc Mennoniano, euidentißimum est neutiquam fidei esse cuiquam credendum, quod ego cum Mennone nunc simus iusti & sine dubio, hac mortalitate exuta saluandi.

Pro. 24

Firmiter sperare debem⁹ nos fore saluos, sed non certò & firmiter credere.

Nec; ob id spes nostra uacillat. Sed firma & certa spe expectare debemus in hac quidem uita per sacramentum baptismi & pœnitentiæ, peccatorum remissionem, in seculo aũt futuro uitam æternã. Nam spes certa est quidem, non in nos, sed in Deum fixa. Si Deũ spectamus certißimum sit nobis, eum esse fidelem & in promißis & in comminationibus. Sin nosipsos spectamus, horrorem quendam concipimus de tenebris et infirmitate nostra: scientes lapsum esse angelorũ nobilißimum, hominum sapientißimum Salomonem, & populorum electißimum Israelem, nec; magis Deum nobis debere perpetuam nostri tutelam atq; gratiam suam, qua nos ab omni casu præseruet, atque in uiam salutis æternæ nunquam deduceret cesset, quàm aut il-

Ps. 14
3. Reg. 11
Mat. 21

lis,

lis, aut Iudæ uocato Apostolo, aut Saul electo regi, aut Nicolao constituto Diacono, aut regi monastes rienſium aut tertio Dauidi debuerat, dicente ſcriptura. Noli altum ſapere, ſed time. Si enim Deus naturalibus ramis non pepercit, ne fortè nec tibi pareat. Huiuſmodi autem conſcientiæ incertitudo atque trepidatio non debet deijcere aut contriſtare animos uerè pios, ſed magis Chriſto ſubijcere, & fiduciam erga illum inflammare, dicendo cum beatiſſimo Iob, Etiam ſi occiderit me, in ipſo ſperabo. Ioh.2.a 1.Reg.13 Apoc.2 Rom.11 Iob.13

Dixeris fortè qui fiat, quod non liceat firmiter credere me ſaluum futurum, et tamen id liceat, imò oporteat firmiter ſperare. Dicam uno uerbo. Quia quicquid credendum eſt, id nunc uerum ſit oportet et à Deo infallibili ueritate reuelatum. Quod autem ſperandum eſt, id uerum nunc eſſe non eſt neceſſe, ſed ſaltem poſsibile ſit oportet ſecundum Dei adminiculantis auxilium. Cuius rei ſi latiorem declarationem deſideres, ſcholaſticos Theologos ad ueram fidem rectè intelligendam ac penetrandam, quoad eius id fieri poteſt, utiliſſimos conſulito. Nos feſtinamus aliò.

Animus igitur uerè pius debet ſe totum ſubdere uoluntati diuinæ, & nihil diffidere de miſericordia & potentia eius, de ſuis autè uiribus nihil confidere. Maledictus enim qui confidit in homine, quanto igitur magis, qui in ſemetipſo? Mat. 19. Diſcipuli mirabantur ualde, cùm audierant: Facilius eſſe camelũ per foramẽ acus tranſire, q̃ diuitẽ in regnũ cælorũ, dicentes: Quis ergo poterit ſaluus eſſe? quaſi dicant, quæ erit ſpes ſalutis? Nam camelum intrare per foramen Hier.17

acus

arus uidebant esse impossibile. Si ergo ita impossibile est saluum fieri, magis desperandum quàm sperandum fuerit. Quod enim impossibile uidemus acquisitu, id nemo sperat. Aspiciens autem Iesus dixit illis: Apud homines hoc impossibile est, apud Deum autẽ omnia possibilia sunt: hoc est, si nullum aliud esset adiumentum quàm ab hominibus ueniendi de salutem, cùm homines nihil possint, nulla esset spes salutis sed mera desperatio. Quia uerò paratissimum est subsidium Dei, cui non modò simpliciter possibile, sed etiam facilè est & promptum cuiuis dare salutem, inde est firmissima spes salutis. Etenim quemadmodum fidei ratio in ueritate ut à Deo reuelata est sita, sic, spei sufficientissima ratio est sita in possibilitate eius à Deo acquirendi, quod secundum mandatum Dei speres.

Fides & spes quomodo differant.

Hier. 17

Cùm igitur de nobis sit magis desperandum quàm sperandum, eò quòd maledictus sit secundum prophetam qui ponit carnem brachium suum, de solo autem Deo sperandum, heu nimis superbè, nimisq; contumaciter in se cõtra scripturam fidit, qui sibi certum esse ait, se toto corde eoq; puro & mundo Deum quærere, sibiq; peccata nunc sine dubio esse remissa, & se saluum certò futurum. Is enim confidit suis operibus, quòd ea sint prorsus talia, qualia fore Christus præcepit, quodq; nihil peccati, nihilq; erroris lateat in penetralibus animi sui, à solo Deo scrutandis. Id quod ex diametro pugnat cum scriptura, ut nunc ostendemus. Primò ut semel diximus, & adhuc latius dicendũ duximus. Cùm feceritis, inquit Christus, omnia, quæ præcepta sint uobis, dicite: serui inutiles sumus. Quid est esse inutilem seruum, nisi ejiciendum in

In se cõfidit & ob id se reddit male dictũ, qui se iactat certò saluum futurum.

Luc. 17 Inutilis seruus quis sit.

in tenebras exteriores, ubi sit fletus, & stridor dentium, Math.25. Sed inquis: Is ne qui fecit omnia, quæ sibi præcepta sunt, adeò adhuc est inutilis, ut sit ejiciendus in tenebras? Quomodo igitur Christus ait: Si uis ad uitã ingredi, serua mandata, quasi si omnia mandata seruaueris, absq; dubio secundum promissionem Dei sis uitæ ingressurus? Audi quid ex uerbo diuino respondendum sit. Obiectio. Mat.19

Credimus & certò scimus, si quis per spiritum sanctum omnia mandata uerè seruet, ita ut ex duobus talentis superlucretur alia duo, aut ex quinq; alia quinque, eum iam non esse inutilem seruum atque in tenebras ejiciendum, sed uas in honorem sanctificatum, & utile Domino, 2. Timot. 2. Responsio Mat.25

Deinde credimus & certò scimus, usque adeò seruanda esse omnia, ut etiamsi legem totam seruaueris, offendas aũt in uno, factus sis omnium reus, & à promissione rursum alienus, Iacob. 2. Neq; id triste est auditu, quasi impossibile factu. Nam pijs hominibus & Deum ex animo quærentibus, præsens ita adest gratia Dei, ut cùm ceciderint non collidãtur Domino supponente manum suam, Psal. 36. utq; septies in die cadat iustus & resurgat. Prou. 24. Deniq; ut propicietur Dominus cunctis in toto corde eum quærentibus, & non imputet eis, quòd minus sanctificati sint 2. Paralip. 30. Nam etsi quis peccauerit, aduocatum habemus apud patrem, Iesum Christum iustũ, ipse est propiciatio pro peccatis nostris. Quisq; tamen caueat ne sit mundus, aut unus eorũ quos uocat scriptura mundum. Nam pro mundo non rogat Christus. 1.Iohan.2 Iohan.17

Tertiò credimus & certo scimus, etiamsi omnia

Rom.11 feceritis quæ præcepta sunt, simus q; iam cum Apostolo non uasa iræ, sed misericordiæ præparata in gloriam, & utilia Domino, ad omne opus bonum parata,

2.Tim.2 id neq; ex testimonio nostræ conscientiæ, neq; ex scriptura nobis sine reuelatione peculiari, ita posse apertum esse, ut id firmiter debeamus & credere et dicere. Pro.20. Atque ob hanc rem Dominus non dicit (quod cautè obseruãdum est) Cũ feceritis omnia quæ præcepta sunt uobis, serui inutiles estis, sed; dicite serui inutiles sumus. Non enim uult Dominus, ut siue utiles siue inutiles simus, id nobis certò persuadeamus, nosq; prædicemus utiles esse, & remissionem in cordibus sentire, sed ut semper cum Apostolo dicamus: Non meipsum iudico. Nihil enim mihi conscius sum, sed non in hoc iustificatus sum. Qui autem iudicat me Dominus est, cuius solius est scrutari corda, & latibula conscientiarum perlustrare.

Licet simus utiles, non vult tamen Dominꝰ, vt nos dicamus vtiles, cũ id non certò sciamus.

1.Cor.4

Psal.7

Sed age, ô Mẽno, scis tu certò quòd omnia feceris quæ præcepta sint, neq; quicq̃ peccati habeas, quod Deum iustũ offendat? Minimè profectò. Nam ipse fateris aliquãdo te esse peccatorẽ, citans cap.7. Eccle. ut taceam de perfidia, mendacijs, superbia, temerario iudicio, de prauatione scripturæ &c. Quo ergo ore cõtra præceptum Christi audes te dicere utilem seruum, tibiq; peccata esse remissa? Nam qui se emundatum dicit à peccatis, & ad omne bonum opus paratũ, is etiã se utilem seruum dicit 2. Tim. 2. Nónne Dominus præcepit, ne quis, etiã si omnia feciisset, se utilem dicat? Quis te ab hoc præcepto liberũ & exemptum reddidit? Imò non modò Luc.17. sed etiam in multis alijs scripturæ locis idipsũ inuenis, si quæras, et nõ sis

cæcus

cæcus, idipsum prohibitū, nè credas et dicas te iustū.

Nemo debet certò credere ac dicere, se esse vtilē, iustū, innocentē, mundū, & certò salutem futurum.

Heb.4.

Eccles.7. quod ipse citasti: Non te iustifices ante Deum, quoniā agnitor cordis ipse est. Cùm autem te iustificas, id est iustum prædicas quasi sis ipse agnitor cordis apud homines, nōne & ante Deum? Certe ante Deū facere dicimur, quicquid uel solamēte facimus, Omnia enim nuda et aperta sunt oculis eius, qui solus est discretor cogitationum & intentionum cordis. Quantò igitur magis ante Deum facimus, quod & mente, & ore & opere facimus? Mirum est quod hāc scripturam ipse citaris, et non uideris prohibitionem Dei, nc quis se iustum dicat.

Eccles.9. Nescit homo utrum amore an odio dignus sit, sed omnia in futurum seruantur incerta. Hāc itaq; scripturā falsam ostendis, si tu scias tibi peccata esse remissa, teq; dignū esse amore. Nam cui peccata

2.Pet.1 Iohan.3

sunt remissa, is cùm sit effectus diuinæ consors naturæ, dignus est amore. Vos amici mei estis, inquit Christus, si feceritis quæ ego præcipio uobis.

At nolite ante tēpus iudicare (ait Apostolus) quoad usq; ueniat Dominus, qui & illuminabit abscōdita tenebrarū, et manifestabit cōsilia cordiū. Quod aūt id

1.Cor.4

intelligat Apostolus etiā de proprio nostrimet ipsorū iudicio, manifestū est ex præcedētibus. Neq; meipsum inquit, iudico. Qui autem iudicat me Dominus est.

1.Cor.7 1.Cor.15 Gal.2 2.Tim.4

Dixeris forte quòd Apostolus alibi seipsum iustū iudicarit, cùm inquit: Puto autem quod & ego spiritum Dei habeam. Item: Abundantius illis omnibus laboraui, nō autem ego, sed gratia Dei mecum. Rursus: Viuo autem iam non ego, uiuit uerò in me Christus. Iterum: Reposita est mihi corona iustitiæ, quā reddet

Obiectio. Ancū Apostolo se iustū dicente, liceat & nobis nos iustos dicere.

Responsio

mihi Dominus in die illa iustus iudex. Respondeo non mihi uideri dubium, partim ex iam dictis (quanquam nõ necessariò ex his omnibus id sequatur) partim ex Rom 8. & aliundè. quin Apostolus certò sciuerit se iustum esse & sine dubio saluũ fore: sed inde non continuò esse cõsectarium, & te & me idipsum de nobis scire. Nam Apostolus id sciuit non ex scriptura, neq; ex uulgari, & quibusuis iustis cõmuni, suæ mentis testimonio, à spiritu sancto intus perhibito, sed ex peculiari diuina reuelatione nõ quibusuis fidelibus data. Quippe qui, præterq; quod audierat ex ore Ananiæ

Act. 9

à Christo missi, se futurum uas electionis, fuerat & ipse in tertio cælo, et audierat arcana uerba, quæ non licebat homini loqui: habueratq; non semel à Domino

2. Cor. 12

manifestas reuelationes, adeò ut dixerit se, dum oraret in templo, factum in stupore mentis, & uidisse ipsum Christum, atq; loquentẽ sibi audiisse Act. 22. atq; item aliàs sibi per angelum et locutũ esse Dominum, & donasse omnes, qui nauigarent cum ipso Act. 27. Deniq; & præscierat ipse non profectò ex ulla scriptura, sed ex singulari reuelatione, tempus suæ resolutionis instare, bonum certamen se certasse, cursum

2. Tim. 4

consummasse, & fidem seruasse, reposiramq; sibi esse coronã iustitiæ. Hæc enim omnia, cùm referat eodem contextu orationis, intelligimus eum non uulgariter ex spiritu fidei, qui sit omnibus in Christo iustificatis eodem modo & ex æquo communis, sed peculiariter ex spiritu manifestæ reuelationis ac prophetiæ, & dicisse & scripsisse.

Esa. 6.
2. Cor. 12.

Iam uerò si tu uidisses oculis tuis regẽ Dominum exercituum sedentẽ super solium excelsum & eleuatum

tum cum Æsaia propheta: & cum Apostolo in tertio cælo fuisses, ipsi Domino sæpe aliàs præsens præsenti ut amicus amico locutus esses, permitterem tibi ut cum Apostolo diceres. Tibi certum esse, te non posse separari à charitate. Et tibi repositã esse coronam iustitiæ. Nunc autem cùm tu nihil aliud credere debeas quàm quod scriptura expressum, uel ab ipsa Ecclesia (sponsæ enim uox ita dulcis est, ut eam optet ipse sponsus sonare in auribus suis Cant. 2.) tibi necessaria credendi obseruatione quasi per manus traditum sit, prohibeatq; scriptura ne te iustifices ante Deum, ne te utilem seruum dicas, néue teipsum iudices præsertim iudicio laudis, ut mox amplius patebit, nihil aliud tibi secundũ scripturã permittas oportet, q̃ ut teipsum dicas inutilem: speres autem te uel nunc esse, uel postea futurũ utilem. Quãuis enim Apostolus seipsum dixerit et crediderit utilem esse ac saluum futurum, non tamen ob id censebitur seipsum ante tempus ipse iudicasse. Nam hoc sui iudicium, & ex aperta reuelatione Domini habuit, & iussus est non tacere, ad maiorem sibi authoritatem in utilitatem Ecclesiæ parandam. Quicquid autem manifesta reuelatione à Domino uel prophetæ uel Apostoli dicendũ acceperant, id non se, sed Dominũ dixisse meritò affirmare solebãt. Iob nono. Si iustificare me uoluero, os meum condemnabit me: si innocentem ostẽdero, prauum me comprobabit. Etiansi simplex fuero, hoc ipsum ignorabit anima mea. Quid uis apertius dici? Si diuinus ille Iob, & iustificationis & reuelationis atq; prophetiæ spiritu plenissimus, qui neq; stultum quid contra Deum locutus est, quem & totius mundi exemplar proposuit Deus,

Rom.8
2.Tim.4
Eccles.7
Luc.17
1.Cor.4
Iob.1.

Deus, nõ æquus est seipsum iustificare, idq; magis, opis nor, propter nos recte erudiendos, q̃ propter se, quis tu es, ò Menno, qui te polluto ore & illoto corde ius stum, innocentem, purum, & simplicem pronunciare audes? Audin' ex ipso propheta quod os tuũ condem net te? Nõ times eum Pharisæis, quos Dominus uocat
Mat. 23 sepulchra dealbata, te auditurum illud: Vos estis qui
Luc. 16 iustificatis uos coram hominibus, Deus autem nouit corda uestra, quia quod hominibus altum est, abomi natio est ante Deum? Siccine ipso tob estis meliores, ò Mennoniani, & diuinæ prædestinationis certiores, ut uos simplices & iustos non modò nunc esse, sed et iam perpetuò futuros prædicetis, quod ipse diuinissi mus propheta dicit animam suam de se ignorasse?

Rursus in eodem cap. Iob. Verebar omnia opera mea, sciens quod non parceres delinquenti. Quid est hoc aliud, quàm quod dixerat Dauid: Delicta quis in
Psal. 18 telligit? ab occultis meis munda me, ut suprà citauis mus. Tu uerò usq; adeò non uereris, ut non paulò uel ipso Apostolo confidentius & iactantius aliquando
Menno. loquaris, te non impediendum neq; impediri posse di citans uel ab angelo, uel à diabolo, uita uel morte quin sis redematurus eum omnibus diebus uitæ tuæ, qui te dilexerat prior, in libello de uera fide. Id enim Paulus non ita singulariter de se, sed pluraliter dixes rat. Certus sum quod nulla creatura poterit nos ses
Menno sibi contrarius. parare. Alibi tamen fateor immemor tibi etiam ues teris atque uacillas, ut solent qui super mobilem are nam sine fundamento domum suam ædificarunt, ut ali bi amplius patebit.

Rursus

Rursus Prouerb. 14. Est uia quæ uidetur homini iusta, nouissima autem eius deducunt ad mortem. Similiter, ut suprà diximus, Est generatio quæ sibi uidetur munda, & tamen non est lota à sordibus. Eccles. Pro.30
siast. 8. Sunt impij, qui ita securi sunt, quasi facta iustorum habeant. Ecclesiasti. 11. Ante mortem ne laudaueris hominem quemquam. Tunc enim, ait Apostolus, laus erit unicuique à Deo, quando Dominus uenerit, 1.Cor.4
& illuminauerit abscondita tenebrarum. Quomodo ergo teipsum rectè laudaueris? Nam Prouerbio. 27. Laudet te alienus, non os tuum. At si tantisper expectandum sit Mennoni, dum alienus eum sit laudatus rus, alienus inquam, hoc est, aliquis non eadem hæresi corruptus, cùm nemo æquus rerum æstimator cum iure laudarit, nunquàm sanè laudem inuenerit. Oportuit itaque scilicet ipsum suarum laudum buccinatorem factum, ne non penitus, uita hac defungeretur, illaudatus. Sed non qui seipsum commendat, ille pro- 2.Cor.10
batus est, sed quem Deus commendat. Nam omnis uia uiri recta sibi uidetur (Prouerbiorũ uigesimoprimo) appendit autem corda Deus. Quanobrem, ut dicitur Prouerbiorum uicesimo octauo capite. Beatus homo qui semper est pauidus. Quomodo enim ignoras quæ sit uia spiritus (inquit Ecclesiasticus capite undecimo) & qua ratione compingantur ossa in uentre prægnantis, sic neseis opera Dei, qui fabricator est omnium. Quis ergo sciat illud excellentissimum opus Dei, quæ est fides non ex auditu uerbi historicè cordibus impressa, sed per spiritum sanctum uiua & uiuificamentibus iustificandis infusa? Hoc est enim Iohan.6

opus Dei ut credatis in eum quem misit ille. Fides ſq; Eph.2.
donum Dei eſt, non ex operibus, ut ne quis glorietur.

Falluntur igitur & peſſimè errant, qui ſpiritus mali gni in angelum lucis ſe transfigurantis mendax probitatis teſtimonium in cordibus ſuis conceptum, accipiunt & ueneranter pro teſtimonio ſpiritus ſancti. Quid eſt hoc aliud quàm ipſum ſathanam ut Deũ adorare? Gaudet enim uideri Deus. De quibus Sapien. 5. Hi ſunt quos aliquando habuimus in deriſum, et in ſimilitudinem improperij: nos inſenſati uitam illorum æſtimabamus inſaniam, & finem illorum ſine honore. Ecce quomodo computati ſunt inter filios Dei, & inter ſanctos ſors illorum eſt. Ergo errauimus à uia ueritatis, & iuſtitiæ lumen non luxit nobis, & ſol intelligentiæ non eſt ortus nobis. Laſſati ſumus in uia iniquitatis & perditionis: & ambulauimus uias difficiles, uiam autem Domini ignorauimus.

Vide itaq; ò Chriſtiane lector quomodo impij certiſſimè ſibi perſuadent ſe eſſe ueros filios Dei, nos autem à Deo alienos, ambulāt q; uias difficiles, quas ſibi mentiuntur eſſe uias Domini, & profligantur ſecundum ſcripturam Deute. 17. ab ijs qui non ſine cauſſa gladium portant, ob ſuam perfidiam & facinora multa, idq; ſibi ſcilicet beatitudini et gloriæ ducunt. Sed in die iudicij uidebunt ſibi iuſtitiæ lumen non luxiſſe. Vide, inquam, ò Chriſtiane frater, & time Ro. 11. neq; te, inſtar eorum, extollas (Eccleſi. 6) in cogitatione animæ tuæ quaſi taurus, ne forte elidatur uirtus tua per ſtultitiam. Sed ut Eccleſiaſtici 3. præcipitur, quanto maior es, humilia te in omnibus, & coram Deo inuenies gratiam, quoniam magna potentia Dei ſolius,

& ab

& ab humilibus honoratur. Noli te extollere in faciendo opere tuo (Eccle. iiii. 10.) cum scias neminem posse dicere, mundum est cor meum, purus sum à peccato. Pro. 20. Noli in te confidere quasi iustus instar Euangelici Pharisei, neq; cum sis inuitatus ad illam magnam cœnam, & ad nuptias filij regis, ullo modo committe, ut te primo accubitu colloces, & alijs honoratioribus te præferas, quemadmodū faciunt Mennoniani, qui se iactant plenos omni misericordia, dilectione, liberalitate, fide, diligentia, Dei timore, bonitate, benuolentia, pace, obedientia ad omnia quæ non sint contra Deum (sic enim loquitur) & tamen se à toto mundo tanquam publicos perditæ uitæ homines, fures, & latrones innocenter tradi, capi, & ad stipites ac rotas trahi. Luc. 18 Luc. 14 Mat. 22

His enim & id genus alijs multis se efferunt sæpenumero laudibus, & ad sydera tollunt. Sed heu nesciunt quæ sit uera & Christiana misericordia, dilectio, fides, timor Dei, pax, obedientia ac patientia.

Ostentant se foris & commendabiles quodammodo reddunt (ut nunc taceam de multis multorum inter ipsos horrendis sceleribus, toti mundo plus æquo cognitis) quidam ipsorum restibus ouinis, intus autem animum lupinum gerunt, ut ex eorum mendacijs, perfidia, peruerso & sui & aliorum iudicio, alijsq; hoc libello bona ex parte traducendis, perspicuum est. Sine uera fide, sine charitate per spiritum sanctum cordibus infusa, omnia alia quantumuis bona sancta atque diuina foris uisa, non sunt nisi mortua quædam simulachra uirtutum, non autem ipsæ uirtutes ueræ, uiuæ atque Euangelicæ 1. Cor. 13 Mat. 7. Sine vera & viua fide, nihil q̄tumuis præclarum, est Deo & cœlo dignum.

Nam fides quam iactant non modò non uiua, sed ne uera quidem est, ut iam ex parte ostendimus: & deinceps uberrimè docebimus. Quare fit ut cùm fides in ipsis sit nulla, nihil prosint cætera omnia quæ uis dura & in speciem pulchra. Nam præter literarum sacræ scripturæ cognitionem eamq; multis modis falsam, quid magni iactare possunt, quod non gentes quoque aliquando præstiterint? Iactant scilicet persecutionem, quam sustinent, & patientiam, & quod bonis suis cedere & exui cogantur. Cessit & Bias Prienensis sponte & lubens omnibus suis bonis, cùm hostes eius patriam inuaderent, quorum tamen bonorum potuisset magnam partem secum tutò auferre, sed noluit, dictitans se omnia sua bona secum portare, ut quæ in animo sibi sita esse putabat, non conspicua oculis hominum, neque ulla ui auferenda.

Mœnoniani nihil præclari habent, quod non & gentes aliquãdo multò melius habuerint.

Bias sponte cessit suis bonis.

Iactant liberalitatem & eleemosynas scilicet, eas que secundum temerariam personarum acceptionem, non nisi suæ sortis hominibus datas, imò non datas primò, cui primò dandæ essent, iuxta illud: Miserere animæ tuæ placens Deo. Et, qui sibi malus, cui bonus? At Crates ille Thebanus, ut sibi uacuum magis esset ueritatis inquisitioni inuigilare, et nulla re inutili fluxa ac uana impediretur, semel omnia sua abiecit, & alijs reliquit, ethnicus tamen homo, & diuinæ ueritatis haudquaquàm particeps.

Eccles. 30
Eccles. 14

Crates omnia sua ueritatis studio posthabuit.

Moriuntur scilicet, aut persecutiones infestissimas patiuntur pro uerbo Dei (ut sibi mentiuntur) & amore ueritatis. Imò potius pro corrupto uerbo Dei, & amore sui pertinacis erroris, quam ueritatem fingunt,

gum, defensandi & introducendi, similes uidelicet hac in re suo patri, qui cùm sit omnis mendacij auctor & ueritatis desertor, qua est animi & obstinatione & superbia, quamuis se omnibus modis errare & à beatitudine alienissimum esse sciat, potius tamen quàm suam culpam agnoscat auersetur atque deprecetur, malit multò grauiorem ferre damnationem, quàm feret. Quid uerò quod & ipse Socrates expers Dei, iniustè accusatus, forti animo ac lubenti quasi ueritatis amore mortuus sit, rogaritq; prætereà iudices Atheniēses, ut & filios suos simili pœna plecterent, si eos unquàm deprehenderent pecuniarum quàm uirtutis maiorem habere rationem.

Iohan.8

Socratis ueritatis amore lubens in nocētē mortē pertulit.

Tam enim efficax est amor etiam naturalis, ut quos inflammarit, eos plerunque reddat uitæ proprię negligentiores, adeò ut plurimi fuerint, qui uel sibi mortem conscierint ipsi, uel fortiter mortem subire non recusauerint amore uel patriæ defendæ, uel amico gratum faciendi, uel seruitutis aut dedecoris fugiendi, uel demùm gloriæ & immortalitatis comparandæ. Nónne & diuitiarum amore se mortis periculo plerunque iniecisse auari, per mare sectantes Plutum per saxa per ignes? Quin & parentes impij possunt suos liberos naturali amore tam ardenter amare, ut si eos uiderint morti obiectos, se dent sæpè præcipites in simile discrimen, ut quos amant, liberent. Dedit & brutis animantibus in suos fœtus natura miros amoris stimulos.

Efficacia & uis amoris etiam naturalis.

Quid igitur mirum, quod & impij plerunq; erga Deum, ut amicū & benefactorem, cuius & se reuera

Naturali amore Deum

&

maximè diligere possumus, sine salute.

& amicos & filios esse errore decepti existimant, as more naturali ita afficiatur, ut malint potius quam tuus grauissimā mortem obire, quàm ab eo deficere? 1.Cor.13 Nam & Apostolus docet fieri posse, ut quis tradat corpus suum incendio, & det omnes facultates suas pauperibus sine charitate. Scire itaq; & sentire possumus quidem quòd Deum aut proximum amemus, sed an ex charitate per spiritum sanctum cordibus infusa, an ex naturali & humano amore, quemadmodū et gētes amāt suos amicos, et eos qui de ipsis bene meretur, est enim & Deus omnium summus benefactor, & ob id etiam naturæ instinctu summè diligendus, quippe qui & summè bonus, id ex testimonio nostræ conscientiæ, quantumuis spiritu iustificationis plenæ, certò scire neq; possumus, neque à Deo datum est, nisi adsit manifestior reuelatio, qualis facta erat Apostolis & Prophetis, qualis & erat in primitiua ecclesia in signo uarijs linguis loquēdi magnalia dei.

Scire possumus certò nos deū amare, sed quo amore, an naturali an spirituali nouitē. Mat.5

De nostris autem paruulis rite in Christo baptizatis tantisper dum ipsi rationis usu carent, nullum est dubium quin lori sint ab omnibus peccatis, & adoptati in filios Dei. De natu autem grandioribus, qui iam suaspōte uel peccare uel bene beateq; uiuere per gratiam Dei possunt, non item, eò quòd neque ipsis de sese, neq; nobis de ipsis sit plenissimè perspectum ac cognitum, an forsan aliquid lateat obstaculi, quod spiritum sanctum excludat, sed certissima nos debet fouere spes remissionis, quæ in mundo hoc sufficientissima debet esse certitudo pijs, ita ut non apertiorē hic necessariam esse arbitrētur. Quæ nimirū spes cum uera Rom.5 uiuaq; humilitate & patiētia non confundit dicente Psal.30

prophes

propheta: In te Domine speraui, non confundar in æternum, hoc est, speraui me non confusum aut pudefactum iri in æternum, quam ob rem te precor (addit) in iustitia tua libera me.

Quid igitur gloriaris ô Menno ueſtibus ouium, cùm mentè ouinam te nõ habere ſatis declaras. Quãuis enim tuos fratres diligas, Romanum tamen pontificem cum tota eius familia ita odiſti, ut eum miris cõuicijs & horrendis calumnijs oneres, & toti mundo inuiſum atq; odibilem reddas, uelisq; Imperatori quidem (opinor quod eius gladium exhorreſcas, pontificis uerò excommunicationem nihil formides, ſed magis contemnas ac derideas) parendum iuſta & bona mandãti, cæterùm pontifici nequaquam, contra uerbũ Domini, Luc. 10. Mat. 18. 1. Theſſ. 5. Heb. 13. & alibi Antichriſtum ſcilicet uocas pontificem, parum enim erat dixiſſe impium. Sed heu neſcis neque animaduertere uis, teipſum Antichriſtum quendã eſſe, cùm cognam Domini habeas nullam, niſi umbratilem, pædobaptiſma reijcias contra ſcripturam, atq; in alijs multis & erres, & in errorem mittas, ut de efficacia baptiſmi, de regeneratione, atque nunc de remiſſionis ceritudine oſtendimus, ſimiliter & de pædobaptiſmate poſteà oſtenſuri. Vt igitur ad finem huius diſputationis tandem contendã, ad poſtremum tui erroris argumentum diluendum ueniam, quod erat, ut paucis repetam.

Mẽnoniani cùm pontificẽ Romanũ ſummo proſequãtur odio nõ ſunt pij & iuſti.

Quamuis nunc dico (inquis) cum Paulo ex uero corde. Quis me ſeparabit à charitate &c. Et certus ſum quia neque mors &c. Non ſum tamen mihimet ipſi notus &c. Vidi enim aliquando arbores profun-

Menno.

dè actis

de actis radicibus ni uentorum euulsas &c. Hec est summa tuarum blasphemiarum, quarum magnam partem suprà impietatis conuicimus, quod restat eodem gladio spiritus sancti hic confodiemus.

Menno sibi contrarius.

Bone Deus quàta absurditas, quàta paucorũ uerborũ inter sese discrepantia. Si nõ es, ò Menno, tibi mets ipsi notus, sed times ne instar arborũ uentorũ euulsarum, & instar montium terræmotibus ruptorum, ex ipse rumparis, extirparis atque deijciaris, quomodo ex uero corde certũ tibi esse dicis, quod te nulla creatura poterit separare à charitate Dei? Quomodo si certior factus es te non posse separari à charitate, tis mes separari? Imò quomodo si salus tua tibi est certa, non tamen es tibi notus? An fieri potest, ut quis sit rei ditus suæ stabilitatis ac perseuerantiæ certior, & tamen de ea dubitet, eámque ignoret? O cæca sui ipsius contradictio, ex scripturis non intellectis, sed impiè secundum proprium sensum usurpatis, tortis, ac depravatis nata.

Mẽno abutitur sententia Apost. Ro. 8. dicentis: Certus sum quia neque mors neque vita, neq; &c

Respondeberis Paulum dixisse nihil nos posse separare à charitate Dei, id ipsum te quoque dicere. Si id eodem sensu diceres, nemo sanæ mentis tecum expostularet. Nunc uerò cùm lõgè aliud dicas, quàm ipse Paulus unquam uel cogitarit uel scierit, quamuis uicedearis, si literas & syllabas numeras, secundum speciẽ ijsdem uerbis uti, te nimirum declaras falsitatis & impietatis magistrum.

Primum inspice titulum epistolæ, & ad quos scripta sit, & hunc erroris tui nodum ex parte aliqua solueris. Ad Romanos est expressè scripta, & non ita ad eorum aduersarios & hostes capitales Mẽnonianos.

Cùm

Cùm itaque tu aperto Marte reddis te capitalem hostem Romanæ Ecclesiæ, qua fronte audes tibi tribuere, quod non aperte tibi sed Romanis scriptũ est? At uerò si cum Apostolo, quod in rem tuã esse putes, ad te trahere uis, & quod peius est, ipsis detrahere, quibus epistola nominatim dedicata est, cur non & cum eodem dicis ex eadem epistola illud quoque Gratias ago Deo meo per Iesum Christum pro omnibus uobis (scilicet Romanis) quia fides uestra annũciatur in uniuerso mundo? Et illud, Vestra obedientia in omni loco diuulgata est. Gaudeo igitur in uobis, Romanis scilicet et non Mẽnonianis, ut inquit ueritatis magister? Rursus, Obseruate eos qui dissensiones & offendicula præter doctrinam quam uos (Romani) didicistis, faciunt, & declinate ab illis. Huiusmodi esse Christo Domino nostro non seruiunt? Denique & illud. Deus pacis conteret sathanam sub pedibus uestris uelociter? Cur inquam hæc cum eodem Apostolo non dicis? imò cur contrarium dicis, quod Deus scilicet non contriuit sathanam sub pedibus Romanorum? cur facis Apostolum mendacem, qui id futurum breui dixerat, nimirum ex spiritu prophetico, quod tu nunc in fine temporum ex spiritu mendacij nunquam factum esse contẽdis. At Apostolus doctor gentium in fide & ueritate (ut & ipse affirmat) ueritatem dicit et non mentitur. Oportet itaque ut sathanas iaceat contritus sub Romanorum pedibus, oportet ut quicunque dissensiones & offendicula contra doctrinam Romanæ Ecclesiæ faciunt, iudicentur iuxta sententiam Apostoli eam Christo Domino nostro non seruire.

Rom.1
Rom.16

Mẽnonitæ

dicit Apostolo dicẽti q Deus contriuit sathanam sub pedib⁹ Romanorum.

1.Tim.2
Rom.9

Sed

Sed hæc ualeant, faciamusq; disputationis gratia hãc epistolam ad Romanos, tibi quoq; scriptã, & quibuscuiuis alijs, quantumuis Romanæ Ecclesiæ aduersarijs, repugnante licet titulo multisq; alijs.

Qui sint ij, quos Apostolus dicit nõ posse separari à charitate; Ro. 8

Qui sunt igitur, quos ait Apostolus non posse separari à charite? De quibus quæso loquitur? Nũquid de Nicolaitis? Nunquid de Arrianis? Nunquid de Lutheranis? Nunqd de Dauidianis? Id tu omnibus modis negas. Dicis enim eos in multis turpiter errare. Si itaque illi abuterentur uerbis Pauli, & dicerent quasi cum Apostolo se esse certos, quod ipsi non possint separari à charitate, nonne meritò clamares eos esse mendaces, & falsos scripturæ interpretes? Loquitur Apostolus igitur de habentibus charitatem nullo errore aut mortali peccato coniunctã. Quomodo enim possent à charitate esse inseparabiles, qui eam non habent.

Cum itaque non constet neq; mihi neq; tibi, an simus in uera charitate, nec ne, ut ostensum est: quæ fronte id nobis certò attribuimus, quod forsan de nobis nõ est dictum? Verùm etiamsi per reuelationem ut Paulo ita & nobis certum esset, nos nunc esse in charitate, continuò ne certum quoque fuerit, non posse nos ab ea separari? Haudquaquam, nam cõtrarium patuit in Lucifero, primis parentibus, Saul, Salomone, alijsq; multis. An autem primi parentes sint creati in charitate, nec ne, id non admodũ hic moror. Apostolus itaque loquitur non de omnibus habentibus charitatem, neque de ijs omnibus, qui id fortè per reuelationem sciunt se nunc esse in charitate, sed de præscitis, prædestinatis, uocatis, iustificatis, atque electis. Non enim

omnes

omnes qui uocati sunt, sunt & electi. Hunc esse sensum Apostoli patet ex præcedentibus, cùm inquit: Quis accusabit aduersus electos Dei? Cùm itaque dicit: Quis nos separabit à charitate Dei? hoc dicit: Quis separabit electos à charitate Dei? Imò certus sum quòd nulla creatura poterit separare à charitate Dei nos, id est, electos Dei, pro quibus ad dexteram patris sedens Christus interpellat (nam non rogat pro mundo) in quorum numero secundum reuelationem mihi factam, & Christi ore pronunciatam, me esse cõfido cum fratribus meis. Hoc est, Nihil poterit separare à charitate Dei corpus Christi, quæ est Ecclesia Dei uiui, & sponsa Christi, congregata & unita ex Apostolis, prophetis, euãgelistis, pastoribus & doctoribus, atque ijs omnibus quoscunque aduocaucrit Dominus Deus noster dederitq; perseuerare usque in finem, inter quos ego quidem sum minimus Apostolorum, & non dignus uocari Apostolus.

Mat.20 Electi & predestinati nõ possunt separari à charitate. Iohan.17 2.Cor.12 Act.9 Eph.4 Act.2 Mat.24 1.Cor.15

Imò autem quia Apostolus expreßè scribit Romanis (ut diximus) & non Mennonianis eorum hostibus, de quibus nimirum Romanis & præceßit. Non accepistis spiritum seruitutis iterum in timore, sed accepistis spiritum adoptionis filiorum, et statim subiungit mutata persona, In quo clamamus abba pater, uel ne quibusuis fidelibus det ansam nimis gloriandi, uel ut ipsos Romanos iam conscribat albo Apostolorum, & annumeret inter ueros Christi discipulos, subdẽs. Ipse enim spiritus testimonium reddit spiritui nostro, quod sumus filij Dei, nostro inquam spiritui, id est meo ad uos scribẽtis, & Apostolorum collegarum meorũ, uestroq;, quos iam scio in filios Dei adoptatos

Spiritus testimonium reddit spiritui nostro.

Stabilitas & perpetuitas Romanę ecclesiæ ab Apostolo & pręuisa & prædicta.

Ideo christianissimè dixeris Apostolum præuidisse ac
que prædixisse perpetuam Romanæ Ecclesiæ stabi
litatem, dum diceret: Certus sum quòd nihil poterit
nos separare à charitate Dei. Quid enim aliud illud
est, quod suprà retuli ex eadem hac epistola de Ro
Rom.8 *manis, & non de Mennonianis, cùm inquit Apostolus:*
Deus pacis conteret sathanam sub pedibus uestris ues
lociter? Iuxta quod prædixerat & ipse Christus Pe
tro Romanorum pontifici primo atque eius succes sos
ribus: Ego rogaui pro te, ut non deficiat fides tua.
Luc.22 *A quo nimirum Petro didicerant Romani, ante aduen*
tum Pauli in Italiam, fidem eam & obedientiam, quæ
Rom.1 *in uniuersum mundum sui odoris suauolentiam iam*
tum diffuderat. Quanto igitur magis posteà, quan
do iam sathanas erat sub pedibus eorum contritus,
iuxta oraculum prophetiæ Apostolicæ? Ad nullos
enim alios ita confidenter scripsit Apostolus, atque
ad Romanos, eò quòd hos non autem quosuis alios
fore stabiles in fide præscierit.

Ecclesia Romana stabilis est, nō in omnib⁹ suis membris.

De *nullis itaque nominatim pronunciauit Apos*
stolus, quòd sint stabiles permansuri, nisi de se & de
suis, hoc est, de Ecclesia ad quam scripserat, eiusq; do
mesticis, non quasi ea tota & in omnibus suis filijs
sit perseueratura in fide constans, sed quia nullis tem
tationibus, persecutionibus, hæresibus, schismatis sit
adeò premenda, ut penitus unquam opprimatur, &
tota deficiat. Matth.16. & 28. Iohan.14. Psal.116.
& 124. Es.30.45.59. Hier.3.31. & 33. atque multis
alijs scripturæ locis.

Hoc autem, ò Menno, te interrogo, an putas Pau
lum fuisse præscium tui aut mei, ita ut sibi certum
esse

esse dixerit, nos quoque duos fore in charitate, & ab ea nunquàm separandos? Certum est Paulum non habuisse diuinitus reuelationem tantam, ut nos nunc non modò uicturos, sed etiam in charitate futuros, neque ab ea casuros præscierit. Ipse enim Deus pater noster est. Abraham autẽ nescisuit nos, Israel ignorauit nos. Qua ergo temeritate nos abutimur uerbis Apostoli, in commendationem nostri, ut quasi cum Apostolo dicamus quisque de se: Ego certus sum, quòd nihil me poterit separare à charitate, cùm ipse Apostolus nihil tale unquàm præscierit, cogitarit, aut dixerit. Ef. 22

Imò etiamsi faciamus ei certum fuisse, nos nunc in charitate futuros, & ab ea non separandos, idq; præ dixisse non expressa nostri nomenclatura (Mennonis enim nomen nunquàm uel Dei uel Apostolico seu ore seu stilo prolatum est) non continuò liceat nobis, eius uerbis ita impiè abuti, ut dicamus nobis id certum esse. Non enim quicquid ei certum erat, id nobis quoque fuerit certum. Multum enim refert quis de se quid loquatur. Si enim tu dixeris: Nos sumus in charitate permansuri, & si ego idipsum dixero, nos scilicet in charitate permansuros, nónne quanquàm eadem utriusque sint uerba, longè tamen alius est sensus, te absque me loquentem? Tu enim intelligis Mennonianos, ego uerò Romanos, atque oportet si ego uerum dixerim, tu mentiaris, quantumuis iisdem uerbis usus, quibus ego. Sic etiam alius est sensus si Apostolus loquatur de se & suis, & si tu de te & tuis. Mutata personà loquentis de se, mutatur scripturæ sensus

Non enim quæcunque uel Apostolus sibi, uel scriptura certis quibusdã tribuit siue facta siue dicta, ea

Nõ quęcunq; scriptura certis quibusdam tribuit, ea sibi quiuis tribuat.
Iohan.14
2.Cor.12
Gal.1
1.Cor.15
Rom.15

sibi statim quiuis alius tribuerit. Christus de se dixit: Ego sum uia ueritas & uita. An tu id arripies tibi ut cum Christo dicas: Ego sum uia ueritas & uita? Apostolus de se dixit q; raptus fuerit in paradisum: quòd non ab homine suum euangelium acceperit: quòd abundantius illis omnibus laborarit: quòd ab Hierusalem per circuitum usque ad Illyricum repleuerit omnia loca Euangelio Christi: & alia multa. An ea tu tibi, & ego mihi arrogabo ut dicam quasi cum Apostolo me fuisse raptũ in paradisum? Absit blasphemia. Qua igitur impietate mutas personam non modò Apostoli loquentis, sed etiam eorum de quibus loquitur: ut discas tibi certum esse te non separandum, cùm ille dixerit non quibusuis fidelibus certum esse se non separandos, sed sibi certum esse se cum suis non separandum?

Rom.8

Constat itaq;, ò lector Christiane, impium esse seductorem, et sacrarum literarum deprauatorem, uel qui audet quasi cum Apostolo dicere, sibi certum esse se à charitate Dei nõ separandum, uel qui temerario & hæretico ore blasphemat, se toto corde eoq; puro & mundo Deum quærere, & remissionem peccatorum non modò iam habere, sed etiam sentire. Ita ut uerè

Mat.7
Iohan.10
1.Iohan.2

sit dicendus pseudopropheta, fur, latro, lupus, atque antichristus, omnibus modis fugiendus & uitandus, quicunq; uel in hoc solo contra scripturam sentire ac blasphemare deprehẽditur, ut iam satis ostensum est.

Restant autem adhuc alia quædam scripturæ loca, quæ possent & ipsi certitudinis conscientiarum assertores rapere et torquere forsan in suam impiam sententiam, contra uerum scripturæ intellectum, quas

lia

lia sunt hæc: Gloria nostra hæc est testimonium conscientiæ nostræ. Si cor nostrum non reprehenderit nos, fiduciam habemus ad Deum, & quicquid petierimus ab eo accipiemus. Fratres, inquit Petrus, magis satagite ut per bona opera certam uestram uocationem et electionem faciatis. Item Paulus 2. Cor. 13. Vosmetipsos tentate si estis in fide, ipsi uos probate. An non cognoscitis uosmetipsos, quia Christus Iesus in uobis est? nisi forte reprobi estis. Gal. 6. Opus suũ probet unusquisque, & sic in semetipso tantùm gloriam habebit, & non in altero. Luc. 6. Vnaquæq; arbor de fructu suo cognoscitur. Iohannis 13. In hoc cognoscent omnes, quia mei discipuli estis, si dilectionem habueritis ad inuicem. Hæc itaque & id genus alia quamuis ex superioribus satis pateant, non facere nobis conscientiarum nostrarum certam cognitionem. Nam (ut hoc superioribus addam) prauum est cor hominis & inscrutabile, quis cognoscet illud? Ego Dominus scrutans cor, & probans renes, qui do unicuique iuxta uiam suam, & iuxta fructum adinuentionum suarum. Et, ut suprà diximus, quis potest dicere mundum est cor meum? purus sum à peccato? sigillatim tamen sunt etiam perstringenda atque declaranda, et quidem uerbis quàm possunt paucissimis: ne hæc quæstio in immensum excrescat, & sola totum librum occupet. Non enim cùm huius quæstionis campum ingredi pararẽ, putabam eum tam latum futurũ.

2.Cor.1
1.Iohan.3
2.Pet.1
Hier.17
Pro.20

Prima itaque Apostoli sententia 2.Cor.1. quæ est Gloria nostra hæc est testimonium conscientiæ nostræ: neque ad te, neque ad me, neque ad alium quemuis spectat, ut est ab Apostolo dicta. Apostolus enim

Gloriano-stra hæc est, testimoniũ conscientiæ nostræ.

loquitur de se, plurali numero pro singulari posito, quemadmodum alibi sæpe: ut Gloria uestra sumus, sicut & uos nostra. Epistola nostra uos estis scripta in cordibus nostris. Item, Cùm possemus uobis oneri esse, ut Apostoli Christi, facti sumus paruuli in medio uestri, tanquam si nutrix foueat filios suos. Quod ergo dicit, Gloria nostra, id est aliud nihil, quàm si dixisset, Gloria mea hæc est, testimonium conscientiæ meæ. Quod autem sic accipiatur, patet ex sequentibus, cùm inquit: In gratia Dei conuersati sumus in hoc mundo, abundantius autem erga uos: & ex præcedentibus, ubi ait: Non uolumus uos ignorare fratres de tribulatione nostra, quæ facta est in Asia. Quis autem abundantius in simplicitate cordis & synceritate Dei erga Corinthios est conuersatus, quis supramodum grauatus est supra uirtutem tribulationibus in Asia, nisi Paulus ipse? Quemadmodum igitur nemo rectè sibi hæc, ita neque illud, Gloria nostra hæc est testimonium conscientiæ nostræ, ex hoc loco tribuerit.

2.Cor.1
2.Cor.1
1.Thess.2

Iustorũ gloria est testimonium cõscientiæ ipsorum.
Psal.44
Psal.31
Gal.6
Rom.5

Concedimus tamen hoc dictum Apostolicum posse trahi ad omnes iustos uereq; pios, non propter hanc Apostoli scripturam, sed propter alias dicentes: Omnis gloria filiæ regis ab intus. Lætamini in Domino et exultate iusti, et gloriamini omnes recti corde. Opus suum probet unusquisque, & sic in semetipso tantùm gloriam habebit, & non in altero. Stamus & gloriamur in spe gloriæ filiorum Dei.

Gal.6
2.Cor.10

Sed contrà cùm Apostolus alibi rursus dicat: Mihi absit gloriari nisi in cruce Domini nostri Iesu Christi. Rursus: Qui gloriatur, in Domino glorietur, inde intelligimus,

telligimus, quanuis liceat pijs & iustificatis in Christo etiam in semetipso, et non in altero gloriari, quòd ea tanē gloria ex testimonio conscientiæ nostræ sumpta, admodum tenuis & modesta esse debeat & non nostri, sed Dei laude plena. Non enim qui seipsum cōmendat ille probatus est, sed quem Deus commendat. Ex huiusmodi itaq; nostri gloria parcissimè nobis cōcessa, non reddimur certiores, nos nūc esse reuera participes misericordiæ Dei et redemptionis Christi per remissionem & salutē iam sine dubio acceptam. Nam & peccatores gloriantur quasi iustorū operibus pleni, et Iudæi legis prænaricatores gloriabātur in Deo, Rom.2 *& in lege, sed uana & inutili gloria. Potest fieri ut* Rom.10 *et nos sic gloriemur, habentes quidem zelum Dei, sed non secundū scientiā. Non itaq; quia gloriamur, quantumuis ex testimonio conscientiæ nostræ, ideo constat nos esse iustificatos. Non enim dixit Apostolus q; nos* Rom.5 *gloriantes in spe gloriæ filiorū Dei, iustificati sumus, quasi quicunq; glorientur, sint iustificati, sed dixit, q; iustificati ex fide gloriamur. Quare si prius te ostenderis iustificatum, permitto tibi ut glorieris, & non etiam si glorieris, credam te continuò iustificatum.*

Quemadmodū igitur alia est cognitio Dei in hoc mundo, & alia in cælo. Videmus enim nunc per speculum in ænigmate, tunc autē facie ad faciem. Sic etiam 1.Cor.13 *alia est gloria Christianorū in hoc seculo, et alia in futuro beatorū. Nam in cælo gloriabimur, uolēte Deo,* Gloria est alia & incertior hic q̄ in cælo. *non in spe futuræ reuelationis, sed in ipsa reuelatione* Rom.8 *filiorū Dei, sceūdū quā similes ei erimus, et uidebimus* 1.Iohan.3 *eum sicuti est. Hic uerò gloriamur in spe gloriæ (scili* Rom.8 *ect futuræ) expectantes reuelationem filiorum Dei.*

Ergo nondum est mihi certò reuelatum me esse filium Dei. Spe enim salui facti sumus. Spes autem quæ uidetur non est spes: Nam quod uidet quis, quid sperat? Si autem quod non uidemus, speramus, per patientiam expectamus. At si tu certò scias te habere salutem, (nam qui habet remissionem & sentit spiritum sanctum, is & salutem habet atq; sentit) iam non speras neq; expectas salutem (quod enim certò habemus, id non expectamus) neq; gloriaris in spe expectationis, sed in certitudine possessionis & reuelationis. At ueri Christiani quamuis glorietur, sciunt tamen sibi non esse certam salutis possessionem, sed sperandum, cùm dictum sit: Qui se existimat aliquid esse cùm nihil sit, ipse se seducit. Qui se existimat stare, uideat ne cadat. Quis potest dicere mundum est cor meum? Noli altum sapere, sed time. At Diuus Iohannes qui dicit quòd charitas foras mittat timorem, nihil contrarium Paulo docet, quasi iubeat non timendum, nam & seruiendum Domino in timore uult Dauid, sed docet non seruiliter timendum, ut solent qui oderunt peccare quidem sed non uirtutis amore, at formidine pœnæ.

Gal.6
1.Cor.10
Pro.30
Rom.11
1.Iohan.4
Psal.2

Similiter dicendum de sententia Iohannis cùm inquit: Si cor nostrum non reprehenderit nos, fiduciam habemus ad Deum: Nam loquitur de fiducia spei & expectationis: non autem de fiducia certæ possessionis, quæ excludat spem. Nam sapiens in omnibus meminit, Eccleſiastici 18.

1.Iohan.3
Fiducia habẽdaad deũ, ſi cor noſtrũ non reprehẽderit nos

Petrus autem cùm inquit: Satagite ut per bona opera certam uestram uocationem & electionem faciatis: non intelligit certam, id est, certò cognitam nobis,

2.Pet.1
Certã facere ſuã vocationẽ, quid ſit.

bis, sed firmam & stabilem. Sic enim Erasmus transtulit uocem græcam hic positam βεβαίαν, id est, firmam, quæ eadem & ibi ponitur: Vt spes nostra firma sit pro uobis. Et ibi: Habemus firmiorē propheticum sermonem, id est, βεβαιότερον. Quamuis itaque latina dictio certum aliquando accipiatur pro firmo, ut in illo Salustij, Apud latera certos locauerat, ita ut non sit necessarium mutare antiquam literam scripturæ, qua Ecclesia multis iam seculis usa est. Erasmi tamen trãslatio hoc loco clarior & minus ambigua est.

Cùm autem ait Apostolus: Vosmetipsos tentate si estis in fide, ipsi uos probate. An non cognoscitis uosmetipsos, quia Christus Iesus in uobis est? His uerbis præcipit & iubet, ut sese discutiant & examinent Corinthij atque perpendant, an quippiam in ipsis sit quod non respondeat fidei, ut scilicet id pœnitentia corrigant & excindãt, et melioribus operibus Deoq; dignis compensent prius, quàm ipse Apostolus ueniat, atque iterum cogatur lugere multos ex ijs, qui antè peccauerint, & non pœnitentiam egerint super immundicia, & fornicatione, & impudicitia, quam gesserunt. 2.Cor.13 Quidsit: Nõ cognoscitis uosmetipos qa Christus in uobis est, nisi reprobi estis. 2.Cor.12

Neque modò iubet Apostolus ut quisque seipsum perlustret atque exploret, an ad formam Christi uixerit, sed etiam ut ipsi primores, quos spiritus sanctus posuit Episcopos regere Ecclesiam Dei, attendant sibi & uniuersò gregi, prædicando uerbum, instando oportunè, importunè, arguendo, obsecrando, increpando, & si qui uideantur animo obstinatiori ad peccata propensi, ut neque promissionibus Dei neque comminationibus ab ijs auelli possint, non exAct.20 2.Tim.4

pectando, donec ipse Apostolus ueniat, & huiusce-mo-
2.Cor.6 di sua præsentia suaq; potestate corrigat, sed eos sta-
tim tradendo sathanæ in interitum carnis, ut spiritus
2.Cor.12 saluus sit in die Domini nostri Iesu Christi. Timeo e-
nim, inquit, ne fortè cùm uenero, nõ quales uolo, ins
ueniãm uos, & ego inueniar à uobis, non qualem uult
is, ne fortè contentiones, æmulationes, iræ, dissensio-
nes, detractiones, susurrationes, inflationes, seditio-
2.Cor.12 nes sint inter uos. Vosmetipsos igitur tentate at-
2.Cor.2 que corrigite, ne cùm uenero, iterum in tristitia sim
2.Cor.13 apud uos.

Vnde subiungit, An non cognoscitis quia Christus
Iesus in uobis est? hoc est, ne scitis quod in uobis sit au-
Iohan.20 thoritas & potestas Christi pascendi atque guber-
Ezech.34 nandi gregem, peccantem corrigendi, infirmum con-
solidandi, ægrotum sanandi, quod confractum est al-
ligandi, quod abiectum est, reducendi, quod perierat,
quærendi, & quod incorrigibile de medio tollendi?
2.Cor.13 Hoc est enim quod præcepit. An experimentum quæ-
ritis eius qui in me loquitur Christus, qui in uobis non
infirmatur, sed potens est in uobis, ita ut quemadmo-
2.Cor.10 dum nobis Apostolis, ita & uestris episcopis dederit
Deus potestatem in ædificationem & non in destruc-
tionem. Quare si hanc Christi potestatem in uobis
pollentem & regnantem agnoscere non uultis, neque
secundum eam & uobis & gregi uestro attendere,
consulere, prospicere, & iustam correptionem, ani-
maduersionemq; adhibere, estis nimirum reprobi. Spe-
ro autem uos cognituros quòd nos non sumus repro-
bi, quódque potestas & nostra, & uestra à nobis in

uos

uos transfusa sit reuera Christi, per quam Christus in uobis sit, & gregem suum pascat.

Non enim hic docet Apostolus ut singuli quiq; ubi se probè ad normam uerbi diuini tentarint atque diiudicarint, & nihil forsan in se offenderint, indignum Christiano homine, tum demum certò iudicent & dicant, se esse ueros, innocentes, mundos & puros Dei filios. Patet enim iam abundè ex superioribus nos non posse certò scire, sine singulari reuelatione, quòd uera charitas in nobis sit, quanquàm ueram fidem (non dico uiuam) in nobis esse certò scire possimus. Vnde ait: Vosmetipsos tentate si estis in fide. 2.Cor.13

Potest enim fieri, quin & sæpe fit, ut Christus in nobis sit, per ueram fidem, ad utilitatem Ecclesiæ, quamuis longè sit à nobis per charitatem, teste ipso Christo cùm ait: Multi dicent mihi in illa die: Domine Domine, nónne in nomine tuo prophetauimus, & in nomine tuo dæmonia eiecimus, & in nomine tuo uirtutes multas fecimus (quæ nimirum sunt opera fidei. Nam si habueritis fidem sicut granum sinapis, dicetis monti huic transi hinc, & transibit.) Et tunc confitebor illis, quia nunquàm noui uos. Vnde & manifestum est, quod in hoc regno cælorum, quod ingemiscit & parturit adhuc, in quo uerè esse non possumus sine omni fide, non modò sint prudentes, sed & fatuæ uirgines, quæ nõ sumpserint oleum charitatis secum, sintq; tantum boni, sed & mali pisces, qui foras mittantur, & in charitatis regnum, ex hoc fidei regno non admittantur. Mat.13. ita ut nemo se in charitate esse sciat, nisi secundum rationem fidei certitudinem illam firmam excludentis. Mat.7 Mat.17 Rom.8 Mat.25

Aliæ

Ioha.13 Aliæ porrò duæ authoritates scripturæ, In hoc cognoscent omnes quod mei discipuli estis, si dilectionē
Mat.7 hab.et c. Et unaquæque arbor de fructu suo cognoscitur, non loquuntur de certa aut euidenti cognitione, qualis erit in cælo, sed secundum analogiam fidei ut iam diximus, quæ docet ut nemo etiāsi omnia fecisset
Luc.17 quæ præcepta sint, dicat se seruum utilem, utq; nemo dicat suum cor esse mundum & se purum à peccatis.
Prou.20 Non enim certò docet Christus ex operibus charitatis cognoscere ueram charitatem per spiritum sanctū
2.Cor.11 nobis infusam: scimus enim ministros sathanæ se in mi-
Mat.23 nistros iustitiæ transfigurare, scimus hypocritas esse similes dealbatis sepulchris, quæ foris parent hominibus speciosa, intus uerò plena sunt ossib⁹ mortuorū et omni spurcitia. Quales et fuisse Pharisæos ex Christo cordium scrutatore cognouimus, & nunc tēporis adhuc multos esse non dubitamus, quāuis nesciamus qui
Mat.7 sint. Pseudoprophetarum enim uestes ouinas uidere possumus, mentem autem lupinanā non item. Nam ho-
1.Reg.16 mo uidet ea quæ apparent, Deus autem intuetur cor.

Bene iudicādum de alijs nos autē ipsos accusandos nobis. Sed Christus uult ut ex operibus & fructibus charitatis, nō nosmetipsos utiles, pios, uereq; christianos ac spiritu sancto plenos certò putemus ac prædicem⁹, sed de alijs bene iudicemus, neque quenquam ex sinistris suspicionibus facile condēnemus. Christianū enim est rectè sentire & loqui de alijs quantumuis id non meritis, nisi de quibus certissima appareant argumenta impietatis, de nobis uerò ipsis quantumuis sanctissimis (quòd ignoramus) semper dicere, Nihil mihi conscius sum, sed non in hoc iustificeatus sum, imò inutilis
1.Cor.4. Luc.17 sum.

Secuns

Secundò docet Christus ut si qui adferant nouã & inauditam doctrinam, ut Apostoli fecerant docentes legem non amplius seruandam, eorum non modò uitã totam, sed & fructus doctrinæ contemplemur, ex quibus non quidem semper certò, sed secundum analogiã fidei cognoscamus, an sint ueri discipuli, an ministri sathanæ. Qui nouam & inauditã doctrinã adfert, eius fructus sunt valde ptendidi

Si quis autem adferat doctrinã non nouam aut quasi propriam, sed multis iam seculis per manus traditã, non illius unius uitam & fructus, sed omnium eorum, qui eandem prius coluerunt, spectes oportet. Nam etiamsi ego flagitiosè uiuam, doceam tamẽ eandem doctrinam, quam hactenus docuerunt innumeri uiri & docti & pij & omni uirtutũ genere illustres, iam mea doctrina, cùm non sit mea uniu, sed eorum omniũ qui ante me eandem & uerbis docuerunt, & operibus bonis illustrarunt, & martyrio confirmarunt, imò neque eorum duntaxat, sed Apostolorum & Christi, hæc (inquam) doctrina non est ex me solo æstimãda, sed ex ijs omnibus, qui eandem docuerunt. Sed de eo, non est hic locus diu differendi. Qui doctrinã multis triã seculis docet illius ueri mali fructus nõ possunt nocere doctrinæ sed omniũ fructus videdi, qui eandem docuerunt.

Nunc itaque satis constare puto, eos qui se dicunt sentire remissionem peccatorum in corde suo, mendaces & blasphemos esse contra scripturam, & uel ob id solum pseudoprophetas habendos, & omni studio uitandos ac fugiendos ijs, qui salui esse cupiunt.

Nam si quid præterea reliquum sit, quod in scriptura uidcatur eorum sententiæ, qui conscientiarum certitudinem astruunt, alludere, id semper secundum analogiam fidei, certitudinem & securitatem manifestè prohibentis, erit intelligendum.

Quod

Quod ex comparatione, quam facit Menno, baptismi cum virga Mosaica, & serpente æneo, magis eluceat saluifica vis baptismi quæ obscuretur. Cap. X.

VT omnem lapidem moueat Menno, & nihil intentatũ relinquat, sumit argumentũ contra baptismi energiam ex cõparatione nouæ & satisq; indoctæ baptismi, cum virga Mosaica, & serpente æneo, quẽ qui spectabant à serpentibus morsi, pristinæ sanitati restituebãtur. Hanc itaque eius collationem discutiamus, & ostendamus eam baptismo nihil officere.

Menno. Ait autem in fundamento Christianæ doctrinæ. Dixit Dominus Mosi, Extende uirgam, & aquæ diuidẽtur. Nisi id feciſſet Moses, ubi manſiſſet Iſrael? Sed Moses credidit uerbo, extendit uirgam, aquæ ſunt diuiſæ, Iſrael eſt adiutus non ui uirgæ, ſed uirtute uerbi diuini per fidem, & obedientiam Mosi: Exodi decimoquarto. Iuſſus eſt prætereà leuare ſerpentem æneum. Fecit, Iſrael aſpexit, & ſanatus eſt, non uirtute ſerpentis, ſed uerbi Dei, quod acceperant per fidem. Numeri duodecimo. Sic baptiſmo tribuitur, quod incorporamur Chriſto, primæ Corint. duodecimo quod peccata remittuntur, Act. 2. quod induimus Chriſtum Galat. 3. quòd ingredimur arcam. 1. Pet. 3. nõ propter aquam, alioqui ſtaret regnum Dei ſub externo ſigno, ſed uirtute uerbi Dei, quod accipimus per obedientiam ex fide. Sic ille.

Dixis

Diximus supra solam aquam non esse baptismum, neque solam externam lotionem esse baptismum, neque etiam aquam se ullam habere uim nisi corporis lauandi, sed cum uerbo Dei cooperante spiritu sancto, perinde habendam, atq; si ex latere Christi fluxißet, non tamen ex aqua quasi ex thesauro quoddam hauriendam salutem, sed ex ipso baptismo in salutem à Christo sic instituto per meritum ipsius. Confutatio superiorum

Diximus rursum non eum, quem uidemus manibus admotis aquam haurire & aspergere quempiam, administrare plenũ baptismũ, sed diuinitatis operationem præsentem esse et ipsum Christum, qui sibi potißimam baptismi partem reseruarit, quam & intus operetur inuisibiliter interim, dum minister foris lauat uisibiliter, ita ut non minister sed Christus ipse & nomine & re sit uerus baptista.

Diximus præterea efficaciam baptismi non tantũ esse ex aqua sensibili, & uerbo Dei auribus perceptibili, quanquam id efficacißimũ esse ostendimus, sed etiam ex aqua interna & insenbili, & ex uerbo increato, & auribus inperceptili.

Aqua autem interna & insensibilis est ea, de qua, Iohan. 4. Qui autem biberit ex aqua, quam ego dabo ei, non sitiet in æternum. Et Io. 7. Si quis sitit, ueniat ad me, & bibat. Qui credit in me, sicut dicit scriptura, flumina de uentre eius fluent aquæ uiuæ. Hoc autem dixit de spiritu, quem acceperi erant credentes in eum. Aqua itaque interna quæ animam uerè purget, est spiritus sanctus, ut qui per baptismum nobis datur in merito Christi, Actorum secundo, per quem & uiua fides nobis infunditur, etiamsi fidei historicæ Aqua interna & spiritualis.

rieæ eiusq; mortuæ quantumuis ueræ ex auditu uerbi natæ, nondum simus capaces.

Verbum increatum.

Verbum autem increatum per quod & effectiuè & meritoriè baptizamur (non quasi per baptismum uel nos, uel ipse denuò mereatur, sed quia eius meriti efficimur in baptismo participes) est illud quòd caro

Iohan. 1

factum est, ita plenum gratia & ueritate, ut de eius plenitudine nos accipiamus omnes gratiam, sine quo uerbo, externũ illud uerbum, quantũuis ab ipso Christo expressum, & auribus nostris auditum, nullius esset momenti ad salutem. Sed huius uerbi, quod fuit in principio apud Deum, per quòd & omnia facta sunt, ui atq; uirtute, & uirga Mosaica, & serpens æneus, & ipse baptismus habent suam efficaciam, cæterũ nõ æqualem.

Iniqua comparatio baptismi cum uirga Mosi.

Quòd itaq; Menno baptismum Christi cum uirga Mosaica aut serpente æneo quasi simile simli comparat, id more suo, indoctè, impiè & contra scripturam facit, perinde quasi legem euangelio, figuram ueritati, literam spiritui, administrationem damnationis & mortis, administrationi spiritus et iustitiæ componas. Paulus enim uocat legem, 2. Cor. 3. ministrationẽ damnationis & mortis, Euangeliũ uerò Christi ministeriũ spiritus & iustitiæ atq; uirtutem Dei in salutem omni credẽti. Rom. 1. Quomodo igitur Euangeliũ præceptum baptismi, præceptum inquam administrandi spiritus & iustitiæ dandæ, cui & salus secundum institutionem atq; promißionẽ addita est, posset ex æquo cõparari, cum figura legali, quæ cum lege ipsa propter infirmitatẽ & inutilitatẽ nimirũ reprobata est?

Heb. 7. 8

Quam quæso serpens æneus, figura Christi, habuit uim

ãim Christo adsimilem? Aut quid inspecto serpentis habuit commune & par cum baptismo, nisi quod umbra cum corpore? Colos.2. Imò quid uel ipse Moses habuit æquiparandum Christo, cuius figuram gessit? Quis igitur audeat eius uirgam dicere aut diuisionẽ aquarum æqualem baptismo? Si liceat ethnicè loqui in re sacra, dicerem, si murem cum elephante cõferas, non ita inæqualem fore collationem, atq; hanc Mennonis. Sed unde nam habes, ò Menno, hanc iniquam baptismi cum uirga Mosaica similitudinem? Profer, si potes, uel ullam scripturam, quæ huiusmodi cõparationem insinuet. At contrà nos scimus ex Apostolo Petrã esse Christũ. Scimus & ex Regio propheta uirgã quoq; esse Christum, cùm inquit. Virga uirtutis tuæ emittet Dominus ex Sion, quanquam & ea pro euangelio, uel alio modo commodè accipi possit. At uirga percutiens petram, quam habet similitudinem cum baptismo? Sed aquam potius, quæ ex Petra percussa uberrimè fluxit, aut quam Moses diuisit fecitq; permeabilem ad salutem Israelis, figuram baptismi esse dixeris. Et serpens æneus nónne figuram gerit Christi, non autem baptismi, manifesta declaratione nostri redemptoris? Iohan.3. Quid igitur serpens commune habet cum baptismo, nisi baptismum dicas esse Christum? At nos scimus ex latere Christi humanitus mortui, baptismi efficaciam effluxisse. Vnde fit ut ex hac tua mepta comparatione, si nos ea aptius utamur, & conuenientius scripturæ, baptismi uis atq; efficacia nõ obscurior, sed multò clarior et diuinior sit futura.

Petra est Christus. 1.Cor.10

Virga est Christus uel euangelium Christi. Psal.109

Aqua effluens ex petra, aut quã permeauit Israel figurã gerit baptismi

Serpens æneus itẽ christus.

Si enim Petra est Christus, uirga percutiens petrã erit uel misericordia & iustitia patris, qui nobis filiũ

Virga percutiẽs petram

quã præterea significationẽ habeat Es.53 Eph.5 Tim.2 Es.53

suum unigenitum misit, eumq; tradidit percutiendũ pro peccatis nostris, iuxta illud: Propter scelus populi mei percussi eum. Vel ipsius Christi obedientia, qui & seipsum tradidit pro nobis ut nos redimeret ab omni iniquitate, et mundaret sibi populũ acceptabilẽ, sectatorem bonorum operum, iuxta illud Esaiæ: Oblatus est quia ipse uoluit. Atq; hinc est cur Moses dux populi, qui & ipse figurat Christum, iussus sit percutere petram, non quiuis alius. Nam nemo tulit animã à Christo, sed ipsemet suam animam pro nobis posuit, habuitq; potestatem ponendi eam, & potestatem iterum sumendi. Iohan. decimo. Quemadmodum igitur ex Petra percussa satis effluxit aquæ, qua totius Israel sitim pelleret: ipsaque aqua uerè sedabat sitim. Ita ex latere Christi percussi abundè satis aquæ et sanguinis effluxit, in cuius merito per baptismum efficaciter ad id institutum, sitis omniũ ad Christum uenientium restingueretur, unde & hauriremus per operationem Christi, spiritus sancti fontem longè uberrimũ. Sed quid opus hisce reculis ex hæretico cerebro multa erroris uertigine circumacto, confictis, diuinis hærere?

Moses figura Christi percussit petrã

Petra percussa effudit aquã, quę sedabat sitim omniũ bibẽtium, sic & Christus lãcea pfossus in cruce.

Sed age, ò Menno, quæ est ista cæcitas ut urgeas fidem nostram & obedientiã fidei, & baptismi uim diminuas, ad exemplum Israelis, cùm tamen ipsum exemplum, quo uteris nõ sit tanti ponderis ut uel imitationẽ dignum uideatur? sitq; tale, ut magis auferat fidẽ, quàm eius uim roboret?

Mẽdax ostẽditur Mẽno dicẽs: q Israel sanatus est & seruatus, verbi diuini virtute, q acceperant p fidem.

Tu quidem ais quòd quemadmodum Israel salute donatus est non energia uirgæ, sed uerbi Dei per fidẽ & obedientiam. Ita & nos regeneramur atque saluamur

mur non efficacia baptiſmi, ſed uirtute fidei & obe-
dientiæ. At ſi iſta tua cõparatio & ſimilitudo ſit uns
dequaq; uera, & legem præſcribat ſimiliter agendi,
ergo poſſunt & debent tot ſaltem milia hominum,
quot illorum erant, per baptiſmum regenerari & ſal-
uari, etiamſi ſint ipſi omnes incredduli & rebelles, mo
do uel unus aut alter baptiſmi miniſter uerè credat,
imò etiamſi nc unus quidem omniũ, neque uel ipſe mi
niſter uerè credat. Quod eſt et cogitatu & dictu abſ
ſurdiſſimum. Oſtendemus.

Conſtat dum Moſes uirga eſſet diuiſurus aquam, per quã Iſrael ſaluus abiret, quod præter ipſum Moſen, & fortè Aaron & Caleb, & Ioſue, & Mariam ſororem Moſi, uix quiſquam totius populi uerè crediderit. Scriptura enim habet. Cùm appropinquaſſet Pharao, leuãtes filij Iſrael oculos uiderũt Ægyptios poſt ſe, & timuerunt ualde, clamaueruntq; ad Dominum, & dixerunt ad Moſen. Forſitan non erant ſepulchra in Ægypto, ideò tuliſti nos, ut moreremur in ſolitudine. Quid hoc facere uoluiſti ut educeres nos ex Ægypto? Et ait Moſes ad populum. Nolite timere, ſtate et uidete magnalia Dei, quæ facturus eſt hodie. Ægyptios enim quos nunc uidetis, neq uaquam ultrà uidebitis in æternum. Erat igitur populus incredulus, & non dignus, ſecundũ ſuam fidẽ, auxilio Dei. Moſes uerò ſolus, cum pauculis fortè alijs, uerè credebat. Quod & Dominus ſatis oſtendit dicẽs ad Moſen. Quid clamas ad me? & non, quãuis populus quoque clamarit, quid clamatis ad me? eò quòd clamor ſine fide non exaudiatur.

Iſrael rebellis & incredulus à Deo eſt adiutus, nõ niſi Moſe cum pauculis credente. Exod. 14

Moſes non clamãs uoce dicit tũ clamaſſe. Populus aũt uoce clamans, nõ dicit clamaſſe.

Conſtat rurſus quòd cùm Moſes uirga eſſet excuſ-

se, nisi per Metonymiã ex vno duce omnes eius subditos capias.

surum aquam ex Petra, non modò ipse populus fuerit incredulus & rebellis, sed Moses atque Aaron non uerè crediderint, audierintq; à Domino, Quia non credidistis mihi, ut sanctificaretis me coram filijs Israel, nõ introducetis hos populos in terram quam dabo eis.

Num.20 Moses & Aaron cum toto populo incredulus.

Similiter in aspiciendo serpente æneo, erat quidè populi aspicientis obedientia, cæterũ non amore Dei, sed recuperandæ sanitatis necessitate, expressa. Verùm ea obedientia ui & necessitate extorta, non erat fidei. Quid enim credidisse putas, dum spectarent serpentem? An quòd per Christum ita suspendendũ, mundus esset salutem cõsecuturus? An quòd ipsi, qui tunc temporis serpentem aspiciebant, inde haurirent & recuperarent sanitatem? Ad id re ipsa comperiebant, oculisq; uidebant. Fides autẽ est rerum non apparentium. Nihilo tamen minus Israel quantumuis infidelis & rebellis, misericordiam à Domino consecutus est, non uidelicet uirtute fidei suæ & obedientiæ, quæ nulla erat, sed uirtute Dei ita salutis adminiculum dare uolentis.

Num.21

Heb.11

Concludit q̃ comparatio Mẽnonis baptismum magis illustret quã obnubilet.

Si igitur per uirgam Mosaicã, sine perpetua promissione, & sine institutione talis signi semper in salutem acquirendam usurpandi, non uirtute fidei & obedientiæ uel Mosi uel populi, sed uirtute Dei, Israel quantumuis rebellis & incredulus, secundum meram misericordiã est adiutus, quantò magis per baptismũ, ex institutione & promissione euangelica, tanto lege ueteri meliorem & efficaciorem quanto dies nocte, non efficacia & ui fidei nostræ, sed uirtute Dei eos peramus, & meritò Christi intus baptizantis spiritu sancto & igni, cum fide nimirum et obedientia ecclesiæ,is

fiæ, is qui non est credulus neq; rebellis, credendus est uerè adiuuari, regenerari, iustificari, atq; saluari.

Dicimus enim baptismum regenerare atq; uiuificare, uirtute uerbi Dei, per spiritum sanctum, in merito Christi, neque ullam lotionem sine uerbo Dei, esse baptismum Christi, uel uim regenerandi habere. Verbum autem Dei non esse uerbum doctrinæ, sed consecrationis & sanctificationis, uidelicet ut sublimitas sit uirtutis Dei, & non ex nobis. Nam fides, quantũuis à Deo nobis data, est tamen & usu nostra, ut per quã operamur opera Dei, Iohan. 6. Ne igitur quicquam nobis tribuamus supra quàm oporteat, ita prouidit Deus, ut per baptismum tanquam per meritum Christi, & non per fidem & obedientiã nostram quasi per meritum nostrum secũdum scripturam dicamur uerè regenerari, ut iam abundè dixisse putamus, neque fore quemquam amplius speramus, qui his lectis, dissertis atque intellectis (absit laus) de efficacia & energia baptismi, in Christo nos regenerãtis, sit posthac dubitaturus.

Iohan. 3
Ephe. 5.
1. Cor. 12
Verbũ Dei.
1. Tim. 4
2. Cor. 4

Qui sint baptizandi. Cap. XI.

Vnc propius ad huius controuersiæ caput ueniendum, dicendumq; qui sint baptizandi. Idq; primum in genere, & potißimũ quantũ spectat ad adultos. Nam proximo libello in specie ad paruulos descẽdemus, et docebimus, aspirãte Deo, multis & scripturis & rationibus, quod & illi reuera sint baptizãdi. Cæterũ quoniã baptizãdos dupliciter intelligere possumus, uel qui necessitate et obligatione præcepti debẽt, si modò uelit salui esse, baptizari, ita ut si nõdũ sint apti, q̃ baptizentur, studeãt se reddere aptos & dignos baptismo suscipiendo. Vel q̃ apti sunt et digni, q̃ secundũ institutionẽ Christi baptizẽtur. De priorib. dicam⁹ pri⁹.

Baptizandi dupliciter intelliguñ.

Præceptum baptizandi multò se latius spargit, & plures suo nexu suaq; necessitate constringit, q̃ Circuncisionis præceptũ se quõdam extenderat, in cuius locum uidelicet successit. Circumcisio enim solis masculis, ijsq; ex Iacob oriũdis erat præcepta quanquàm & alijs esset non inutilis. Sed baptismus & masculis atque femellis, & Iudæis atque Græcis, & seruis atq; liberis, & paruulis atque adultis ratione præcepti est ita necessarius, ut si uel contemnas, uel negligas, saluus fieri non possis, dicente Christo: Amen amẽ dico tibi nisi quis renatus fuerit ex aqua & spiritu sancto, non potest intrare in regnũ Dei. Tit. 3. Non ex operibus iustitiæ quæ fecimus nos, sed secundum misericordiã suam saluos nos fecit per lauacrũ regenerationis & renouationis spiritus sancti. Vnde cõpunctis eorũ de Hierosolymitanis & dicentibus Petro & Apostolis

Baptismus latior quàm circuncisio.

Gal. 3 Iohan. 3

Baptismus est invniuersum omnib. ad salutẽ necessarius, ratione præcepti

Act. 2

lis. Viri fratres quid faciemus? respondit Petrus: Pœnitentiam agite, & baptizetur unusquisq; uestrũ in nomine Iesu Christi, in remissionem peccatorũ uestrorum, & accipietis donũ spiritus sancti. Id quod & Iohannes Baptista, ut prædicando regno Dei ita & baptizãdo populo præcursor Iesu, satis ostendit dicens ad turbas quæ exibant, ut baptizarentur ab ipso Geniminа uiperarũ, quis ostẽdit uobis fugere à uentura ira? Quid est hoc aliud, q̃ si dixisset. Venire ad baptismũ pœnitentiæ est fugere à uentura ira? At si hoc de baptismo solius aquæ ausus est dicere, quãtò magis id ipsum dixeris de baptismo spiritus sãcti, quo nos christus ipse baptizat? Hunc itaque si modo à uentura ira fugere uelimus, accedamus oportet. Idq; ideò, quia ut dixit Christus Nicodemo, postquam baptismi mentionem fecerat. Quod natũ est ex carne caro est, et quod natum est ex spiritu, spiritus est. Caro autẽ & sanguis regnum Dei possidere non possunt. Sine spiritu enim Dei inhabitante atq; uiuificante, nemo potest saluus fieri, dicente scriptura, quòd neminem diligit Deus, nisi eum, qui eum sapientia inhabitat. Et, Si quis spiritum Christi non habet, hic non est eius.

Mat. & luc. 3 Marc. 1

Venire ad baptismũ est fugere à uentura ira.

Iohan. 3

2. Cor. 15

Sap. 7 Rom. 8

Quemadmodum enim genus humanũ non à se ipso creatũ est, ut esset. Ipse fecit nos, inquit Propheta, et non ipsi nos, Ita quoq; nõ à semetipso sed à Deo redintegratur & quasi recreatur (ut sic dicã) renouaturq; ac uiuificatur, ut saluũ atq; beatum esset. Hunc autem spiritũ Dei, per quem simus salui, cum neq; meritis, neque uiribus nostris in nobis creare possimus, dare nobis statuit Deus per unicum redemptionis & remissionis peccatorum meritum in sanguine Christi,

Psal. 99

Baptiſmus eſt ianua ad meritũ Chriſti veniendi Act. 2

& per uniam quaſi ianuam ad meritum Chriſti ueniendi, & à uentura ira fugiendi, atq; de ſpiritu eius ſancto participandi, baptiſmum in Chriſto. Datus eſt enim baptiſmus in hunc finem, ut per hoc efficaciſſimum fidei ſignum accipiamus ſpiritum ſanctum, & diuinæ efficiamur conſortes naturæ. Nam finis præceptí eſt charitas de corde puro, conſcientia bona, & fide non ficta, quam per ſpiritum ſanctum in corda noſtra in baptiſmo diffundi credimus, ſcriptura nos ita docente, ut ſuprà ſatis oſtendimus.

2. Pet. 1
1. Tim. 1

Rom. 5

Baptiſmus non ſimpliciter neceſſarius, quaſi ſine eo nõ poſſimus vllo modo ſaluari.

Baptiſmus itaq; non ſimpliciter & ex natura rei, ſed ex beneplacito uolũtatis diuinæ, ſic nos humiliare uolentis, eſt eatenus duntaxat neceſſarius, quatenus per eum quaſi per ſtultitiam & infirmitatem operationis externæ, ſub qua tamen lateat ſapientia atque potentia operationis diuinæ, & diuinæ uoluntati obtemperemus, quæ eſt radix immortalitatis, & ſanguinis Chriſti participes efficiamur, atque ſpiritu ſancti uiuifica gratia imbuamur. Vt uidelicet ſublimitas (ut diximus) ſit uirtutis Dei, et nõ ex nobis. Spiritus autẽ fidei & promiſſionis, qui intus inhabitet, & nos agat in omnem obedientiã fidei, eſt ſimpliciter & ex natura rei ad ſalutem neceſſarius. Cuius accipiendi, fouendi atque conſeruandi augmentandiq; gratia (creſcit enim non in ſe, ſed in donis) præcepta & faciendæ ſunt, quæcunq; diuinitus mandata accepimus.

1. Cor. 1
Sap. 15
2. Cor. 4

Spiritus ſanctus ad ſalutẽ ſimpliciter eſt neceſſarius, nec ſine eo quiſq; poteſt ſaluus fieri.

Sine baptiſmo igitur fieri poteſt, ut quis ſaluus euadat, ſed ſine ſpiritu fidei nequaq̃. Non enim ita alligauit Deus externis huiuſmodi ſignis ſuam miſericordiã nobis dandam, ut ſine eis non poſſit ullo modo ſaluare. Nam quod aliquando ſine talibus fecit ſignis, id ipſum

ipsum adhue sine talibus potest, modò absit negligentia & contemptus, adsit autē impossibilitas præcepti implendi, cum uero peccatorū dolore, et recto diuinæ misericordiæ desiderio atq; imploratiōe. Si enim Cornelius ille Centurio, cum acceperat spiritum sanctum, anteq̄ tinctus esset atq; lotus baptismo Christi, subita et præmatura morte è medio uiuētiū sublatus fuisset, cui dubiū quin per spiritū sanctum, qui est nostræ hæreditatis pignus, fuisset saluus? Id ipsum et nunc fieri posset, si quis Iudæus aut Turca inciperet intelligere quæ sine ueræ salutis, & desideraret baptizari & incorporari Christo, sed interim, priusq̄ posset inuenire quempiam, à quo baptizetur, excederet è uiuis: ut is ex fide, sine baptismo aquæ in uerbo uitæ dato, per spiritū sanctū remissione accepta, saluus fieret per meritum Christi. Omnis enim quicunq; inuocauerit nomen Domini saluus erit. Conuertimini ad me, ait Dominus exercituum, & ego conuertar ad uos. Hæc est uoluntas patris mei, qui misit me, inquit Christus, ut omnis qui uidet filiū, & credit in eum, habeat uitā æternā, & ego resuscitabo eū in nouissimo die. Nam impossibilitas faciendi, quæ præcepit Christus, non oberit saluti, modò uera fide totoq; corde cupieremus obtemperare, si possemus. Quibus autem possibile est ad baptismum pertingere, si id uel negligant, uel contemnant, his nulla fides fuerit loco baptismi. Fides enim non est uiuifica, quæ cum ullo errore uel inobedientia est coniūcta. Maledictus enim qui facit opus Domini negligenter, ut ait propheta Hier. 48.

Quomodo sine baptismo fieri possit vt quispiā fiat saluus. Act. 10

2. Cor. 1
Eph. 1

Iohan. 2
Rom. 10
Zach. 1
Iohan. 6

Si itaq; baptismus sit dicendus simpliciter necessarius ad salutem, oportet ut secūdum scripturam, cum

Triplex baptismus.

doctoribus Ecclesiasticis, triplicem intelligamus baptismum. Vnum quem uocat Apostolus lauacrũ aquæ in uerbo uitæ, de quo hactenus locuti sumus, secũdum præceptum Christi Mat. 28. Marc. 16. Et Iohan. 3. de quo etiã solo dixit Apostolus: Vnus Dominus, una fides, unum baptisma. Vnum uidelicet, ratione unius baptizantis Christi, qui in omnibus ministris cooperatur, & dat incrementum, dum illi duntaxat plantant & rigant. Rursus unum ratione unius trinitatis, in cuius nomine baptizamur, & cuius effectiua uirtute atq; interna operatione baptismus uim habet animam innouãdi. Prætereà & unum, quia iterari non potest.

Eph. 5

Eph. 4

Vnum baptisma aqua 1. Cor. 3

Mat. 28

Baptismus aquæ irrediterabilis.

Baptismus enim aquæ in spiritu sancto per meritũ Christi, atq; in nomine patris & filij & spiritus sancti administratus nullo modo est reiterandus, modò fuerit uerè & datus & acceptus, partim quia quem imprimit characterem, is non est neq; delebilis, neq; augmentabilis: partim quia in eo morimur, sepelimur atq; resurgimus cum Christo. Quemadmodum enim Christus mortuus est semel, non amplius moriturus. Ita etiam quemadmodum loquitur Apostolus de baptismo. Impossibile est eos qui semel sunt illuminati, gustauerũt etiam donum cæleste, & participes facti sunt spiritus sancti, gustauerunt nihilominus bonum Dei uerbum, uirtutesq; seculi uenturi, & prolapsi sunt, rursus renouari ad pœnitentiam, rursum crucifigentes sibimet ipsis filium Dei & ostentui habentes. Nam quia in baptismo morimur cum Christo, & Christus quodammodo in nobis crucifigitur, eò quòd mortis eius per baptismum nobis communicetur fructus, ideò si iterum atque iterum baptizaremur, quod absit, iterum

Eph. 4

Rom. 6

Heb. 6

atq;

atque iterum Christus in nobis crucifigeretur. Quod esset eum ostentui habere, quasi parum & insufficiēs esset ad nostram salutem, eum semel crucifixum esse.

Manifestum est autē quòd hæc uerba Apostoli ad Hebræos sexto iam dicta, de baptismo non nisi semel accipiendo, & non de pœnitentia sæpissimè & quidē toties agenda, quoties peccaris, sint accipienda atque intelligenda. Tum quia dicit impossibile esse nos lapsos rursus renouari ad pœnitentiam, & non dicit, postquā ad uetustatē peccati redierimus, impossibile esse nos innouari per pœnitentiā. Baptismus enim est lauacrum regenerationis & renouationis, quo reddimur apti, ut quādocūq; post baptismū peccauerimus, pœnitentiam Christianam & Deo acceptam, agere possimus, quippe sine quo nulla fuerit pœnitētia. Neque in baptismo per nostram pœnitentiā quasi ex nobis renouamur & resurgimus, sed sine meritis nostris non tamē sine fide et pœnitētia, si quā præstare possumus ex sola misericordia Dei Tit. 3. Atq; ita fit, ut in baptismo nō per pœnitentiā quasi per meritū, sed ad pœnitentiā semper agendā, & ad mortificāda mēbra nostra, quæ sunt super terram, renouemur.

Quomodo impossibile sit renouari ad pœnitentiā in baptismo, sed nō per pœnitentiā, post baptismum semel acceptū Tit. 3

Tum quia possibile est, imò & facilè secundūmisericordiā Dei post baptismum lapsos, iterū resurgere, & quodāmodo innouari per pœnitentiam, quis id Nouatiani quondam, & nunc hisce temporibus quidam ἀντιμισθονῆται negent, putentq; si post baptismum in pristina peccata relabaris, non fore remissioni & ueniæ locū, contra manifestas scripturas. Petrus enim ipse post acceptum baptismum (nam qui prius baptizarat alios Iohan. 4. sine dubio & ipse baptizatus fuerat) grauissimè peccauit, & à misericordissimo

Secūda ratio & post baptismū impossibile sit renouari ad pœnitentiā, sed non per pœnitentiam. Quidam his temporibus negauerunt pœnitētiam post baptismum.

Mat. 16

Venis omnibus quotiescunq; peccantibus, cęterũ ad pœnitentiã venientibus semper parata.

Domino facilem remissionẽ inuenit, adeò ut non ipse prior Dominũ quæsierit, sed Dominus eũ prior respexerit, et suo benignissimo obtutu, imò sua interna immutatione ac refocillatione ad pœnitentiã & remissionem implorandã inuitarit, quippe qui dixerat: Venite ad me oẽs, qui laboratis & onerati estis, & ego reficiã uos. Qui dicit omnes, is neminẽ excipit, q̃tumuis post baptismũ sæpenumero relapsum. Atq; hoc est quod Dominus ipse, sciscitãti Petro, quoties fratribus in se peccantibus remitteret, an septies: respõdit, non dico tibi usq; septies, sed usque septuagies septies. Fratribus itaq;, qui in eandem fidem nobiscum conspirant, si spiritum sanctũ contristent, uenia parata est, modò pœnitentiam agant. Nequaq̃ enim credendum, quod Dominus id faciendum, fuisset præcepturus Petro, ut septuagiessepties fratribus remitteret peccantibus, si ipsemet id facere uel noluisset, uel factu indignum putasset. Nam cœpit Iesus facere et docere. Quin imò apertissimè declarat & D. Iohannes nõ minus facilem esse Dominum ipsum ad remissionem uel septuagiessepties fratribus peccantibus dandã, q̃ esse uoluerat Petrum, dicens: Filioli mei hæc scribo uobis ut non peccetis. Sed & si quis peccauerit, aduocatum habemus apud patrẽ Iesum Christum iustum, & ipse est propiciatio pro peccatis nostris. Nam qui dixerat Apostolis, quæcunq; solueritis super terram, fore soluta & in cælo. Et quorũ remiseritis peccata, remissa fore eis, is nimirum, quoties quoties remiserit Petrus cæteriq; Apostoli, toties & se remissurum promisit. Cùm igitur per pœnitentiam non modò possibile, sed & facile sit secundũ misericordiam Dei renouari, & remis-

Mat. 11

Mat. 18

Eph. 4

Act. 1

1. Ioan. 2

Mat. 16

Ioan. 20

remißionis gratiam consequi, Apostolus autem dicat impoßibile esse renouari ad pœnitẽtiam, certum est, eum loqui de baptismo, quod est lauacrum renouationis, et non de sacramẽto pœnitentiæ, ita ut baptismus Christi nõ sit reiterabilis. Quẽadmodũ enim Christus mortuus est semel, non iterũ moriturus. Ita et nos per baptismũ non possumus nisi semel Christo commori et consepeliri. Ro. 6. Præter hunc baptismum flaminis, per quem in aqua pariter atq; in spiritu sancto renascimur, est et alius baptismus flaminis, ut uocãt, hoc est solius spiritus sancti sine aqua, de quo scriptura Act. 1. Vos baptizamini spiritu sancto, nõ post multos hos dies, hoc est, ut paulo pòst sequitur, accipietis uirtutẽ superueniẽtis spiritus sancti in uos, aut ut habes Luc. 24. inducmini uirtute ex alto. Vocat enim Christus infusionẽ atq; acceptionẽ spiritus sancti, baptismũ in spiritu sancto. Quare quot modis, et quoties cũq; dicimur accipere spiritũ sanctum, siue ad remißionem peccatorum recipiendã, siue ad gratiam & uirtutem augendam aut corroborandã, siue ad mysteria Christi in utilitatẽ Ecclesiæ dispensanda, tot modis & toties possemus quoq; dici in spiritu sancto baptizari. Acceperunt autem Apostoli in die resurrectionis spiritum sanctum, insufflante in ipsos Christo & dicente: Accipite spiritum sanctum, quorum remiseritis peccata, remittuntur eis, et quorum retinueritis, retenta sunt. Ex quibus uerbis (ut id obiter dicam) fluxit nobis sancta & Christiana peccatorum confessio sacerdoti facienda, et secundũ eam ab eodẽ absolutio expectanda. Acceperunt rursus eundem spiritum cum maiori efficacia ac uirtute in die pentecostes. Item Act. 4. cum orarent

Secundus baptismus dicitur flaminis seu spiritus sancti sine aqua

Baptismus flaminis est reiterabilis.

Iohan. 20

Cõfessio auricularis vt vocant.

Act. 2

orarent et locus in quo erāt moueretur, dicente scriptura: Et nunc Domine respice in minas eorum, & da seruis tuis cū omni fiducia loqui uerbū tuum &c. Et cùm oraſſent motus eſt locus, in quo erant cōgregati, et repleti ſunt oēs ſpiritu ſancto, & loquebantur uerbum Dei cum fiducia. Quin & ſpiritum ſanctum acceperant, cùm baptizarentur et regenerarentur, de qua re Chriſtus loqui uidetur Io. 13. Qui lotus eſt, non indiget niſi ut pedes lauet, ſed eſt mundus totus. Neque prætereà addubito, quin & acceperint ſpiritū ſanctū dum uocarentur in mōtem Mat. 10. atq; in Apoſtolos duodecim deligerentur. Atq; omnibus hiſce modis dici poſſent quodammodo baptizati in ſpiritu ſancto.

Mare.

Quomodo baptiſmus flaminis ſine baptiſmo fluminis ali quādo ad ſalutē ſufficiat.

Vt autem baptiſmus hic flaminis uicem obtineat baptiſmi fluminis, faciatq; ut id non obſit ad ſalutem accipiendam, quod non ſis in aqua per uerbū uitæ baptizatus, id contingit tantum iis, quorum fides uera, firmaq; ſpes, atq; animi deſiderium ardens, cum uero dolore peccatorum, gratiam Dei ita implorat, ut eam à Deo per ſpiritum ſanctū impetret, præſertim quando ob improperam mortem, ad baptiſmum aſpirare nō datur. Sic Valentinianus imperator authore D. Ambroſio baptizatus eſt. Cùm enim eſſet Ambroſius in itinere ad eum baptizandum ueniendi, mortuus eſt Imperator, priuſquàm acceßiſſet Ambroſius. De quo ſic ait S. Ambroſius: Ventrē meum dolco, ut prophetico utar eloquio, quoniam quem in Euangelio eram generatus, amiſi. Sed ille non amiſit gratiam, quam poposcit.

Valentinianus ſine baptiſmo atque ſecūdū Ambroſium ſalutifactus.

Hoc porrò baptiſmate flaminis extra neceßitatem ante baptiſmum aquæ (ut ſuprà docuimus) non inuenimus

nimus baptizatos esse ullos adultos, præsertim post legem Euangelicam satis diuulgatam, præter unum Cornelium centurionem, cum omnibus, quotquot ades rant. Act.10. idq; ob necessitatem fidei confirmandæ, ut alibi patebit latius. Paruulos quoque nullos, ante adhibitum sacramentum siue ueteris siue nouæ legis, inuenimus spiritu sancto baptizatos, præter aliquot, eosq; admodum pauxillos, magnæ sanctitatis uiros futuros, quales erant, Esaias, Hieremias, & Iohannes baptista: de quibus quidem expresse scriptum sit. De paruulorū autem salutis remedio ante legem, non est quod hic loquamur.

Necessitas spiritus sancti habendi.

Sic igitur baptismus flaminis simpliciter est omnibus ad salutem necessarius, adeò ut & ipsi spiritus angelici non potuerint ex suæ naturæ eximia nobilitate aut ex proprijs uiribus se saluos reddere, sed debuerint etiam spiritus sancti inhabitantis gratia perfici, confirmari atque consolidari, dum inirent magnum prælium cum dracone, ut eo in terram proiecto, tum demum ipsi in bono perpetua stabilitate beatitudinis corroborarentur. Apoc.12

Tertius baptismus dicitur sanguinis.

Tertius baptismus est sanguinis seu martyrij, quo uidelicet baptizantur & accipiunt spiritum remissionis sanctum, sine lauacro aquæ, hi qui nullo errore, cuius sibi sint & debeant esse conscij, infecti, nullaq; contra uerbum Dei inobedientia obstinati, prius rapiuntur ad mortem pro nomine Christi, q̄ aqua baptizari possint, quales legimus fuisse quinquaginta illos sapientes ethnicos, qui undecunq; conuocati erant ad sanctam Catharinam à fide Christi auocandam. Quos ut intellexit tyrannus è contrario ad fidē Christi conuersos,

uersos, iussit exuri, anteq̃ potuerint baptizari aqua in nomine Christi. Hoc modo etiam baptizatos, aut si mauis circunciſos credimus nonnullos eorum innocentiũ, quos Herodes occidit à bimatu & infrà pro Christo, inter quos nimirum & fuiſſe nonnullos, nondũ circunciſos uerisimile & credibile putamus. Quin & hodie si rapiantur parentes eum infantibus, uel recẽs uel nondum natis, ad martyrium pro Christo subeunt dũ, priusq̃ infantes in Christo baptizari aqua queant, credimus per baptiſmum martyrij eos saluos futuros non quidẽ uirtute & merito proprij sanguinis effusi, ſed uirtute Christi ſpiritũ ſanctũ in merito ſui ſanguinis cõmunicãtis, his, qui pronomine eius perſecutionẽ patiuntur. Dixit enim: Beati qui pſecutionẽ patiũtur propter iuſtitiã, quoniã ipſorum eſt regnũ cælorum.

Mat.2

Mat.5

Porrò de hoc ſanguinis baptiſmo loquitur Christus Luc.12. dicens: Baptiſmo habeo baptizari, et quomodo coartor, uſque dum perficiatur. Et Marc.10. Baptiſmo quo ego baptizor, baptizabimini.

De hiſce autem tribus baptiſmatis locutus uidetur & Apoſtolus ad Hebræ.6. cùm inquit pluraliter: Ad perfectionẽ feramur, non rurſus iacentes fundamentũ pœnitẽtiæ ab operibus mortuis, & fidei ad Deum, baptiſmatum doctrinæ, impoſitionis quoq; manuũ ac reſurrectionis mortuorum &c. Quod igitur alibi dicit ſingulari numero, unum eſſe baptiſma, id, ut diximus, de baptiſmo aquæ, quod uidelicet unicum eſt, & non reiterandum, pronunciauit.

Vnum baptiſma. Eph.4

Recapitulatio quædam

Nunc itaq; conſtat baptiſmũ in ſpiritu ſancto ſimpliciter & omnino eſſe neceſſarium ad ſalutem, non autem baptiſmum aquæ. Conſtat item neminem mortaliũ

aliũ esse, qui non debeat semel aqua baptizari, si modò saluus esse uelit, nisi in quibus ob præmaturã mortem, baptismi aquæ uicẽ suppleat spiritus sanctus. Cõstat præterea nullos per spiritum sanctum iam habitum à baptismo aquæ eximi et excusari, quò minus debeant & baptizari aqua, nisi quibus baptisma aquæ sit impoßible. De paruulis autem alibi.

Hactenus de ijs diximus, qui necessitate præcepti, modò ut uelint salui fieri, debeant baptizari. Nunc dicamus etiam de ijs qui secundum institutionẽ Christi sint apti & digni qui baptizentur. Omnis autem mortalis homo (nam qui desierũt esse huius mortalis uitæ nõ possunt neq; ipsi, neq; alij eorũ nomine baptizari) qui fructus & beneficij baptismalis sit capax, aptus est et dignus, qui baptizetur, nisi semel antea baptizatus fuerit. Primũ autẽ quid sibi uelit Apostolus cum illud, 1. Cor. 15,

Qui sint apti, vt secũdũ institutionẽ Christi baptizentur.

Quid facient qui baptizantur pro mortuis, si omnino mortui non resurgunt? Vt quid & baptizantur pro illis? audiamus ex doctoribus Ecclesiasticis. De quo Pauli loco Ambrosius, In tantũ ratam & stabilẽ, inquit, uult ostendere resurrectionẽ, ut exemplũ det eorum, qui tam securi erant de futura resurrectione, ut etiam pro mortuis baptizarentur, si quem fortè mors præueniisset, timentes ne aut male aut non resurgeret & c. Paulò pòst, Exemplo hoc non factũ illorũ probat, sed fixam fidẽ in resurrectione ostendit. Quid & nos periclitamur omni hora? Quotidie morior pro uestra gloria, quã habeo in Domino, dicẽdo: quid et nos periclitamur, discreuit personas, ostendens nõ catholicos esse, qui pro mortuis baptizabantur. Des

Quomodo apud apostolum dicãtur quidã baptizari p mortuis.

Baptizare mortuos nō licet.

nique suprà dixit, ut quid baptizantur pro illis, nunquid dixit, & baptizamur pro illis? Sic ille. Fuisse igitur & Apostoli temporibus quosdā intelligimus, qui uel mortuos uel uiuos quosdā mortuorū loco baptizabāt, quasi id baptisma esset mortuis ad salutē prosuturū, sed eos nō annumerat Apostolus Christianis et fidelibus, significans nimirum esse errorem grauissimum, qui eos separarit à Christo, hunc errorem tribuit Theophylactus Marcionistis.

Sunt tamen qui locum Pauli aliter exponunt. Primasius enim D. Augustini discipulus quondam Vticensis episcopus hunc in modū ait. Quicunq; baptizati sumus, in Christo Iesu, in morte ipsius baptizati sumꝰ. Omnes enim qui baptizamur, sic baptizamur, ut iam pro mortuis simus. Et Theophylactus intelligit pro mortuis baptizari, sub spe & expectatione resurrectionis mortuorum. Non igitur uoluit Apostolus ullo modo approbare opinionē baptizandi mortuos, cùm non sint baptismalis fructus iam capaces.

Capax fructus baptismi quis sit.

Is autem est capax fructus & gratiæ baptismalis, hoc est, remissionis peccatorū, & spiritus sancti cum fide spe & charitate, in quo nullum est obstaculū uel infidelitatis uel inobedientiæ uel alius impietatis, quod spiritum sanctum contristet, & gratiam Dei atque remissionem excludat.

Adultos oportet prius credere q̄ baptizentur.

Quantum igitur spectat ad adultos, de quibus adhuc pauliſper loquemur, certū est nō incredulos, & impietatibus pristinis adhuc implicitos, sed credulos ac fideles, & peccatorū odio pœnitentiaq; affectos, & baptismi accipiendi ex animo cupidos esse baptizandos, iuxta præceptum Domini dicentis: Qui crediderit

diderit & baptizatus fuerit, saluus erit. Et docete omnes gentes baptizãtes eos in nomine patris & filij & spiritus sancti. Infidelitas enim aut alia quæuis malitia, quæ adhuc animo sederit, impedit nõ modò meritum & sanguinẽ Christi, sed etiã uirtutẽ operationis Dei, quò minus per baptismũ, remissio peccatorũ dari, et charitas per spiritũ sanctũ cordibus infundi queat. Sine fide enim impossibile est placere Deo. Et in malitiosam animam non introibit spiritus sapientiæ.

Marc.16 Mat.28 Heb.11 Sap.1

Verùm enimuero quamuis incredulus aut aliàs malitiosus non sit dignus baptizari, neq; omnino admittendus ad baptismũ, eò quòd non sit aptus fieri uiuum membrũ corporis Christi, si tamen huiuscemodi quispiam uerè postulet baptismũ, et baptizetur secundũ formã christi, is uerè fuerit baptizatus, neq;, si posteà resipiscat, & uerã pœnitentiã agere uelit, iterũ sit baptizãdus, sed sola pœnitẽtia, et manuũ impositiõe, ab illa nequitia & peruersitate baptismi prius indignè sumpti, & à cæteris peccatis posteà admissis, purgandus, quemadmodũ Christiani in peccatum post baptismum relapsi agere solent pœnitentiam. Secus se res haberet, si ficto animo fuisset baptizatus.

Infidelis aut impius potest verũ baptismũ suscipere, si verè petat, sed nõ sal uificum.

Quod diximus ex scriptura liquet de Simone Magoo Act. 8. qui quamuis dicatur credidisse, & baptizatus adhæsisse Philippo, ex sequentibus tamen mox patet, eum neq; plenè credidisse, neque suam auariciam & impiam dementiam penitus exuisse. Sed hactenus duntaxat credidisse & adhæsisse Philippo, quatenus eius uerbis non palàm restiterit, sed se quasi nouitatis gratia morigerum ad tempus cum alijs præbuerit, necdum scius quorsum ea res uergeret. Quomodo

Probatio superioris.

enim plenè aut uerè credideris, qui cùm uideret, per Apostolos fieri signa et uirtutes maximas, stupēs admirabatur, uidelicet diuinā omnipotentiā Christi nōs dū uerè cognoscens? quiq; cùm uidisset per manuum Apostolicarū impositionē dare spiritū sanctū, oblata pecunia postulabat dari eandē potestatē & sibi, spiritum sanctū contribuendi, quibuscunq; manus imponeret? Certa sunt hæc argumenta eum impietatis pleno animo fuisse baptizatū. Quamobrē & factū est, ut dū alij acciperent spiritū sanctū, & loquerentur linguis magnalia Dei, ipse acrioribus sit agitatus diaboli stimulis, et seipsum impietatis prodiderit. Nihilo tamē minus, cognita eius impietate, Petrus admonuit non ut rediteraret baptismum quasi citra fidem, uanum, inutilem, & non uerum, sed ratus baptismum fuisse uerum propter ueram animi auiditatem baptismi sui scipiendi, quantumuis non saluificū, duntaxat ad pœnitentiam cohortatus est eum.

Alia pbatio

Id ipsum quoq; fit palam ex ijs, quos Apostoli baptizarunt ante passionē Christi, quorū uix ullus sciuit & credidit Christum esse ex uirgine natum, ex spiritu sancto conceptum esse cum patre & spiritu sancto unum in diuinitate, æqualem in maiestate atque gloria, missum esse à patre, ut genus humanū redimeret, quod nemo alius, imò neq; ipsi angeli plenissimè potuissent, deniq; esse resurrecturū à mortuis, atq; iudicaturū post consummationē seculi, alios in uitā æternā, alios in opprobriū & mortē sempiternā. Quæ autē poterat esse uera fides, sine huiuscemodi cognitione aut saltem sine notitia Christi, quòd is esset uerus Messias in lege promissus?

Dan. 12

Fateor

Fateor quidem ante spiritum sanctũ in Apostolos missum, & Euangelij lucem satis clarè exortam, non fuisse illis tam exactam omniũ credendorũ notitiã necessariã ad salutẽ, quàm nunc nobis. Imò neq; nunc omnibus ex æquo esse omniũ rerum diuinarũ cognitionem necessariam. Sed hoc dico, quæ poterat esse uera fides, sine ulla notitia Christi redemptoris? Attamen quamuis non habebãt fidem sufficientem ad salutem, iußit Christus Apostolis, ut eos baptizarẽt. Quod nõ feciſſet, ſi ſine fide baptiſmum prorſus inutilẽ, & nullum iudicaſſet. Nihil enim inutile iubet Chriſtus faciendũ. Si itaq; uerus erat ille baptiſmus ab Apoſtolis iuſſu Chriſti, adminiſtratus, quantumuis nondũ cognita ſatis uera fide, non erat poſtea rediterandus. Quẽadmodum neq; ipſi Apoſtoli ſunt poſteà rurſus baptizati, quamuis prius cum baptizarentur, non ſatis crediderint. Baptizatos autẽ eſſe quamuis id nuſquã apertè ſcriptum ſit, nihil addubites, cùm uideas ipſum Chriſtum uoluiſſe prius baptizari, quàm baptizare. Quomodo ergo miſiſſet diſcipulos ſibi diſſimiles, baptizatum? Iohan. 4.

Anteſpiritũ miſſum non erat neceſſaria tã perfecta fides quã nunc.

Apoſtoli cũ baptizarentur nõ habebãt ſufficientem fidem.

Miraris quomodo uerum dicamus baptiſmum infidelibus aut peccatoribus baptiſmi quidem cupidis, ad miniſtratum, per quem tamen conſtat non dari remiſſionem neq; ſpiritum ſanctũ, cuius accipiendi gratia baptiſmus eſt inſtitutus. Nam in corpore ſubdito peccatis non habitabit ſpiritus ſapientiæ. Reſpondemus etſi incredulitas accipientis baptiſmum, ſit tanta ut peccatorum remiſſionẽ impediat, & ſpiritum ſanctũ excludat, utq; baptiſmus non ſit ad æternam ſalutem promouens modò tamen qui baptizatur, uerè intens

Sap. 1

Quomodo baptiſmus ſit uerus, per quẽ nõ datur ſalus propter accipientis maliciam.

dat accipere baptiſmum, qualem Apoſtoli ſecundum formã Chriſti adminiſtrarũt, & ipſe miniſter uerè intendat dare, deq; ritè ſecundũ doctrinam Chriſti, & Apoſtolicũ uſum, q. is uerũ, & non penitus inutilem, neq; rediterandũ, q̃tumuis nõ ſaluificũ, ſuſcipit baptiſmum. Nam etiamſi nõ omnẽ baptiſmi fructũ, accipit tamẽ aliquẽ, eumq; non amplius renouandũ iterandũ: ue. In quibus autẽ baptiſmus nullũ ſui ueſtigium relinquit, neq; ullũ ex ſe fructũ uirtute Chriſti præcipiẽtis et aßiſtẽtis atq; cooperãtis infũdit hi etiãſi uideãtur baptizati nõ ſunt tamẽ in Chriſto uerè baptizati: quales ſunt q baptizantur nõ uero animo accipiendi baptiſmum. Quemadmodũ itaq; qui poſt baptiſmum rurſus grauiter peccando filium Dei conculcãt, non ſtatim perdunt omnẽ baptiſmi fructũ, ita ut nihil penitus diſcrepent tales baptizati à nõ baptizatis, ſed perdunt tantũmodo eum fructũ, per quẽ erant æterna beatitudine digni. Huiuſcemodi autem fructũ non perdunt, per quẽ uerè ſint, maneant q; baptizati, per quem & in æternum agnoſcantur, etiamſi ad inferos, quòd abſit, demergantur, diſcreti à non baptizatis, per quem deniq; fit, ut dum ad pœnitentiã redeũt, nõ debeant iterum baptizari, neq; renouare eum baptiſmi fructum quẽ adhuc habent, ſed eum per pœnitentiam recuperare, quem perdiderant. Ita etiã, qui uel infideles uel ſcelerati uerè baptizantur, eum quidem baptiſmi fructũ, qui etiã in peccatoribus & condemnatis eſſe poteſt, recipiunt, per quem anima eſt ſignaculo quodã Chriſtianitatis diſtincta à nõ Chriſtianis, quemadmodũ Iudæi q̃tumuis impij circũciſionis ſignũ in carne ſua circũferebant, ſed fructũ ſaluandorũ nõ

Baptiſmus nullũ efficiens fructum in baptizato, nõ eſt uerus.

Heb. 10

Eſt quidã baptiſmi fructꝰ, qui etiã manebit in condẽnatis.

Signaculum chriſtianitatis in baptiſmo imprimit animæ.

percis

percipiunt, donec pœnitentiam agant.

Huius autẽ signaculi per baptismũ animæ impressi, in nouo testamento atq; ueteri sæpe fit mẽtio, ut 2. Cor.1. & 5. Eph.1. & 4. Apoc.7. De quo et Esa.cap. 66. Ponã in eis signũ, & mittã ex eis qui saluati fuerint ad gentes in mare, in Aphricam & Lydiam, &c. Missi enim sunt Apostoli in omnem terram. Similiter Hier.32. Imprimetur signũ & testes adhibebuntur in terra Beniamin et in circuitu Hierusalẽ in ciuitatibus Iuda, & in ciuitatibus montanis, & in ciuitatibus campestribus, & in ciuitatibus quæ ad Austrum sint, quia conuertam captiuitatẽ eorum, dicit Dominus. In baptismo enim Christianorum ex omnibus nationibus populis & linguis undiq; ad ouile Christi congregatorum, captiuitas & seruitus peccati conuertitur in libertatẽ spiritus. Vbi enim spiritus Domini, ibi libertas. Et testes adhibentur, quos uocamus susceptores, ut posteriori libro amplius patebit. Eph.5 2.Cor.3

Hic fortè dixeris, quomodo per baptismum infideles aut mali accipere possint signaculum Dei, cum nõ accipiant spiritum sanctum in quo signentur. Ostendimus suprà spiritum sanctum etiam multa operari in multis, quos tamen non inhabitat per gratiam. Id itaque non repetemus.

Sed quid prodest inquis huiusmodi fructus baptismi, per quem non saluabimur? Similiter facit Apostolus quosdã interrogantes de circuncisione eorum, qui suis peccatis sibi eam faciebãt inutilẽ. Cùm enim dixisset & Iudæos & gentes peccasse, rogassent: Quid ergo amplius Iudæo est? aut quæ utilitas circuncisionis? Respondet multũ per omnem modũ. Certè quemadmodum Quid prosit ille baptismi fructus per quẽ non saluabimur. Rom.3

dum tunc nõ per solam circumcisionẽ, ita & nunc non per solum baptismũ aquæ sine spiritu sancto imò neq;
Rom.8 per sanguinem Christi sine peccatorũ remissione salua-
uabimur, non tamen cõtinuò pro nihil habendus est et parui ducendus ac contẽnendus & baptismus & san-
guis Christi, sed animus noster ad pœnitentiam modò
1.Cor.13 mutandus. Quemadmodũ enim per solas eleemosynas sine fide & sine remissione non saluabimur, q̃uis scri-
Thob.12 ptũ sit q; eleemosyna à morte liberat, & ipsa est quæ purgat peccata, & facit inuenire uitam æternã, eò q;
talis scriptura loquatur de uera & uiua eleemosyna,
Mat.25 secundũ quam primò animã nostram fide nudã uestias-
mus, peccatis captiuã uisitemus, sitientẽ & esurientẽ
1.Cor.13 iustitia, satiemus, ac deinde misereamur proximo. Imò neq; per solã fidẽ sine charitate ac sine spiritu sancto
saluabimur, non tamen continuò si peccatores eleemo-
synis abundẽt multis, si fidem habeant ueram quidem, cæterũ mortuam, si denique alijs multis operibus in spe-
ciem & materialiter (ut sic dicã) bonis excellant, hus-
iusmodi opera q̃tumuis sine uera charitate non salu-
fica, sunt quasi penitus inutilia reijcienda. Sed præpa-
rant animam & spiritui sancto aptiorem reddunt.

Heb.10 Qui verò baptizatus est, christianus est, etiam si sit malus.
Sic etiam qui uel infideles baptizantur, uel post ba-
ptismum spiritui sancto contumeliam faciunt, q̃uis sic
non salui erũt, est tamẽ et permanet in ipsis character
et signũ quoddã à spiritu sancto impressum, per quod
habiliores sint, qui baptizati fuerint, q̃ qui non bapti-
zati, ad cætera Christi sacramenta & charismata Dei
Act.8.13 percipienda. Qui enim nondũ est baptizatus, is necdũ
1.Tim.5 potest, nisi prius baptizetur, manuum Apostolicarum
1.Cor.11 impositionem accipere, non potest admitti ad cœnam

Domini,

Domini, non potest ab Apostolis solui & remitti, non potest inire matrimoniũ in Christo et in Ecclesia. Qui autem baptizatus est, q̃tumuis adhuc impius, mutata dũtaxat mente, et ad pœnitentiã conuersa, potest esse particeps omniũ timentium Deum, potest Ecclesiastica pœnitentiam agere, nec ab ullis Dei mysterijs est excludendus, secundũ rationẽ fidei et uocationis suæ. Iohan.20 Eph.5 Psal.118

Vicinior enim est saluti, qui in Ecclesia est peccatis obnoxius, q̃ qui foris. Quid enim mihi, inquit Apostolus, de ijs qui foris sunt iudicare? Nónne de ijs, qui intus sunt uos iudicatis. Nã eos qui foris sunt, Deus iudicabit. Vbi uult Apostolus nõ esse nobis maiorem de ijs qui foris sunt rationem, q̃ de canibus, nisi ut inuitemus eos et pertrahere studeamus ad intrandum. Nam qui foris sunt, si peccẽt, in eos animaduertẽdi atq; eos corrigendi non habemus ita authoritatem, sicut in eos qui intus sunt, 1.Cor.5. Minus mali est in Ecclesia quàm extra Ecclesiã peccare. 1.Cor.5

Extra Ecclesiã enim nulla est salus, q̃tũuis uidearis sanctißimè ac pijßimè uiuere desq; omnem substantiam tuam pauperibus et tradas corpus tuum incendio, nisi prius ingrediare, & incorporere Christo iuxta prophetas dicentes: Exulta & lauda habitatio Sion, quia magnus in medio tui sanctus Israel. Iterũ: Tantũ in te est Deus, et non est absq; te Deus. Verè tu es Deus absconditus, et Israel saluator. Rursus: Tenebræ operient terrã, & caligo populos. Super te autẽ orietur Dominus, & gloria eius in te uidebitur. Et alius: Scitis quia ego Dominus Deus uester, habitans in Sion, & in monte sancto meo. Præterea: Omnis qui inuocauerit nomen Domini saluus erit, quia in monte Sion, et in Hierusalẽ erit saluatio. Atq; item alius: Et erit qui non ascenderit de familijs terræ Extra Ecclesiam non est salus. 1.Cor.13 Es.12 Es.44 Es.60 Ioel.2 Rom.10 Ioel.2 Zach.14

terræ ad Hierusalem, ut adorent regem Dominũ exercituum, non erit super eos imber.

Per baptismũ verũ ingredimur ecclesiã militantẽ, quãuis mali. Psal. 17

Ingressus autẽ in hanc ecclesiã adhuc militantẽ est per baptismũ in Christo. Quẽadmodũ igitur præstat esse in concilio bonorũ, quorũ cõmercio posis indies si uelis euadere melior, q̃tumuis ipse adhuc sis malus, q̃ esse in cõtubernio malorũ. Nam cũ electo electus eris, & cũ peruerso peruerteris. Ita etiã multis modis præstat esse in ecclesia Dei, q̃tumuis adhuc malus. Nã ecclesia precatur non minus, imò magis pro malis & impijs, qui nauim Christi adhuc onerant magis q̃ bonorant. Sed non item pro canibus, qui foris sunt. Quod autem et mali sint in ecclesia, cõstat ex multis scripturis. Quomodo enim inuenisset rex ingressus in nuptias filij sui, quendã non uestitũ ueste nuptiali? Quomodo regnum cælorum diceretur simile decem uirginibus, quarum quinque sint fatuæ & quinque prudentes, si mali penitus non essent in Ecclesia Dei neq; diceendi Christiani: ut Mẽo aliquando blasphemat? Sed id nunc missum facimus.

Apoc. 22 Mali sunt in ecclesia. Mat. 22 Mat. 25

Malus si cognoscat non est admittẽdus ad baptismũ nisi conuertat ad pœnitentiam.

Verũm, quanq̃ præstet baptizatum esse, quàm non baptizatum, ut iam diximus, etiam si sis adhuc malus, eò q̃ facilius seruari queas in ipsa naui, q̃ in medijs fluctibus, et q̃q̃ etiã uerus baptismus posit dari nõ credẽtibus. Nequaq̃ tamen debet minister quemq̃ ad baptismum admittere, quem sciat aut infidelem, aut nondũ temperare uelle à peccatis. Non enim baptismus tantummodò institutus est ad hoc signaculũ Dei (de quo locuti sumus) accipiendum, quo discernamur à non baptizatis, sed etiam, & quidem potissimum ad habendam participationem meriti Christi in charitate per

Ioã. 1. Act. 2 1. Cor. 12

spiritum

spiritum sanctũ cordibus nostris infusa, qua discernamur ab impijs, & filij Dei nominemur & simus. Iohan.3

Dixeris fortè. Si melius est et saluti uicinius esse baptizatum quàm non baptizatum, etiamsi adhuc sceleratus sis, melius quoq; fuerit, imò necessarium, ut nos huiusce modi hominem, quem scimus necdum uelle tẽperare à peccatis, baptizemus, in spem uitæ melioris futuræ, ad quam scilicet facilius & compendiosius aspirabit, si modò sit baptizatus. Debemus enim quantum possumus proximum iuuare. Apostolus respondebit quòd non sint facienda mala, ut ueniant bona cùm sit ministris prohibitum ne sanctum dent canibus, & mittant margaritas suas ante porcos. Obiectio. Responsio. Rom.3 Mat.7

Priusquam diuellamur hinc, audiamus & quid Mẽno hisce iam dictis obgãiat. In declaratione Christiani baptismi cùm citasset cap. Acto. 19. De Paulo, qui peragratis superioribus partibus, cùm uenisset Ephesum, et inuenisset quosdã discipulos, baptizatos quidem baptismo Iohannis, sed nescientes an spiritus sanctus sit, denuò eos baptizauit in nomine Domini Iesu. Paulus (inquit Menno) censuit baptisma sanctißimi Iohannis, quòd de cælo erat, insufficiens, imperfectũ & inutile, eò quòd Ephesij nescirent, an spiritus sanctus sit, usque adeò uidelicet fidem urgens, & necessaria putans, quæ baptismum præcedat. Sic ille. Obijcit Mẽno superioribus dictis. Menno.

His uerbis conatur Menno ostẽdere pædobaptisma, cùm sit administratũ sine præuia fide, prorsus esse inutile, & perinde habendum atq; si non sit factum, ac proinde ubi adolcuerint paruuli, & fidem ex auditu uerbi didicerint, tum demum eos uerè baptizandos.

Atq;

Atq; huiusmodi blasphemijs tam latè introduxit suũ palimbaptisma, ut iam magnam partem mundi contagione illa infectam atq; corruptam reddiderit. Vsque adcò nimirum sumus auidiores falsi, & proniores ad malum, quàm ad bonum. Sed de paruulis posteà.

Refutatio obiectionis Mẽnonianæ

Hic dicimus, quantũ huic loco satis fuerit, Mennonẽ pueriliter & turpiter errare, & nescire discrimẽ inter baptisma Iohãnis & Christi. Baptisma Iohannis, q̃uis de cælo esset, quẽadmodum ipse Baptista ait: Qui me misit baptizare in aqua, ille mihi dixit: Super quẽ uideris spiritum descendentẽ et manentem super eum, hic est qui baptizat in spiritu sancto, non tamen erat baptisma Christi, de quo Mat. & Marc. ultimo, de quo hactenus locuti sumus. Nam & baptisma illo quo Naaman se septies lauit in Iordane, & sanitatem recuperauit, iussu prophetico, et quo cæcus lauit oculos suos, iussu Christi, & uenit uidens. Et quo ipse Christus lauit suorum discipulorum pedes: erat quidem de cælo, sed non erat baptisma Christi, per quem renascimur ex aqua & spiritu sancto.

Baptisma Iohãnis non erat Christi, de cælo tamen erat.

Iohan. 1

4. Reg. 5

Iohan. 9

Iohan. 13

Prima ratio distinctiõis.

Secũda ratio Mat. 28

Iohannes enim desijt baptizare anteq̃ Christus suũ baptisma institueret. Rursus, Iohannes baptizabat in nomine uẽturi Act. 19. Christus uerò docet baptizandum in nomine patris & filij & spiritus sancti.

Tertia ratio Iohan. 1

Præterea Iohãnes baptizabat tantũ in aqua, et non in spiritu sancto. Christus uerò non in aqua sola, sed in aqua et spiritu sancto. Vnde et constat baptisma Iohãnis non dedisse neq; remissionẽ peccatorũ, neq; spiritũ sanctũ. Imò neq; animã consignasse diuino charactere,

Quarta ratio

ut baptisma Christi. Postremò baptisma Iohannis dicitur semper Iohannis, & nunquam Christi, unde

& ipse

& ipse Iohannes dicitur baptista. Baptismus autem Christi semper dicitur Christi, & nunquàm Petri, Pauli, aut Apollo, neq; cuiusuis administrantiũ. Neq; ipse Petrus aut Paulus dicendus est baptista, sed solus Christus, eò q; in suo baptismo Christus ipse intus operetur, dans spiritũ sanctum, & non in baptismo Iohãnis. Hoc enim est quod confitetur Iohannes: Ego quidem baptizo uos in aqua in pœnitentiam, Qui autem post me uenturus est, fortior me est: Ipse uos baptizabit in spiritu sancto & igni. Ita ut Petrus aut Paulus baptismũ Christi administrantes, non sint nisi ministri eius, qui intus operatur. Addam & illud, quod Iohannes suũ baptisma semper propria manu administrarit, neq; usus sit ullo ministro ad baptizãdos homines. Christus uerò propria manu uix ullos baptizarit sed semper fere usus sit ministris, per quos tamẽ ipse dicebatur baptizare, & uerus esse baptista. Mat.3 Quãta ratio.

Quid quod & ipse Iohannes satis & intellexerit & expressérit, suũ baptisma esse insufficiens, et opus habere baptismo Christi, non propter imperfectã fidẽ uel suam uel à se baptizatorũ, sed propter ipsius sui baptismi infirmitatem, cùm inquit: Ego debeo à te baptizari, & tu uenis ad me? Iussus enim erat Iohannes baptizare, non ut per eum renascerentur in Christo, qui baptizabãtur, sed ut homines assuescerent baptismo, atq; ita minus essent rebelles ac increduli Christo, dum ipse esset incepturus suũ baptisma. Iohannes enim quasi proscindebat agrũ, quem Christus semine sui uerbi cõseminaret, quippe qui præibat ante faciẽ Domini, parare uias eius: Ad dandam scientiã salutis plebi eius. Quemadmodum igitur neq; ipse Iohannes Sexta ratio. Baptisma Iohannis erat infirmũ & insufficiens Mat.3 Finis baptismi Iohãnis Luc.1 Iohan.1 Iohan.3

erat

erat Christus, sed non nisi amicus & præcursor sponsi, neq; uerbum Iohannis erat ipsum Euangeliū, sed prægymnasma quoddā ac tyrocinium (ut sic dicā) et præparatio ad Euangeliū, iuxta dictum angeli: Præcedet ante illum in spiritu & uirtute Heliæ, ut conuertat corda patrum in filios, & incredulos ad prudentiam iustorum, parare Domino plebem perfectam. Ita neq; baptismus Iohannis erat baptismus Christi, sed non nisi quodammodo præcursor eius.

Luc. 1

Baptizati baptismo Iohannis debebāt rursus baptizari baptismo Christi

Atq; hinc est, cur nō modò Ephesij spiritū sanctum ignorantes sed & quiuis alij, quicunq; erāt baptizati baptismo Iohannis, debebāt denuo baptizari baptismo Christi posteà instituto, eò q, nō in spiritu sancto, sed in sola aqua essent baptizati. Cæterū si, quemadmodū Menno blasphemat, propter imperfectā fidē, aut propter ignorationem alicuius, quod sit fidei, baptismus Christi rite alioqui datus, esset irritus & reiterandus, debuissent iterū baptizari quotquot erant ab Apostolis, ante passionē, iussu Christi, prius baptizati. Debuisset & Thomas Apostolus rebaptizari, dum quod prius ignorabat, incipiebat credere, Christū uiuere licet resurrexisse. Quid, quod & ipse Petrus post acceptum spiritū sanctū rebaptizari debuisset, dum reuelatione sibi diuinitus facta, discebat neminē esse dicendū immundū, sed & gētes sine circūcisione esse admittendas in ecclesiam Christi? postremò deberent plurimi sæpe baptizari, etiamsi primum in adulta ætate, præcedente fide, quantam tunc habere poterant, fuissent baptizati.

Absurdum est dicere baptismū non esse uerū propterignorationē alicuius, quod ad fidē spectet.

Alioqui deberemus sæpe baptizari Iohan. 20 Act. 10

Non statim omnia quæ

Non enim omnia quæ sunt fidei statim ex æquo omnes scimus & intelligimus, sed multa plerunq; postea

stea, successu temporis, addiscimus, quæ prius ignorabamus. An uerò putamus nos uel ipsis Apostolis, qui cum Christo iam ad tres annos uersati erant, præstantiores & ingenio & fide & pietate, ut quòd illis à Christo dictum sit, adhuc multa habeo uobis dicere, sed non potestis portare modò, id nullo modo ad nos pertineat? At manifestũ est Apostolũ loqui sapientiã inter perfectos, paruulis autem in Christo non escam, sed lac propinare. Nã qui lactis est particeps expers est sermonis iustitiæ. Perfectorum autem est solidus cibus, eorum qui pro consuetudine exercitatos habẽt sensus ad discretionem boni & mali. Quare si paruuli in Christo & carnales adhuc, cò tandem promouebant, ut fiant perfecti & spirituales, atque solidum cibum iustitiæ, quem prius non poterant, incipiant sumere, & fidei stomacho concoquere, istiusmodi secundum Mennonem denuo essent baptizandi, eò quòd prius multa nescierint neq; intellexerint, quæ erant fidei. Quemadmodum contigit non modò illis discipulis, qui turbabant ecclesiam & docebant oportere Christianos circumcidi, aut illis qui turbati & nescij quid ea in re statuendum esset, mittebant ad Apostolos & presbyteros in Hierusalem Paulum & Barnabã super ea quæstiõe, sed & ipsis propemodũ Apostolis & presbyteris omnib. inter quos magna cõquisitio facta est, quasi nescios quid credẽdũ et agendũ esset. Donec Petrus primo ex Cornelio Centurione qui fide per spũm sanctũ sine circũcisione purificatus erat, ac deinde Iacob. ex uerbis Pet. pariter atq; Pauli cũ Barnaba, et ex propheticis simul dictis, cẽserẽt atq; pnũs

sunt fidei, scimus. Iohan.16 1.Cor.2.3 Heb.5 Act.15

ciarent

ciarent legem non esse amplius seruandam, sed gentes posse in Christo sine circuncisione saluas fieri. Ecce autem hi omnes fuissent iterum baptizandi, si uerum esset quod Menno blasphemat, propter impersectam scilicet fidem, baptismum esse inutilem & nullum atq; denuò iterandum. Sed absit blasphemia. Baptismi enim perfectio, integritas & efficacia non est ex nostra fide, sed ex sanguinis Christi merito, & ex potentia operationis diuinæ, ut sæpè diximus.

Tu itaque ò Christiane lector uide ne credideris id genus hominibus, qui nemini quantumuis pio, quantumuis docto credere uolunt, si modò uerè saluus esse desideras, qui scripturam pro arbitrio proprio trahunt, torquent & deprauant, suæ inniten-tes prudentiæ, contra id quod dicitur Prouerb. 3. Tu ne sis sapiens apud temetipsum: Sed audi doctrinam patris tui, & ne dimittas legem matris tuæ. Non qui Ecclesiam non audierit, sit tibi, inquit Christus, sicut ethnicus & publicanus Mat. 18. hæc est enim mater nostra Gal. 3.

Pro. 3

Mat. 18

Atq; hactenus de baptismi efficacia, & de adultis in Christo baptizandis.

Finis Libri prioris.

LIBER POSTERIOR DE PAEDOBAPTISMATE seu paruulorum baptiſmo, contra Mennonis Simonis Friſij anabaptiſticæ prauitatis ſummi antiſtitis virulentas blaſphemias, authore Martino Duncano Kempenſi Guormarianæ Eccleſiæ in Hollandia paſtore.

ANTVERPIÆ,
Excudebat Iohannes Grauius Typographus à Cæſ. Maiſt. admiſſus. Anno M. D. XLIX.

Cum Gratia & Priuilegio Cæſ. M.

¶Posterioris libri Cap.1.fol.122.fac.2

Quod paruuli nascantur in peccato, & cęlo indigni.

Cap.2.fol.129.fac.2

Quod paruuli non mundentur neq; fiant salui, nisi accepto spiritu sancto per baptismum in sanguine Christi.

Cap.3.fol.141.

Quod paruulis non obsit ignoratio fidei ad baptismum vtiliter & vere suscipiendum. Et quod baptizati vere sint fideles.

Cap.4.fol.156.fac.2

Quod paruuli sint baptizandi ex antiquita te obseruatiõis, & quę sit vera Christi ecclesia.

Cap.5.fol.183.

Quod pusilli sint baptizandi ex scriptura præcipiente.

Cap.6.fol.173.fac.2

Idipsum ostenditur ex figuris. Et de circuncisione.

Cap 7.fol.184.

Idipsum rursus ex fructibus baptismi, quorum sunt pusilli capaces.

Cap.8.fol.196.

De eo quod dicitur Act.2. Pœnitentiã agite, & baptizetur vnusquisq; vestrum & c.

Cap.9.fol.198.

De eo quod dicitur 1.Pet.3. Octo animę salua facti sunt per aquam &c. De susceptoribus. Et de cæremoniis baptismo festiuitatis gratia additis.

Cap.10.fol.207.

De eo quod dicitur Rom.6. Quicunque baptizati sumus in Christo Iesu, in morte ipsius baptizati sumus.

Cap.11.fol.209.fac.2

De eo quod dicitur Tit.3. Secundū suā misericordiā saluos nos fecit per lauacrum regenerationis.

Cap.12.fol.211.

De eo quod dicitur Gal.3. Omnes filij Dei estis per fidem.&c. Et an paruuli Christum induant. Item de fide & vera iustitia.

Cap.13.fol.217.

De eo quod dicitur 1.Cor.12. In vno spiritu omnes nos in vnū corpus baptizati sumus. Et de spiritu sancto nos inhabitante.

Cap.14.fol.219.

De Eunucho Act.8. baptizato, non nisi prę uia fide.

Cap.15.fol.220.fac.2

De Cornelio Centurione prius spiritu repleto quam baptizato. Act.10.

Cap.16.fol.225.fac.2

Quod ecclesiastici authores non scripserint de pædobaptismate contraria, vt calumniatur Menno.

Finis Capitum.

Quod nascamur immundi, peccatores, a Deo alieni, & regno cælorum indigni. Caput I.

Superiori libello de baptismi efficacia, & de ijs qui sint baptizandi, quantum spectat ad eos, qui sunt rationis & fidei capaces, diximus. Nunc restat ut ad paruulos ueniamus, & declaremus, aspirante Deo, an & illi, quanq̃ rationis sint expertes, & fidē ex auditu uerbi Dei necdū discere queant, sint baptizandi secundum institutionē Christi, an sine baptismo salui sint euasuri. Huius enim rei gratia, totā hanc scribendi operam sumpsimus, declarabimus autē et probabimus ex scripturæ pariter atq; ex efficacissimis rationibus, administrante spiritu sancti gratia, paruulos sine dubio in Christo baptizandos, & sine baptismo neq; sanguinis Christi esse participes, neq; saluos fieri posse. Id autē ut cōmodiori dicēdi ordine præstare possimus, primò paucis uerbis ostendendum duximus, q̃ paruuli concipiantur & nascātur immundi, et à merito Christi alieni, donec baptismo in sanguine Christi per spiritū sanctum mūdentur, & promissionis regni participes reddantur. De qua re Menno tam uariat, ut uix sciam quid ipse reuera senserit, nisi quod planè uidetur id ubiq; studuisse omnibus modis, uel contra propriæ conscientiæ apertum testimonium, cum manifesta impietate, ut rudē plæbeculam ab Ecclesia Romana (quam ita exosam habet, ut si sciat Christum esse Romanū, malit esse Antichristus q̃ Christianus) auocet, sedu-

Menno Romanæ ecclesiæ osor.

cat,

eat, & miseris erroribus inuoluat, unde tamẽ seipsum extricare non possit. Quantum tamen spectat ad hanc rem originalis peccati, uideor mihi olfacere uel non esse forsan ipsum Mẽnonem tam alienum à recta fide, quàm quædam ipsius uerba manifestam impietatem sonãtia præ se ferant, eò quòd hæc uideri possint non autographa, sed suppositicia, & à peruersis quibusdam Mennonianis intermista, præsertim cùm tam sint aliena ab alijs alibi dictis, quàm quæ alienissima esse queant. Vel quod erroris excitas, ut alibi aliquando, eum fecerit sui penitus immemorem, sibiq; contrariũ. Sed absque multis uerborum ambagibus ueniamus ad rem, & ipsum primò audiamus.

In fundamento Christianæ doctrinæ sic habet: Circuncisio ficbat cultris petrinis, & ad membrum genitale. Quò ostensum est quòd tota nostra generatio corrupta & incircuncisa facta sit, per generationem ex primo Adam, quæ generatio debet esse circuncisa per uerbum Christi. Rectè hæc quidem dicta sunt, si modò rectè intelligãtur, sed non respõdent alijs alibi dictis in eodem tamen libello, cùm inquit: Innocẽtibus & simplicibus puerulis nullum imputatur peccatum, nisi quod quemadmodũ omnes per Adam sumus lapsi in mortem, sic omnes per Christum Iesum restituimur uitæ. Quid autem hæc uerborum inuolucra sibi uolũt ò Menno, quàm ut simplicem populum instar bonis furibundi circumagant huc illucue, atque transuersum agant, & mente captum reddant? Ex eo enim quod ais nullum paruulis peccatũ imputari, intelligunt simplices & uersutiarum tuarum ignari, paruulos scilicet nasci mundos et sine peccato, nec opus habere uel

Mẽno fatet paruulos nasci in peccatis.

Menno sibi cõtrarius negat paruulos nasci in peccatis.

regeneratione uel mundatione ulla. Qui est grauissimus & pernicioſissimus error. Deinde quam addis exceptionem dicens: nisi quòd quemadmodum omnes sumus per Adam lapsi in mortem, sic omnes per Christū &c. per eam quid tibi uelis, non satis intelligo.

Si autem, ut ais, eadem ratio sit mortis in quam per Adam lapsi sumus, & à qua per Christum liberamur, constat ex tuis nimirum ipsius uerbis nos lapsos per Adam in mortem non modò corporis, sed & animæ, Christus enim Iesus uenit potissimum nos liberaturus
2.Cor.16 à mortæ animæ, à seruitute peccati, et à potestate diaIohan.1 boli. Ea enim est redemptio eius. Quare fit ut & ipsiColoſ.1 paruuli, cùm à Christo sint uerè redempti, & liberati, fuerint prius sub iugo peccati, à quo sint liberati. Nam eos conseruatos esse sine peccato nusquam legis, sed ubique habes contrarium. Quid quod & ipse
1.Cor.15 Apostolus, unde hæc tua uerba sumpsisti, loquitur de restitutione non modò uitæ naturalis, ad quam etiam resurgèt qui sunt extra Christū, sed uitæ Deo dignæ, quæ hic est in gratia, post hanc uitam autem in gloria? Hanc nimirum uitam gratiæ & gloriæ, cuius primitias habet Christus, cuius & per Christum particiſpes fient, qui sunt eius, & qui in aduentum eius crediderunt, perdideramus per Adam. Primus enim homo de terra terrenis. Et qualis terrenis, talis et terreni, et qualis cæleſtis, tales & cæleſtes. Non autẽ prius quod ſpirituale, sed quod animale, deinde quod ſpirituale. Per Adam itaq; sine dubio et paruulis imputatur peccatum, quippe qui & animales, & terreni, & carnales, atq; mortui sunt per Adam, non modò secundum uitam naturalem, sed etiam secundum uitam gratiæ

&

& gloriæ, qua per Christum sunt uiuificandi, si fuerint eius.

Audiamus rursus ex libello cui fecit titulum, Cur Menno Simonis non cesset docere & scribere contrarium superioribus, ubi sic inquit.

Equidem penitus sum aliud nihil per primam generationem quàm immundum & putridum lutum, & puluis terræ, peccator conceptus & natus ex uentre matris meæ. Quid apertius pro ueritate dici potuit? Quomodo autem ueri similem unum eundemq; hominem tam sui esse dissimilẽ, ut nunc paruulos dicat cõceptos & natos in peccatis, nunc rursus neget? Quid monstrosius quàm ex ore eodem nunc apertis tibijs, q̃ dicitur, pro ueritate, nunc iterum contra eandem canere? An contradicendi studium & erroris deliratio, tam potest reddere hominem sui immemorem, ut aliàs aiat, quòd alias negarit, præsertim in re manifestissima? Quo teneã uultus mutantem Protea nodo? Menno quidem nil intra est oleam, nil extra est in nuce duri. Nobis uerò, qui sub Romana Ecclesia Deo nos militare gaudemus, nullum est dubium, quin paruuli nascantur immundi, peccatores & filij iræ, ita ut nisi mundẽtur in sanguine Christi per spiritũ sanctũ cordibus eorũ infusum, salui nõ sint futuri, scriptura nimirũ ita docente, ex qua aliquot testimonia proferamus.

Menno rursus concedit paruulos nasci i peccatis

Paruuli nascuntur in peccatis.

Rom. 5. Sicut per unum hominem peccatũ in hunc mundum intrauit, & per peccatum mors, & ita in omnes homines mors pertransiit, in quo omnes peccauerunt, hoc est, ex quo uno omnes peccatum contraxerunt, ita ut uno peccante, oẽs quodãmodo in ipso peccarint, quèadmodũ uno creato, oẽs in ipso creati erãt.

Quin & paulò post nonnihilo apertius: Sicut per unius delictum in omnes homines in cõdemnationem, sic & per unius iustitiam in omnes homines in iustificationem uitæ. Quid est hoc aliud, quàm si diceret: Quotquot sunt quibus Christi iustitia ad iustificationem uitæ est necessaria, totidem etiam sunt, in quos per unius delictum mors pertransijt, atque regnauit in condemnationẽ? Nam omnes peccauerunt & egent gloria Dei, iustificati gratis per gratiam ipsius, per redemptionem quæ est in Christo Iesu. Id autem de omnibus simpliciter dici tam paruulis quàm adultis, quamuis et hi alio prætereà modo peccarint quàm illi (excepta uirgine Maria, de qua, quando de peccatoribus agitur, propter honorem Domini, nullam prorsus cum diuo Augustino habere uolo quæstionem) manifestum euadit ex alio eiusdem Apostoli loco, cùm inquit ad Ephes. 2. Eramus natura filij iræ, sicut & cæteri. Quid est autem aliud natura filium iræ esse, quàm nasci filium iræ? hoc est nasci in peccato. Certè solum peccatũ efficit filiũ iræ. Quomodo enim posset quispiam dignus esse ira, qui sit mundus, et sine peccato? Beati enim mundo corde, quoniam ipsi Deum uidebunt. Et psal. 23. Quis ascendet in montẽ Domini? aut quis stabit in loco sancto eius? Innocẽs manibus & mũdo corde, qui non accepit in uano animã suam, nec iurauit in dolo proximo suo. Hic accipiet benedictionẽ à Domino, et misericordiã à Deo salutari suo. Si itaq; paruuli sint natura mũdi, et sine peccato, cùm sint manifestè innocentes manibus, et non acceperint in uano animam suam, nec iurauerint in dolo proximo suo, sequitur eos non modò fore saluos, & non esse natura filios

Rom. 3

Natura sumus filij iræ

Mat. 5

filios iræ, sed etiam sine merito Christi, si moriantur, ante annos peccãdi aut bene beatéq; uiuẽdi maturos, & sine redemptione saluos futuros. Imò & ante mortem Christi fuisse saluos, & benedictionẽ à Deo æternam consecutos. Si enim Adam non peccasset, nõ opus habuisset redemptione & merito sanguinis Christi, neque præclusa fuisset ei ianua regni cælestis: sed statim ubi primũ ex hoc mundo auocatus fuisset, eò peruenisset, cuius gratia conditus erat. Nam et angeli natura mundi, & ab omni peccato alieni, sine sanguine Christi, facti sunt salui. Sed quid absurdius, quid abominabilius, quid magis impium, quàm dicere, paruulis non esse opus redemptione & liberatione Christi? At si necessaria est ipsis liberatio, quemadmodum reuera erat, sine dubio intelligũtur fuisse natura serui. Nam libero non est opus liberatione.

Sed contrà cùm Apostolus mentiri nequeat, ex spiritu sancto locutus, dicatq; nos esse natura filios iræ, natura, inquam, non à Deo sic condita, sed per inobedientiã unius hominis, ita corrupta, & per unius iusti obedientiam in integrũ statum restituta & restituenda, naturam uidelicet totam humani generis ob unius præuaricationem, cuius immunditiam nos omnes contraximus, condẽnabilem et ira dignã pronuncians, consectariũ est paruulos nasci immundos, peccato & dãnationi obnoxios, et non ascensuros in montẽ Domini, nisi sint prius mũdati et loti à peccatis suis in sanguine Christi, et iustificati gratis per gratiam ipsius, per redẽptionẽ quæ est in Christo Iesu. Nã quod natũ est ex carne, caro est. Caro autem et sanguis regnum Dei possidere non possunt. Rom.3 Iohan.3 1.Cor.15

Psal.50 Idipsum porrò & regius propheta Dauid manifestissimis uerbis docet, nos uidelicet conceptos & natos in peccatis dicens. Ecce in iniquitatibus cõceptus sum, & in peccatis cõcepit me mater mea. Non uideo quid poßit dici clarius. Non est autem quod hic respõses, ideò prophetã se in peccatis conceptum dicere, non quasi ipse conceptus, ullius peccati fuerit reus, sed quod mater eius concipiens immunda fuerit, & peccarit. Non sic impiè, non sic. Mater enim legitimi connubij debitum reddens non commaculatur ullo peccato, teste Apostolo, Heb. 13. Honorabile connubium in omnibus, & thorus immaculatus. Sed quod concipitur, id impurum sit, & prodit peccato inuolutũ, teste Iob. cap. 14. Quis potest facere mundum de immundo conceptũ semine? nõnne tu qui solus es? Si enim secundũ propheta opus habet mundatione ipsum quod cõceptum est, liquet quòd sit immundũ, & uisione diuina indignum, donec fuerit mundatum. Nihil autem à diuinæ uisionis gloria æterna excludetur, nisi quòd peccato sit coinquinatum, Apoc. 21.

Obiectio.

Responsio.

Vnde Eccles. 11. Error & tenebræ peccatoribus concreata sunt, non quidem uicio Dei, qui sic hominẽ primò creauit, sed uicio hominis, qui seipsum à Deo suo alienarit, & sui creationem ita prophanarit atq; coinquinarit, ut illud corruptionis uitium haud secus in naturam abierit, & contagione sua transeat in nos omnes, atq; si ex creationis necessitate profectum sit. Fecit enim Deus hominem rectum, sed ipse infinitis se 2. Cor. 6 1. Iohan. 1 miscuit quæstionibus Eccle. 7. Cum itaque nulla societas luci ad tenebras, sitq; Deus lux, nec in eo sint

tenes

tenebræ ullæ, cui dubium, quin paruuli in tenebris cõceptiatque nati, sint alieni à Deo, neque salui futuri, nisi per spiritum Christi lux fiant in Domino? Imò si & ipsi semetipsos rectè intus & in cute nossent, possent q; loqui, sine dubio dicturi essent. Quis potest dicere mundum est cor meum? purus sum à peccato? Ephes.5 Prou.20

Addam & illud Eccles.40. Graue iugum super filios Adam à die exitus de uentre matris eorum, usq; ad diem sepulturæ, in matrem omnium. Hoc est enim illud iugum, quo sub diaboli potestate omnes premimur, unde nos extricare non possumus, nisi adueniente & adminiculante eo, qui iuxta prophetam illud superauit: cùm inquit Esa.9. Iugum oneris eius & uirgam humeri eius, & sceptrum exactoris eius superasti. Quia omnis uiolenta prædatio cum tumultu, & uestimentum mixtum sanguine erit in combustionem. Nam Christus Iesus redemptor noster cùm baptizat nos in spiritu sancto & igni, illud diabolicum iugum, quod est quasi uestimentum mixtum sanguine, ita totũ exurit, & diabolo spolia sua detrahit, qui nos uiolenter deprædatus erat, ut quamuis uestigia quædam eius in nobis maneant usq; in diem sepulturæ, ut sunt concupiscentia, infirmitas, ignorantia, et mortis necessitas, ea tamen non in condemnationem, sed in salutem cedant, si modò non sinamus peccatum rursus in nobis dominari & regnare. Vnde extat decretum concilij Mileuitani contra Pelagium huiusce modi. Cur enim non & sponsæ uocem dulcissimam audire libeat, quæ cum sponsi scriptura optimè quadret? Placuit, ut quicunq; paruulos recentes ab uteris matrum baptizandos Iugum diaboli nos possit ab ineunte cõceptionis tempore. Luc.10 Cant.2

xandos negat, aut dicit quidem in remißionem peccatorũ eos baptizari, sed nihil ex Adam cõtrahere peccati, quod regenerationis lauacro expietur, unde fit consequẽs ut in eis forma baptismatis in remißionem peccatorum non uera sed falsa intelligatur, anathema sit. Ecce nunc & ipsius sponsi & sponsæ audiuisti eandem omnino de peccato paruulorum sententiam, quã si adhuc nolis recipere, certum est, neq; te sponsæ sponsum, neq;

Iohan.3 *quod grauius est, sponsi amicum esse, quam*

Ezech.18 *quam utrumque grauißimum sit & impißimum.*

Obiectio. *Dixeris fortè, Quomodo ergo ait Propheta: Anima quæ peccauerit, ipsa morietur? Filius non portabit*

Mier.31 *iniquitatem patris? Rursus: Vnusquisque in iniquitate sua morietur? Item: Omnis homo qui comederit uuam acerbam, obstupescent dentes eius? Respondemus*

Eph.2 Respõsio. *non mentitum esse Apostolum, qui dixit nos natura esse filios iræ, & per unius delictum mortem regnasse in omnes homines, in condemnationem, neq; prophetam mentitum, qui dixit se cõceptum in peccatis. Ac*

Psal.50 *proinde cum spiritus sanctus sibimetipsi contrarius esse nequeat, non intelligendos Hieremiã & Ezechielem, quòd locuti sint de peccato primi parentis, quòd per originem ex æquo contrahitur ab omnibus eiusdem corruptæ naturæ participibus, sed de peccatis singulorum parẽtum proprijs, quibus filij impiorum, cùm iam fuerint maiusculi nati, neq; sint affines suorum parentum peccatis, sed piam & iustam egerint uitam, non erunt obnoxij.*

Parentũ propria peccata nõ contaminant filios. *Ezechiel enim manifestè dicit filium qui sit iustus sanctus & pius, nõ portaturũ iniquitatem patris sui, si quam interni improbitatem, iniustitiã & impietatem*

tem committat pater. Neque etiam patrem pium & iustum impietatem sui filij portaturū, nisi fortè, quēs admodū Heli sacerdos, uiderit & non correxerit filiū impiū, quē posit & debeat corrigere. Hæc sunt autē uerba Prophetæ. Quòd si pater genuerit filium, qui uidens omnia peccata patris sui quæ fecit, timuerit, & non fecerit simile eis, sed iudicia mea fecerit & in præceptis meis ambulauerit, hic non morietur in iniquitate patris sui, sed uita uiuet. Quid hæc contra dicta? Parentum enim peccata propria, post filiorum generationem facta, de quibus loquitur Ezechiel, ut quæ filij uident & detestantur, non possunt corrumpere & commaculare filios, iam longè ante talia peccata natos, nisi consentiant. Ea enim est sententia prophetæ, à quo nihil nos discrepamus, quamuis dicamus nos esse natos filios iræ, & damnationi subiectos. Nā si primus homo Adam tantisper in ueritate stetisset dum filius eius Abel fuisset natu grandiusculus, ac deinde, uidente quidē filio, cæterū non consentiēte, præuaricatus fuisset, tum demum filius eius sine dubio secundum sententiam prophetæ, & secundum fidem ecclesiæ, non fuisset mortuus ob peccatum patris. Sed ex superioribus scripturæ oraculis audiuimus filios & nepotes Adæ, ad hæc usq; tempora, ideò portare iniquitatē illius, quòd ex eo nati sint, post admissum peccatum, et post naturam læsam, corruptam, maculatam, & iustitia destitutam, quam uidelicet eandem eodem modo affectam & ipsi filij hauriunt.

1.Reg.2

Ezech.18

Genes.4

Neque præterea quis putet, quòd & nunc quiuis filij, quorumlibet peccatorum à suis parentibus antea ipsorum natiuitatem admissorum, participes fiant.

Haud

Haud quaq; id dixerimus: Nostra enim peccata nō ita inficiunt naturam, quemadmodum Adæ, ut ea infectio & transitio deriuetur in filios. Adæ enim peccatum abstulit naturæ suam rectitudinē, à diuina creatione inditam, et quasi ingenitam, per quam caro fuisset morigera & paruisset spiritui, & spiritus Deo, sine ulla concupiscētia & pronitate ad peccatū. Eratq; Adam ita principium totius naturæ, sicut Christus principium gratiæ, ut author est Apostolus 1. Cor. 15. cùm inquit: Factus est primus homo Adam in animam uiuentem, nouissimus autem in spiritum uiuificantem. Quemadmodum igitur quicquid gratiæ ex Christo haurimus, id purum & diuinum sit oportet, nisi quid uitij obstet in nobis per quod illud cōtaminetur. Nam sincerum est nisi uas, quodcunq; infundis accescit. Ita qui ex Adam hauriunt naturam, eam profectò sua rectitudine destitutam, corruptam, & peccati contagione labefactatam hauriant oportet, nisi diuina præueniens gratia id mali impediat & corrigat.

Primi hominis prima p̄uaricatio infecit & commaculauit naturam.

Nostra ipsorum itaque peccata personam magis inficiunt quam naturam, neque quicquam denuo aut ferunt à natura, quod ad eius integritatem spectet, quod & necessariò dimanet cum maiori culpa in nepotes ac posteros, quanquàm priora naturæ uulnera indies multo acerbiora, atque immedicabiliora fieri non dubitemus. Vnde & maiorem plerunq; sentiunt flagitiosorum filij se accepisse quasi hæreditariā uel corporis uel animi infirmitatem, ut ex ebriosis nascantur interdum qui sint & ipsi ad ebrietatem propensiores, ex libidinosis, ex auaris, ex sordibus, ex ambitiosis & glorioſis sæpe eiusdem farinæ filij, sed non ob id

Nostra peccata propria magis personā q̄ naturā corrūpunt.

ob id maiorem culpam, quàm piorum filiorum.

Neque item quis putet quòd sanctorum atque iustorum filij ob id etiam iusti & sancti nascantur, quòd tales habuerint parentes, ex quorum scilicet natura iam per gratiam sanata & sanctificata hauserint & ipsi naturam sanam & sanctam. Id neutiquàm est consequens. Scimus enim bonos parentes plerunque pessimos generare filios. Rebecca enim eodem partu geminos edidit, quorum alterum dilexit & alterum odio habuit Dominus. Et contrà, pessimos aliquando parentes optimos suscipere filios. Sic enim Iosias rex laudatissimus, qui in toto corde suo, & in tota anima sua, atque universa uirtute sua dicitur secutus esse Dominum iuxta omnẽ legem Mosi, natus est ex Amon pessimo, qui dereliquerat Dominum Deum patrum suorum, & non ambularat in uia Domini. Res est manifestior quàm ut multis exemplis egeat. Iustorum parentũ non oportet esse iustos filios. Genes. 25 Malach. 1 4. Reg. 23 4. Reg. 21

Non enim iustorum & sanctorum natura penitus ita sanatur per gratiam in hoc mundo, ut sit tam integra et recta, quàm erat primò creata in Adam. Vestis enim innocentiæ & iustitiæ originalis, quam in Adam perdidimus, non restituitur nobis, sed semper caro cõcupiscit aduersus spiritum & spiritus aduersus carnem, ut non quæcunque uolumus illa faciamus. Gratia tamen Dei per spiritum sanctum cordibus nostris infusa, id in nobis efficit, ut infirmitas naturæ, & concupiscẽtiæ proteruitas nõ imputetur nobis ad peccatũ, neq; dominetur, nisi sponte obediamus cõcupiscentijs eius, et spiritui gratiæ cõtumeliã faciamus Ro. 6. Peccatũ uobis nõ dominabitur, nõ enim estis sub lege, sed sub gratia. Philip. 4. Oia poßũ in eo q me confortat. Gal. 5 Rom. 7 Rom. 8

At

At interim 2. Cor. 12. uirtus in infirmitate perficitur.

Quomodo igitur carnalis generatio quantũuis iustorum, non potest trãsfundere spiritũ sanctum, quem ipsi personaliter à Deo habent, in suos fœtus ac libe-
Iohan. 3 *ros, uel Christo teste: Quod natum est ex carne caro est, ita constat iustorũ quoq; filios nihilo sanè minus, q̃ iustorũ, haurire per carnis propagationẽ ex Adam, iustitia, innocentia, et spiritu Dei destitutam naturã, eamq; non sanctam, sed peccato commaculatam. Quid enim opus fuisset ut Hieremias, quasi peculiari & singulari priuilegio sanctificaretur, antequàm nasceres-*
Hier. 1 *tur, dicente scriptura: Priusquàm te formarem in utero noui te, & antequàm exires de uulua sanctificaui te, si omnes essent sancti? Si enim erat natura mundus & sanctus, quod erat priuilegium eius præ cæteris? Certa itaque fide credimus nos nasci immundos & peccatores.*

Quomodo peccatis obnoxij paruuli, qui necdũ norunt dextrum vel finistrum.

Sed admiratione teneris, quomodo Deus, cùm sit iustus & misericors imputet eis peccatũ, qui necdum norunt sinistrum aut dextrum, malum aut bonum, imò neq; seipsos. Peccatum enim nisi uoluntarium sit, non est peccatum. Paruulos dicimus necdum suaſponte quicquam peccasse, imò neque dum posse peccare, sed
Luc. 10 *ex primo Adam (qui ab Hierusalẽ in Hierico descendens inciderat in latrones, à quibus despoliatus, plagisq; impositis, semiuiuus, abeuntibus illis, erat relictus) contraxisse naturam iustitiæ, innocentiæ et charitatis uestibus nuptialibus nudã, mortalitatisq; uulnere læsam, ita ut nunc quicquid ex carne nascitur,*
Iohan. 3 *caro sit, & non spiritus, donec denuo ex aqua & spiritu natum fuerit, ut sic spiritus fiat.*

Quòd

Quòd itaq; nascimur iustitia, innocentia & spiritu sancto destituti, quem quidem spiritum genus humanum in Adam sponte aut perdidit aut abegit, id imputatur paruulis in peccatum, non quidem ipsis ratione personæ, sed naturæ, quæ uiciata in Adam, ut talis, in totam posteritatem transfunditur.

Paruulorum enim persona ex se non est in culpa, quod spiritu sancto destituti sint, & originali iustitia exuti, sed eorũ natura in culpa est, quippe quæ tota, Adam peccante & mandatũ Dei transgrediente, corrupta est, atque transfunditur in eius filios, qualis in ipso facta est. Si enim paruulorum persona posset ab eorũ natura Adamitica separari, esseq; nihilominus iustitia & spiritu iustitiæ utraq; destituta, tum demum ea nuditas seu uacuitas spiritus, non imputaretur personæ in peccatum, sed soli naturæ. Natura enim eorum, quæ in Adam peccante contaminata est, & spiritum iustitiæ uel expulit uel abegit, meritò damnabilis est ex se, non autem persona ex se, sed ratione naturæ cõiunctæ. Neq; ob id dixerim, quòd persona eorum, quantumuis ex se inculpata, cælo digna foret, cũ spiritu Dei uacua esset, si à natura corrupta & damnabili separari posset. Absit ut quicquã dicamus cælo dignum, & uita æterna beatitudineq; fruiturum, quantumuis natura innocens & inculpatum, sine spiritu Dei inhabitante.

Persona paruulorum est peccatrix, non per se, sed ratione naturæ.

Nihil quantumuis innocẽs, sine spiritu sancto inhabitante, salutũ futurum

Cùm itaq; paruulorum persona atq; natura separari non possint, quicquid eorum naturæ imputatur in peccatum, id nimirum ipsis paruulis personaliter imputatur ratione naturæ. Atq; hinc est cur certa fis de nobis ex scriptura persuasum habemus, si moriãtur

antequàm sint loti sanguine Christi & spiritu eius uiuificati, non futuros saluos. sed dãnandos ob naturam peccati ream, & ob personam ratione naturæ peccatricem, ac spiritu sancto uacuam, non tamen forsan puniendos pœna sensibili, sed perpetuo damno uisionis diuinæ afficiendos, & æterna gloria priuandos, dicente scriptura: Nisi quis natus fuerit ex aqua et spiritu sancto, non potest introire in regnum Dei. Sine spiritu enim sancto neq; sanctus est quisquã, neq; regnum Dei ingressurus, nec Deum uisurus, quantumuis natura innocens, ut proximo capite patebit.

Iohan. 3

Quod paruuli non mundentur, neque fiant salui, nisi accepto spiritu sancto per baptismum in sanguine Christi. Cap. II.

QVando iam liquet paruulos esse cõceptos atq; natos in peccatis, esse immũdos, & filios iræ: operæpreciũm est uidere, quomodo mundari, iustificari, & filij electionis esse queant in Christo. Cuius rei non foret opus laboriosa declaratione, si pijs dũtaxat & catholicis loquerer, quibus ab hac re in priori libro, ubi de regeneratione, & de efficacia baptismi disputatum est, abundè satisfactum putem. Sed quia & illis bene consultũ uelim, qui hic se miseris implicuerũt erroribus, reuocandi sunt & hi, & ex his labirinthis expediendi, ac filo ueritatis

ueritatis regēdi. Vos itaq; ò catholici & pij resistite aliquantisper in hoc littore, & uidete quàm fragili ac solutili cymbe suam suorumq; infantium salutem commiserint, hi baptismi nouatores, quorum multos audistis pridem naufragium passos, cosq; partim submersos & à grandibus cetis deuoratos, partim adhuc insanis iactari fluctibus, et submersioni proximos, iam iamq; perituros, nisi quis suppetias uenerit. Videte inquam, & nobis oran soluentibus, & ad dispersos colligendos remis uelisq; tendentibus bene precemini, ut et ipsi uelint eripi atq; seruari, nosq;, adiuuāte Deo, ipsis subuenire queamus. Nam quosdā corū non uelle eripi, sed putare in recta salutis uia se esse, & scimus, & dolemus, & immedicabiles fore timemus.

Duo autem potissimùm habēt ex sacris literis quidē desumpta, sed perperā intellecta, ob quæ se in hoc naufragum mare dederunt, & ex tuta, infractaq; salutis naui desiluerunt in cymbam undique solutam & rimis innumeris fatiscentem ac certo naufragio perituram, hoc est, à ueritate in falsitatem, à fide in perfidiam, à salute in perditionem, ab Ecclesia Dei, in Ecclesiam malignantium, & à Christo ad Antichristum. Duo, inquam, sunt, quæ eos ad hanc insaniam, quasi nouam salutis uiam quærendi, & antiquā tritamq; contemnendi perpulerunt, quæ si mecum recta uelint reputare uia, spero fore ut ad uerā salutē sint redituri. Ex duobus fontibus palibaptismaefluxit, & pædobaptismadefluxit & impiorū pedibus cōculcatū est.

Alterum sumpserunt erroris sui seminarium ex Matth. 28. & Marc. 16. in quibus locis, quia doctrina Euāgelica, et fides ex auditu uerbi nata præponūtur baptismo, inde colligūt, sibiq; persuadent, secū dū institutionē Christi, fidē tam necessariò semper debere Prior erroris fons.

præcedere baptismum, ut si quis absque propria fide baptizetur, frustrà & inutiliter baptizetur, ac proinde paruulos nullo modo baptizandos tantisper dum fidē ex auditu uerbi discere et profiteri non possunt.

Alter erroris fons.

Alterum uerò sumpserunt ex Mat. 19. cùm dicitur: Sinite paruulos uenire ad me, & nolite prohibere eos ad me uenire: Talium est enim regnum cælorum. Vnde putant eos, si moriantur, antequàm baptizari possint, sine baptismo, & quod peius est, sine spiritu sancto inhabitāte, secundum nudam promissionē Christi, saluos futuros. Ex his autem impuris fontibus sacram scripturam malè intelligendi, uide, quanta malorū lerna, quantus errorū oceanus fluxerit. Vtrunq; igitur meliori lance pensitandum, & ad uerum perpendiculum diuini uerbi exæquandum, & prius quidem hoc, quod posteriori loco posuimus.

Menno.

De quare quid Menno sentiat audiamus in declaratione Christiani baptismi, cùm inquit: Paruuli habent peculiarem promissionem citra ullum medium, aut ullas cæremonias sibi datam Mat. 19. Sinite paruulos uenire ad me, Ipsorum est enim regnum cælorum, præsertim quando sunt semen Christianum. Quæ promissio fidem parentum firmat de filijs suis, ut certiores sint, quòd filij ipsorum, quandiu sunt innocentes & sine intellectu, sint puri, sancti, beati, & Deo grati, siue uiuant, siue moriātur. Nam Christus cōplexus est eos, benedixit, manuq; impositā promisit eis regnū cælorum, nec aliud quippiam eis aut fecit, aut fieri præcepit. Rursus in fundamento Christianæ doctrinæ Christus Iesus ipse (inquit) simplicibus & innocentibus pueris, qui sunt Christianum semen (eò quòd ipsorum

rum parentes crederent in Christum & rogarent per fidem, ut sui paruuli in Christo benedicerentur) prosmisit et addixit uitam æternã, non per aliud medium, quàm ex liberali gratia duntaxat, effusa super totum mundum, per sua merita. Solùm eos complexus est, benedixit, & manus imposuit, & addixit regnum cælorum, & sic permisit abire. Hactenus ille.

Hoc est magnum quoddam fundamentum palimbaptisticæ ædificationis, sed super glaciem hybernalem iactum, & tam diu stabile firmumq; mansurum, donec purior atq; acrior ueritatis sol exoriatur, qui hasce errorum tenebras dissipellat, & frigidæ impietatis glaciale fundamentum regelet atq; resoluat. Atque hæc sola est ratio, qua sibi persuaserunt paruulos sine baptismo saluos fore. Responsio.

Primò respondemus, etiam si Christus ita dixisset, quemadmodum Menno perperam citat (ut paulò pòst patebit) inde tamẽ non haberemus, paruulos sine baptismo fieri saluos. Itidem enim & alibi dicitur de adultis: Beati pauperes spiritu, quoniam ipsorum est regnum cælorum. Beati qui persecutionem patiũtur propter iustitiam, quoniam ipsorum est regnum cælorum. Quicunq; humiliauerit se sicut paruulus iste, hic est maior in regno cælorum. Et tales inuenis promissiones passim multas, in quibus nulla fit mentio baptismi. An ideo baptismus nõ erit necessarius ijs, qui sunt pauperes spiritu, quiue persecutionem patiũtur, aut qui se humiliauerunt instar paruuli? Absit. Primare-sponsio. Mat.5 Mat.18 Non ubiq; oia præcipiũ tur, sed qã alibi tacetur id aliundè supplẽdũest

Non enim ubiq; omnia dicuntur atq; præcipiũtur. Sed quod alibi præceptũ est, id alibi in alio præcepto intelligendum atq; repetẽdum est, ut exempli causa.

Luc.11 Cùm dicitur, date eleemosynam, et ecce omnia munda sunt uobis, id non dicitur quasi sola eleemosyna, sine fide, sine baptismo, et sine perseuerationepossit quen quã saluum reddere: sed addenda sunt & cætera omnia quæ mandata sunt nobis, ex diuersis scriptura locis in unam uirtutis summam collecta, perinde quasi dictum sit: date eleemosynam, agite pœnitentiam, & credite Euangelio, baptizamini, orate in spiritu & ueritate pro persequentibus & calumniantibus uos, ieiunate, præpositis uestris obedite, intrate per angustam portam, ne irascamini, ne obediatis concupiscentijs uestris, diligite inimicos uestros, denique seruate omnia, quæcunque mandata sunt uobis, & ita perseuerate usque in finem, & ecce omnia munda sunt uobis. Alioqui si totam legem seruaueris, offendas autem in uno, factus es omnium reus.

Mat.28
Luc.11
Marc.1
Marc.16
Mat.5
Hebr.13
Mat.7
Mat.5
Rom.6
Mat.5
Mat.28
Mat.24
Iaco.2

Quamuis itaq; Christus paruulis ad se allatis, nihil tunc temporis præceperit faciendũ, non tamen ob id, erant à baptismo, uel ab alijs mãdatis, quæcunq; obseruare poterant, penitus exempti. Tunc tẽporis præceptum baptismi nondũ necessariò ligabat, sed post spiritum sanctum missum, & legem Euangelicam satis diuulgatam incepit esse obseruatu necessarium tam paruulis quam adultis, ut posteà patebit.

Mat.19

Mentitur Mẽno Christũ non docuisse aliter post resurrectionem q̃ anteà.

Quod autem Menno & hic obijcit, Christum non docuisse aliter post mortem quam ante mortem, ac proinde cùm constet paruulos ante mortẽ Christi non esse baptizatos, neq; nunc post mortem baptizãdos. Id magis friuolum est, q̃ ut sit ulla responsione dignum: dicã tamen aliquid, ne quicq̃ uidear dissimulasse. Primò merum est mendacium quod Christus non docuerit

quicq̃

quicq̃ post mortem aliter quàm ante mortẽ. Ante mortem enim dixerat: In uiam gentiũ ne abieritis. Et, non sum missus, nisi ad oues quæ perierunt domus Israel. Sed post mortem: Euntes in mundum uniuersum prædicate Euangelium omni creaturæ. Nõne hoc est contrarium superioris? Rursus post mortem: Quorum remiseritis peccata, remittũtur eis: ubi audisti tale quippiam ante mortẽ? Nam quod prius dixerat: Quæcũq; solueritis super terram, erũt soluta & in cælis, id non leui diserimine distat ab eo, qđ postea dixerat: Quorum remiseritis peccata, remittuntur eis. Quod non est huius loci declarare. Rursus post mortem dictum est: Si circuncidamini Christus uobis nihil proderit. Quod autem Apostolus dixit, id perinde est, atq; si ab ipso Christo dictum fuisset. Vbi audisti tale quippiam ante mortem? Splendidè itaq; mentiris ò Menno. Mat.10 Mat.15 Marc.16 Iohan.20 Mat.16 Gal.5

Deinde quamuis baptismus ante mortem sit usurpatus, sitq; institutus tam amplè quam post mortem, non tamen ante mortem missi sunt discipuli docere & dicere: Qui crediderit & baptizatus fuerit saluus erit. Qui uerò non crediderit condemnabitur. Nam baptismi præceptum non accepit necessitatem obseruationis, nisi post spiritum missum, abrogata lege circuncisionis, cum Euangelij euulgatio iam fieret mundo satis conspicua. Mat.16

Paruulis itaque ante mortem Christo oblatis, imò & adultis ad Christum uenientibus, tunc temporis nondum erat ad salutem necessarius baptismus, quem admodum nunc post Euangelij lucem satis bene exortam. Erantq; illi, quotquot masculi essent, circuncisi, quod eis adhuc loco baptismi erat. Imò etiãsi fuissent

Baptismus ante spiritũ missum nondum erat ad salutem necessarius.

uel ethnici, uel nondum octos dies nati, atq; ob id nec dum circuncisi, quid mirum si credamus atq; dicamus id fuisse eis abundè loco baptismi, quod Christus ipse eos complecteretur, manibusq; impositis benediceret? Quid utilitatis inde prouenit nostris paruulis, quos ipsemet Christus nunquàm est complexus? nunquàm suis manibus impositis benedixit? Vt ex paueis leprosis ab ipso Christo mundatis non censentur omnes nostri leprosi mundati: Ita ex paueis pusillis Christo oblatis et ab eo benedictis, censentur nostri paruuli esse benedicti omnes. Diximus suprà baptismum in uirtute Christi, per spiritum sanctum, in sanguine suo inuisibiliter cooperantis, intus mundantis, iustificantis atque benedicentis esse efficacem, & sine Christo cooperante esse penitus inutilem & ineffiacem. Quod itaq; nunc facit inuisibiliter per baptismum, nonne id ꝟũe facere poterat uisibiliter sine baptismo, suæ mundissimæ carnis contactu, et sui uiuifici uerbi imperio? idq; non modò in paruulis, sed etiã in adultis? Næn et Magdalenæ dixit: Remittuntur tibi peccata tua, Et fides tua te saluam fecit: & non fecit ullã mentionem baptismi. Et paralytico: Confide fili, remittuntur tibi peccata tua, neq; tunc quicquam aliud addidit præterea faciendum, an ob id putabimus eos neque baptizatos, neque opus habuisse baptismo, sed immunes et exemptos fuisse ab omnibus alijs mandatis? Minimè profectò. Quæ igitur est hæc exæa & furibunda atque mendax insania, dicere propterea paruulis non esse opus baptismo, quod scilicet eorum aliquot, eósque paucos, Christus ipse complexus sit & benedixerit, & tunc temporis nihil præterea faciendum exs

Luc. 7

Mat. 9

Mat. 19

presserit

pręsserit, quasi ubique omnia sint dicenda?

Secundò respondemus. Etiamsi Christus dixisset: Ipsorum est regnũ cælorum, & addidisset, quod Mendo addit, uel subintelligit. Neq; quicquam aliud uolo illis necessariò faciendum, ut salui fiant, quod tamen neq; addidit, neq; subintellexit Dominus, an idem consequẽs fuerit nostris paruulis nõ esse opus baptismo? Nequaquã. Non enim locutus est Christus de omnibus paruulis totius mundi, omniumq; seculorum, sed de ijs duntaxat, qui tũc tẽporis sibi offerebantur benedicendi. Atq; hoc posset ex multis scripturæ locis similiter loquẽtibus citra uniuersalitatẽ declarari, nisi superuacaneum putarẽ, hisce reculis & nugis diu insistere atq; immorari. Vnico duntaxat testimonio simili contentus ero. Exod. 1. dicitur: Quia timuerunt obstetrices Deũ, ædificauit ipsis domos. Sed quibus ipsis ædificauit domos? Omnibus nc obstetricibus, & tunc & nunc uiuentibus, & posteà ubiq; gẽtium futuris, siue timentibus, siue non timentibus Deũ? Haudquaq̃. Sed ipsis duntaxat tunc tẽporis Deũ timentibus, et masculos contra tyrãni iussum seruantibus, non autem quisbusuis alijs. Quomodo igitur uerisimile, etiamsi Christus dixisset: Smite paruulos uenire ad me, ipsorũ est enim regnum cælorũ, fuisse enim locutũ non modò de illis tunc sibi oblatis, sed etiam de quibusuis alijs, siue ad ipsum uenientibus, siue non uenientibus?

Secunda responsio.

Non omniũ paruulorũ totius mũdi dixit Christus esse regnũ cælorũ.

Mat. 19

An quia illos tunc sibi oblatos complexus est & benedixit, ideo censebũtur omnes ubiq; gentiũ paruuli, quos non est cõplexus, et quibus non imposuit manus, benedicti, etiãsi non uenĩãt ad ipsum? Cur nõ similiter et eadem mundatione, qua tangẽdo leprosum Mat. 8.

reddidit mundū, cēsebūtur omnes ubiq; leprosi mūdi? Quia scilicet non omnes sunt ita ab eo tacti. Quomodo ergo magis nostri paruuli cēsentur propter paucu los benedictos, cosq; cōplexibus Christi & manuū impositione dignatos, & ipsi benedicti, sine cōplexione & sine manuum Christi impositione, imò & sine eo, quod ad Christum uel uenerint uel oblati sint. Nā paruulorum ad Christum rite uenientium fatemur esse regnum cælorum, non autē aliorū, ut alibi declarabitur.

Non omniū paruulorū, sed quorum parentes in Christū credunt, est regnū cælorū, iuxta Mennonem.

Quin & ipse Mēno ut cunq; intelligit nō esse plenam uniuersalitatem in uerbis Christi inclusam. Non enim uult simpliciter omnium paruulorū ubiuis terrarum esse regnum cælorum, sed eorum duntaxat omnium, qui sunt Christianum semen, & quorum parentes credunt in Christum, & per fidem rogant & postulant à Christo suorum paruulorum benedictionem.

Nō uerè crediderunt in Christū paruulorū oblatores, Matt. 19.

Primò autē ex te rogo, ò Mēno, unde tibi constet, q; illi parentes qui adferebant suos paruulos ad Christum, crediderint et rogarint per fidem ut ipsorū paruuli benedicerentur? De fide enim parentum nulla fit mentio. Quid uerò credidisse putas? Christū esse saluatorē mundi? Christū esse datorē spiritus sancti, per quē paruulorū animas uiuificaret, atq; saluas redderet? Nōne Martha ipsa, tam diu familiariter & domestice cum Christo uersata, tandem audiuit se adhuc incredulā esse? Quomodo igitur ueri simile eos, qui nullam familiaritatē egerant cū Christo, nisi q; forsan aliquando eius audierant sermonē, ex quo tanē mysteria regni cælorū non datū erat ipsis nosse Mat. 13. uerè in Christū credidisse? Nā si uerè credidissēt, potius dixissent cū Centurione Domine nō sumus digni ut uel nos

Iohan. 11

Mat. 8

ad te

ad te ueniamus, uel tu intres sub tectum nostrũ ad nos stros paruulos benedicẽdos, sed tantũ dic uerbo & sa nabũtur pueruli nostri. Nam tantã fidẽ nõ inuenerat Christus in Israel. Aut quid putas eos rogasse à chri sto ut animas paruulorũ altioqui immundas sui mun dissimi corporis cõtactu mũdarent? Non est ueri simile quod tale quippiam aut animo conceperint aut roga rint. Sed rogabãt ut paruulorũ corpora benedictione Christi quasi alexipharmaco quodã forẽt tuta & præ seruata ab omni malo. Quem enim nõ credebãt, sed ap pertis oculis uidebãt, & experimento didicerant, omnes posse infirmitates depellere, eum sciebãt etiã posse omnis corporis incõmoda arcere antequ ingruerẽt. Nam præcessit quod secutæ sunt eum turbæ multæ, et curauit eos et paulò pòst subiũgit euangelista, quod tunc oblati sint ei etiã paruuli, ut eis manus imponeret & oraret, hoc est, ut eadem potestate qua morbos abigebat, et sanitates restituebat, paruulorũ quoq; in columitatẽ firmiorẽ ac perpetuiorem redderet. Nam de diuina potẽtia Christi, quã habebat in animas spiritu sancto regenerandas ac uiuificandas, nõ modò nondum paruulorũ oblatores, sed necdũ uel ipsi Apostoli prohibitores intelligebant, neq; tale quippiã rogare norãt, dicente Christo postèa: Vsq; modo non petistis quicq̃, spiritualia enim et æterna ante Christi ascẽsionẽ uixdũ petere sciebãt. Vt patuit in matre filiorum Zebedæi, quæ quã insulsã petitionẽ, suorũ filiorũ instinctu, Christo proposuerit, apertius est ex euangelistis, q̃ ut sit opus narratiõe. Sed putabimus paruulorũ oblatores fuisse diuinarũ rerũ sapiẽtiores, & fidei cognitione magis illustratos? Minimè. Nihil tamẽ addubito,

Paruulorũ oblatores corporis incolumitatẽ nõ autẽ animæ salutem à Christo postulabant.

Mat.19

Iohan.16

Mat.20

bito, quin dederit Christus, sibi tunc oblatis paruulis, spiritũ promissionis sanctũ, non secundũ fidem parentum, sed secundum suam misericordiam, secundũ quã & nunc non expectat fidem paruulorum, neque respicit fidem parentum, sed fidem Ecclesiæ, in qua baptizantur, quicunq; baptizantur, ut alibi latius.

Paruulorũ ad Christũ venientiũ & venire non prohibitorũ est regnũ cælorum. Mat. 19

Quid si finganus ipsos paruulorũ allatores tũc tẽporis uerè fuisse credulos, & suorum filiorum salutẽ animarum petijsse? siccine habebimus ex hoc loco, omnes omnium parentum uerè credentium & salutem suorum filiorum à Christo petentiũ, paruulos, non ad Christum allatos, sed domi suauiter dormitantes, sine baptismo fore saluos? Quid igitur sibi uult quod præcepit Christus, ut sinamus paruulos ad ipsum uenire? & non prohibeamus eos uenire? Nam si, qui in lectulis suis manent uagientes, aut maternis uberibus adhærentes, dicuntur per solam parentum fidem uenire ad Christũ, quid opus erat præcipere, ut non prohibeamus eos uenire? Sic enim eos uenire nemo uel prohibet uel prohibere potest. Ex his itaque Christi uerbis, quamuis non apertam baptismi mentionem facientibus, postea declarabimus baptismum non excludi, sed planè includi.

Paruuli siue credentiũ siue non credentium parentũ æquè sunt immundi, & opꝰ habẽt lotione Christi.

Deinde rogo abs te, ò Menno, quare magis credentium paruulos, quàm non credentium, saluos fore credis sine baptismo, cùm tamen utriq; secundum te sint æquè innocentes, & nulli peccato obnoxij? Imò cùm ipse Christus nullam faciat distinctionem credentium, à non credentiũ paruulis, ut interim taceam illos paruulorum oblatores (ut ostendimus) non uerè credulos fuisse? An quia fideles parentes rogant pro suis? in-

fideles

fideles uerò non? At pro innocentibus & mundis rogat Christus, & etiam Ecclesia. Nam particeps sum (inquit propheta) omnium timentium te. Parentū autem infidelitas aut malitia non potest obesse paruulis alioqui mundis, quin reuera sint participes et orationis & uirtutis Christi, eiusq; Ecclesiæ. Filius enim nō portabit iniquitatem patris. Cùm itaq; uelit Deus omnes homines saluos fieri, sitq; propiciatio pro peccatis totius mundi, quomodo posset condemnare infidelium paruulos magis quàm fidelium, nisi quia illi pactum eius irritum fecerunt, & non sunt baptizati in Christo, & ob id delendi de libro uiuentium, & cum iustis non scribendi, hi uerò baptizati sunt, & loti à peccatis suis in sanguine Christi? At si hos quoq; nolis baptizare, certè nihil discrepabūt secundum te fidelium pueruli ab infidelibus paruulis, ita ut quemadmodum non hi, sic nec illi sint salui futuri.

Psal.118
Ezech.18
1.Tim.2
1.Iohan.2
Genes.17
Psal.68

Tertiò respondemus Mennonem esse falsarium & scripturæ deprauatorem. Trium enim Euangelistarū nemo scripsit, quemadmodum Menno legit. Non enim dixit Christus, ut Menno peruersè citat de paruulis, ipsorum est regnum cælorum, sed quemadmodum tres Euangelistæ ex uno spiritu conscripserunt. Talium est regnum cælorum. Discrepant autē hæc duo. Ipsorum est regnum, & talium est regnum, non leui discrimine. Aliud enim est, si dixeris. Quemadmodū Dauid propheta homicidium adulterio, ita Petrus Apostolus periurium negationi coniunxit. Ipsorum nihilominus est regnum cælorū, quàm si dixeris, de eisdem. Talium est regnum cælorum. Hæc enim posterior oratio falsa est, illa autē uera. Illud enim prius relatiuū, ipsorum,

Tertia responsio.
Méno scripturæ falsarius.
Mat.19.
Marc.10
Luc.18
Differunt ipsorū, & talium est regnū cælorū.

Ipsorum, refert uel demonstrat nudam personã. Hoc autem posterius uel ipsam quidem personam, ceterũ non nudam, sed qualitate certa affectam, secundum rationem antecedentis, uel aliam personam similem.

Tale refert vel demonstrat nõ nudã personã, sed qualitate aliqua affecta, vel aliam similem

Exemplum prioris, si dixeris ex Mat. 11. Sinite omnes laborantes & oneratos uenire ad me ut reficiantur. Talium est enim regnum cælorum, non significas omnium laboratium & oneratorum, sed ad Christum uenientium ut ab eo reficiantur, esse regnum cælorũ. Rursus si dixeris ex Matt. 28. Docete omnes gentes baptizantes eos in nomine patris & filij & spiritus sancti, & docentes eos seruare, quæcunque mandata sunt uobis. Talium est enim regnum cælorum, uerum est quidem quod dicis, non tamen intelligis omnũ gentium, sed seruantium omnia mandata, esse regnum cælorum. Sic & in hoc loco Matt. 19. de quo agimus, intelligendum est de paruulis, quod scilicet talium sit regnum cælorum, hoc est, non omnium paruulorũ totius mundi, neque etiam omnium paruulorũ qui sunt christianum semen, sed uenientium ad Christum, et ad Christum uenire non prohibitorũ. Totum enim quod præcessit, referendum, demonstrandumue.

Exẽplũ posterioris de alia & simili persona demõstrata. Si dixeris impius erat Petrus cùm negaret christum, Impius & Thomas cùm credere nollet resurrexisse Dominum. Tales enim negabit & Christus. Nõ significas Petrum & Thomam à Christo negandos, sed alios quosuis incredulos, & Christi negatores, nisi resipiscant. Similiter cùm dicimus qualis pater talis filius, talis spiritus sanctus, non significamus filium habere eandem personam cum patre, sed eandem omnipotẽ-

Mat. 26
Iohan. 20

nipotentiã, æternitatẽ, deitatẽ &c. g. c. Similiter 3. Re 10. loquens scriptura de throno Salomonis. Non est, inquit, factum tale opus in uniuersis regnis, significãs uidelicet non esse factum alium thronum illi Salomonio per omnia similem, & æquè magnificum in ullis regnis. Sic & in hoc loco de paruulis cõmodè possumus intelligere Dominum esse locutum, non modò de pæ. Mat. 19
uulis ætate, sed etiã malitia, hoc est, in genere de quibusuis uerè humilibus, mansuetis, innocentibus, pauperibus spiritu, mundis corde, & ad Christum uenientibus: quorum nimirum omnium, siue sint paruuli natura, siue natu grandes sed malitia paruuli, est regnum cælorum. Nam sequitur: Quisquis non acceperit regnum Dei uelut paruulus, aut puer, non intrabit in illud iuxta quod dicitur Mat. 18. Nisi cõuersi fueritis, & efficiamini sicut paruuli, non intrabitis in regnum cælorum. Atq; hóc est, quod dixerat Dominus suis discipulis alibi, quos uoluit esse & sollicitudine & malitia paruulos. Nolite timere pusillus grex, quia eom placuit patri uestro dare uobis regnum. Luc. 12

Quæ Christi uerba perperam trahit & torquet Mennno (ut id obiter dicam) in cõmendationem suæ sectæ, & reprobationem Romanæ Ecclesiæ, quasi Christus dixisset ueritatem & fidem non fore nisi paucorum, & non posse in tam numerosa multitudine, quam tam continet Romana Ecclesia, ueram consistere, ac proinde potius adhærendũ Mennonianis, eò quòd sint pauciores, quàm Romanis, quorum sunt centuplo plures. Bone Deus qualis ratio. Si paucitas semper commendabilior & integrior, ueriores & diuiniores fuissent, qui cum Chore, Dathan & Abyron erant, quàm Num. 16

Mendax Mẽno abutitur scriptura dicente: Nolite timere pusillus grex.

qui

qui eum Mose & Aaron, magis adhærendum fuisse
AA.8 illis quadringentis qui cum Theuda, aut illis pauculis qui cum Iuda Galilæo contra totum exercitum Domini coniurarant, quã populo Dei electo. Sed quid multa? Audi obiter prophetica oracula, quæ hanc Romanæ Ecclesiæ immensam multitudinem potius & apertius prædixerunt fore ueram Christi Ecclesiam, quàm paucitatem Mennonianorũ nuper admodũ exortorũ.

Esa.49. Ecce leuabo ad gentes manum meam, & ad populos exaltabo signum meum. Et adferent filios tuos in ulnis, & filias tuas super humeros portabunt. Et erunt reges nutricij tui, & reginæ nutrices tuæ, &c. Rursus cap.55. Dilata locũ tentorij tui, & pelles tabernaculorum tuorum extende. Ne parcas, longos fac funiculos tuos, & clauos tuos consolida. Ad dextram enim & ad leuam penetrabis, & semen tuũ gentes hæreditabit & ciuitates desertas inhabitabit. Rursus cap.60. Leua in circuitu oculos tuos & uide, omnes isti congregati sunt, uenerunt tibi. Filij tui de longe uenient, & filiæ tuæ de latere surgent, tunc uidebis & affluues, & mirabitur, & dilatabitur cor tuum, quando conuersa fuerit ad te multitudo maris, fortitudo gentium uenerit tibi. Paulò pòst, Aperientur portæ tuæ iugiter, die ac nocte non claudentur, ut adferatur ad te fortitudo gentium, & reges earũ adducantur. Hæc & huiusmodi alia multa & apud hunc & apud alios prophetas abundè testantur ecclesiam Christi non fore paucorum hominum, sed multorum, atque immẽsi numeri, quemadmodum promissum
Genes.22 erat Abrahæ. Multiplicabo semen tuũ sicut stellas cæli, & uelut arenã quæ est in littore maris, hoc est, christianos,

stianos, semen enim erat Christus. Iuxta quod & diuinissimus Iohānes cùm numerasset ex Israel centū quadragintaquatuor milia signatorū, posteà uidit turbā magnam, quam dinumerare nemo poterat ex omnibus gentibus, Apoc. 7. Sed hæc obiter dicta sint. Nunc reuertamur ad id, unde digressi sumus. Gal. 3

Ex superioribus itaq; manifestum esse puto, falsum esse palimbaptistarū figmentū ex Mat. 19. capite perperam depromptū, quo credebāt paruulis peculiarem salutis promissionem esse datam quàm adultis, & gratiā Dei effusam per totū mundū ex merito Christi magis pertinere ad paruulos, q̄ ad natu maiores, quasi hi non possint sine baptismo, illi uerò sic possint salui fieri. Imò potius è contrario ex eodem loco, Matt. & ex alijs scripturis nos posteà efficaciter probabimus, paruulos perinde atq; grandiusculos necessario baptizandos, & nisi baptizentur neglectu uel contemptu parentum, non censendos uenisse ad Christum, ac proinde ipsorum non uenientium ad Christum non fore regnum cælorum, uenientium uerò ad Christum, & uenire non prohibitorum esse regnum cælorum. Cōclusio q̄ paruulorū ad christum venientium & non aliorū sit regnū cælorum.

Restat adhuc & alia quædā blasphemia Mennonia rum superiori affinis quidem, sed multò iniquior, peior, atq; à Deo alienior, quam hoc eodem fasce complectentes in ignem comburendum conijciemus. Quod uidelicet putant paruulos sine spiritu sancto inhabitante, sine regeneratione atq; iustificatione, sic ut ex carne nati sunt, fore saluos, quasi in merito Christi secundū nudā eius promissionē, sine ullo salutis remedio ipsis adhibito. Quæ est abominanda blasphemia. Audiamus autē ipsius Mēnonis uerba in declaratiōe ch. bap. Menno blasphemat paruulos sine spiritu sancto & sine regeneratione fieri saluos.

S Quos

Menno. Quotquot audiunt uerbũ, inquit, & corde credũt, atq; ita intus per spiritum excitantur trahuntur atq; mouẽtur, illi simul omnes per hunc mouentẽ spiritũ in unum sanctum & spirituale corpus baptizãtur, cuius est Christus caput. Paulò pòst. Scio paruulos habere spiritum uitalem, sed iustificãtem & innouantem non habẽt: deberet enim in suis fructibus certò agnosci, cũ ocioſus, dormiens, & ſine fructu eſſe nequeat. Rurſus in fundamento dicunt, inquit, quòd paruuli in baptiſmo accipiunt nouã generationem, induunt Chriſtum, & fiunt participes ſpirituſſancti. Sed hæc tria cũ nõ ſint in ſe diuiſa, ſed qui habet unũ, habet et aliud, nihil omnino ſpectãt ad puerulos. Regeneratio enim eſt ex perfidia in fidẽ, & c. Chriſtũ induere eſt eum exprimere tota uita ſua. Participẽ fieri ſpirituſſancti eſt ab eo doceri, certior fieri ſalutis acceptæ, & duci in omnem ueritatẽ. Paulò pòſt. Fortè reſpõdebitur mihi, inquit, an nõ poßit Deus hoc operari in paruulis. Reſpõdeo, inquit, q̃ de potẽtia Dei nolumus diſputare. Nos loquimur de regula ſcripturarũ, in quibus mueninus regenerationẽ fieri per uerbũ. Ro. 10. 1. Cor. 4. Iaco. 1. 1. Pet. 1. Quam nõ eſſe in paruulis, etiam experientia docet, & non modò ſcriptura, cùm maneant proni ad malum, & nõ ad bonum, neq; ſciant uel unum iota de Chriſto. Hactenus ille.

Confutatio erroris Menoniani. Vides lector quæ nos impulerit neceßitas ut de rebus tam apertis, & nuſquã hactenus controuerſis tam multa uerba faceremus. Vides præterà quomodo puſtet Mẽno paruulos ſine ſpiritu ſancto fore ſaluos. Argumentatur enim nullos paruulos habere ſpiritũ ſanctum eò q̃ in nullis eorũ fructibus ſpiritus appareat.

Quo

Quo eodē argumento impietatis plenissimo, similiter probauerit, neq; Christū adhuc infantē fuisse Deū, neque habuisse spiritū sanctū. Christus enim infans neq; ambulabat, neq; loquebatur, neq; ostēdebat quicq̄, nisi quod esset homo. Fructus autē spiritus & diuinitatis in eo nulli apparebant, ex quibus si eum cominus uidisses, potuisses cognoscere, esse Deum.

Mennonis ratio negat christū infātem fuisse Deum.

Quod uerò addit paruulos manere pronos ad malum, quasi id sit argumentum efficax, quòd nō habeāt spiritum. Id profectò est argumentum mendax. Nam & ipse Apostolus sensit pronitatem ad malum, sed ei non obedichat, Rom. 7. 2. Cor. 12

Quod præterea addit paruulos nullo modo affectos esse ac propēsos ad bonū, neq; uel unū iota scire de Christo, id cum quibusdā aliis posteà latè discutietur, quādo loquemur de fructibus paruulorū. Item de regeneratione et quibusdā aliis suprà abūdè diximus. Hic duntaxat differamus, an sine spiritu iustificante, aut sine spiritu promissionis sancto intus inhabitante paruuli queant fieri salui. Vult enim Menno eos non modò sine baptismo, sed & sine spiritu sancto fieri saluos.

Certissimū & efficacissimū argumentū, quod pars nullis sit opus ad salutē spiritus sancti inhabitantis gratia, & illud quod Luc. 1. de Iohanne Baptista legimus quē angelus Domini prædixit spiritu sancto replendū adhuc in utero matris suæ. Sed age ò Menno, quid facturus erat spiritus sanctus in Iohanne, qui necdū intelligere, necdum ambulare, necdum loqui, necdum quicquam agere poterat, aut ullum fructum spiritus ostendere, nisi quod semel sola sentiēte matre, exultarit, in

Spiritus sanctus est puuttis ad salutē necessarius.

gaudio ob præsentiam Christi, quem tamen non tam ipse, quàm spiritus in ipso sciebat esse præsentem? An erat spiritus in eo dormitaturus, donec Iohannes adoleseeret, rationisq; particeps factus fructificaret in spiritu sancto? Nequaquã. Nam quamuis nascereturinstar aliorũ, nihil nisi edere, bibere, cacare, flere, dormire sciens, non tamẽ erat in eo spiritus otiosus. Qui
Rom. 8 autem scrutatur corda, scit quid desideret, & quid faciat spiritus. Quid uerò egisse putas spiritum sanctũ in Christo mensibus illis nouem, dum adhuc immersus
Rom. 11 erat uisceribus maternis? Quis consiliarius eius fuit? Quantum huic loco satis fuerit, mundabat Iohannem spiritus sanctus, qui prius erat conceptus immundus, peccatum ex Adam contractum abstersit, uiuificauit, iustificauit, & miro quodã atq; ineffabili modo inhabitauit, ut iam tum non caro, sed spiritus fuerit.

Luc. 1 Si igitur non esset paruulis ad salutem necessarius ipse spiritus sanctus inhabitans atq; intus uiuificans, quorsum dedisset Deus Iohanni spiritum sanctum tam præmaturè, & antè quàm poterat ullos fructus edere in spiritu sancto? Quorsum & Hieremiæ dedisset
Hier. 1 spiritum sanctificationis ãdhuc maternis septis cõclusos? Quorsum & Esaiæ? Cùm autẽ Deus nil faciat frustrà, sine dubio & Iohanni erat necessarius ad puritatem, quæ foret Deo grata, habendam & ad salutem
Esa. 49 percipiendam spiritus sanctus. Et nobis erat necessarium, ut id per Euãgelistam innotesceret. Quæcunq;
Rom. 15 enim scripta sunt ad nostrã doctrinam scripta sunt, ut per patientiam & consolationem scripturarum spem habeamus, hoc est, ut speremus simili modo nos peruenturos ad salutem, quo scriptura declarat uenisse

alios.

alios. Quid alioqui ad uos pertinuisset cognoscere quod Iohannes factus fuerit spiritu sancto plenus, adhuc in utero matris suæ? Quid nobis inde utilitatis, quid salutis, nisi ut sciremus, non in nostris uiribus, sed in spiritu ßancti inhabitantis gratia sitam esse salutem, neque paruulos in sola fide parentum, sed in spiritu sancto, qui eorum corda purificet, uiuificet & sanctificet, fieri saluos.

Mentiť Méno accipere spiritum nil esse aliud q̄ doceri à spiritu. Luc.1

Nunc itaq; uel Menno mentitur, quod certum est, accipere spiritum sanctum, nihil aliud esse quàm doceri à spiritu sancto, et certior fieri de salute accepta, uel angelus Domini, & Euangelista mentitur, quod est impossibile, Iohannem accepisse spiritum sanctum in utero matris suæ, quando necdum doceri potuit, quemadmodum Menno loquitur de doctrina ex auditu uerbi, ut uidelicet ea arte penitus excluderet paruulos. Sed immobile atque inconcussum stat ueritatis fundamentum quòd habuerit Iohannes spiritum sanctificationis ante auditum uerbi, & antequàm uel unum iota de Christo sciret, aut posset eum uita sua exprimere ut loquitur Menno. Nam ipse Iohannes postea grandior factus se eum nescisse fatetur, dos nec sibi dictum esset ab eo, qui se miserat baptizare in aqua. Super quem uideris spiritum descendentem & manentem super eum, hic est qui baptizat in spiritu sancto. Et ego uidi, inquit, & testimonium perhibui, quia hic est filius Dei. Vnde liquet cum quantumuis spiritu sancto plenum, dum adhuc in cunis uagiret, ne unum quidem iota de Christo sciuisse. Iohan.1

Paruulis est necessariare generatio,

Constat itaque quòd & paruulis nostris necessarius est ad salutem spiritus sanctus inhabitans, necessa-

quæ fit p spiritū sanctū, & p verbum incarnatum atq; per verbū consecrationis.

ria est regeneratio, quæ fit per spiritum sanctum, & per uerbum, non modò ex auditu, sed multo magis, ut priori libro docuimus, per uerbum incarnatū, & per uerbum cōsecrationis & sanctificationis in baptismo. Constat item quod necessarium sit & ipsis induere Christum, etiamsi cum Iohanne & Hieremia infantulis eum necdum queant sua uita exprimere, cùm secundum Mennonem hæc tria sint eadem: habere spiritum sanctum, Christum induisse, & regeneratum esse.

Mennonis blasphemia

Nequaquàm itaque probabile, sed potius impium & blasphemum Mennonis somnium, cùm inquit, quasi ipse esset intimus cordium scrutator, paruulos nō habere spiritum sanctum, neq; esse regeneratos, attamen esse puros, sanctos, Deo gratos atq; beatos. Cùm sine spiritu Christi, nemo sit eius, neque adoptionis filius. Rom. 8. Quomodo enim potest quispiam esse mundus, sine spiritu mundo? Quomodo sanctus sine spiritu sanctificationis? Quomodo beatus priusquàm sit hæres? Nam si filius, & hæres. Spiritus enim per quem sumus filij est pignus hæreditatis nostræ. Si autem Christus in paruulis est, sicut in Iohanne, ubi enim spiritus, ibi & Christus, corpus quidem ipsorum mortuū est propter peccatum, spiritus uerò uiuit propter iustificationem. Si uerò in ipsis Christus non est, ut ait Menno, ergo & corpus eorum & spiritus mortuus est propter peccatum. Non est autem mortuorum Deus, sed uiuentium. Quemadmodum enim nemo potest uiuere uita naturali seu animali, ut loquitur Apostolus, sine spiritu uitali, et tantisper uiuit, dum in se habet illud spiraculum uitæ. Ita nemo potest uiuere diuina uita, nisi per spiritum Dei, qui est spiritus iustificās. Nam

Gal. 4
Rom. 8
Ephe. 1
Rom. 8

Mat. 22
1. Cor. 15

ut

ut anima est uita corporis animati, ita Deus inhabitãs est uita hominis diuini & Deo grati.

Quemadmodũ igitur Christus factus est nobis per omnia similis, sine peccato, neq; homo esse potuit sine natura humana, neq; Deus sine diuinitate. Ita oportet ut & nos ei similes efficiamur, & simus quidem homines secundum naturam humanam nobis propriam, simus et dij Psal. 81. secundum spiritum Dei sanctum, per meram gratiam & Christi meritum nobis datum atq; inhabitantem, qui nos prius animales, terrenos, & (quod grauius est) propter præuaricationem Adæ immundos & peccatis infectos, sua diuina inhabitatione reddat spirituales, cælestes, mundos, & à peccatis liberos, uiuificetq; nos prius mortuos & mortedignos Gene. 2. Sine spiritu enim Dei inhabitãte neq; Angeli ex suis uiribus, q̃tumuis nec immundi nec animales creatione, neq; Adam, etiãsi non præuaricatus fuisset, ex suæ naturæ naturali bonitate, potuisset Deo placere, & cælesti gloria dignus esse: tantũ abest ut putemus nostros paruulos immũdos et peccatores naturaq; corruptos, iam Deo placere posse, sine inhabitatis spiritus sancti gratia. Quemadmodũ enim impossibile est quemq; animalem seu animatum esse sine anima inhabitante, esse uiuum sine uita, esse robustum sine robore, esse pulchrũ sine pulchritudine, esse liberum sine libertate, deniq; esse hominem sine humanitate seu humana natura. Ita etiam impossibile est esse gratum Deo sine gratia inhabitante, esse diuinum sine Deo intus agente & operante, esse pium sine pietate, esse iustum sine iustitia, esse spiritualem sine spiritu phil. 2 Heb. 4

ritu intus habitante & innouante, esse hæredem sine pignore hæreditatis. Deniq; esse Christianũ, & unctũ sine Christo induto, & sine unctione spiritus sancti.

Vt igitur iuniam, id nobis persuasissimum esse debet, neminem siue adultum siue paruulum, sine spiritu sancto inhabitante, promissionis & hæreditatis posse participem esse, alioqui non fuisset datus Iohanni tam præmaturè spiritus sanctus, si sine eo potuisset esse gratus Deo, præsertim cùm spiritus sanctus sit digitus Dei, per quem tabulæ cordis carnales perscribantur lege diuina, per quem consignemur, ungamur, ui uificemur, & in filios Dei adoptemur. Si enim digitus Dei lapidibus potest inscribere legem suam, quomodo non uiuis cordibus, quantumuis necdum quies quam intelligentibus, cæterum à spiritu sancto inhabitatis?

Luc. 1

Luc. 11

3. Cor. 3

Cùm itaque baptismus sit à Christo institutus in hoc, ut per eum haurias salutem à Domino, fiasq; particeps sanguinis Christi in spiritu sancto, sitq; paruulis non minus ad salutem necessarius quàm adultis spiritus sanctus, manifestum atque euidens est paruulos sine baptismo non magis posse saluos fieri quàm adultos, imò minus, cùm in adultis propria fides spiritum sanctum impetrare possit, si quando sit ipsis baptismus impossibilis, paruuli autem propriam fidem habere non possint, per quam remissionis & sui sanctificationis gratiam exorent.

Paruuli nõ magis sed potius, minus possunt salui fieri sine baptismo q̃ adulti.

Neque etiam parentum quamuis bonorum fides, neglecta institutione Dei, uel quod peius est contempta, potest salutis gratiam suis impetrare filijs, cùm sit nobis hæc salutis uia data, qua baptizemur, quemadmodum

Parentum fides nõ efficit filios saluos.

admodum Israelitis erat data circuncisio pro masculis. Si enim parentes Iohannis, qui erant ambo iusti ante Deum, & incedentes in omnibus mandatis & iustificationibus Domini sine querela, potuissent sua fide suáque pietate diuinitus suo impetrare filiolo spiritum sanctum, aut si id alij frequenter potuissent, quid opus fuisset promissione angelica de nascituro Iohanne, noua, mira, & pene inaudita, quòd is impleretur spiritu sancto adhuc in utero matris suæ? aut quid noui dixisset Deus de suo propheta Hieremia, quòd is fuisset sanctificatus antequàm exijsset de uulua? Nullum certè fuisset aut Iohannis aut Hieremiæ priuilegium natiuitatis præter cæteros homines, si id esset commune omnibus iustorum filijs, ut per fidem parentum sine sacramento diuinitus instituto, quasi secundum nudam promissionem Dei, sint mundi, sancti, & salui. Luc. 1 Hier. 1

Concludo itaque uiolenter (ut Mennoniano more loquar) paruulos non habere promissionem peculiariorem quàm adultos, ut in fide sola parentum, sine spiritu sancto, & sine baptismo salui sint futuri, sed ipsis perinde atque adultis faciendum & obseruandum, quicquid diuinæ institutionis facere & obseruare possunt.

Quod paruulis ignoratio fidei non obsit, quo minus vere & vtiliter baptizari possint, & quod baptizati vere dicantur & sint fideles. Cap. III.

HActenus diximus paruulos nascí immundos, et à promissione regni alienos, neq; mundari nisi in spiritu sancto cordibus eorũ infuso. Nunc uerò quoniam & ipsi pædobaptismatis expugnatores sponte fatentur, in baptismo fieri remissionem & dari spiritum sanctum (quanquam id negent fieri per baptismum, ut superiori libro confutauimus) ne posthac suos paruulos ad Christum uenire prohibeant, & amplexibus eius priuent, ac baptizandos negent, priuentq; eos spiritu promissionis sancto, quem per baptismum ex merito Christi acciperent, ecce conabimur scandalum illud quoque amouere, quod ex scripturis malè intellectis sumpserunt: ut putent paruulos ob id non baptizãdos, quòd non habeant fidem, neque uerbum Dei audierint, in quo baptizentur, quasi secundum literam, nemo debeat baptizari, nisi fidelis.

Primò prodeat aduersarius fidei Memo, & sua mania eiaculetur atque consumat tela, ut illis scuto fidei depulsis, nos tutius & imperturbatius, pedibus inoffensis, & calceatis in præparationem Euangelij ad ueram fidem perueniamus. Neq; opus esse puto ut citem loca, ex quibus hæc eius uerba deprompserim, cùm talia tam sæpenumero uarijs in locis iterum atq; iterum inculcet, ut nimis sit longum relatu.

Eph.6

Memo.

Ait itaq;: Præceptum Domini habemus, ut prius doceamus, deinde baptizemus Matth. & Marc. ultimo. Scimus autem paruulos esse omnium rerum ignaros & indociles, atq; ideo non baptizandos, ne infringamus

mus

mus ordinem Christi, & nomine Domini frustrà utas mur. Alibi: Quia Christus præcepit prius Euãgelium prædicandum, ex cuius auditu fides est Ro.10. et eos qui credunt baptizandos, quis potest illud immutare? Rursus: Quia paruuli defectu auditus & intellectus prædicationem Euangelij accipere non possunt, per quam sola fides acquiritur Ro.10. qua fide sola Deus corda nostra mundat Act.15. & non externa aqua: & quia expressum Dei uerbum ac præceptum duntaxat urget & ligat eos, qui eodẽ uerbo generati sunt, atq; ita per fidem mũdati in semetipsis, sequitur paruulos per baptismum non mundari, etiamsi essent immundi, quales non sunt. Verbum enim promissionis circa baptismum non habent, quamobrem non fit eorum baptismus per uerbũ, sed omnino contra uerbum. Quia uerbum uult fidem. Eorum itaq; baptismus ex humano fit arbitrio, sine Deo, sine promissiõe, estq; idololatricus, inutilis & frustrà administratus. Præterea alibi: Qui uerbum Dei audit & credit, is baptizandus est, ut Petrus docuit Actorum secundo cap. & Philippus dixit Eunucho Actorum octauo capite. Fides enim non ex baptismo, sed baptismus ex fide: id quod ex Paulo apertissimum est, qui ponit ubique fidem ante baptismum ut Ephesiorum quarto, & Hebræorum sexto. In quem modum Christus baptismum & præcepit, & usurpauit. Nam factus ætate adulta baptizatus est ipse. Mat.3. Hactenus ille.

Hic ò Christiane lector nõ est quod pauido atq; cõsternato animo fias, cò q; uideas multos fidei hostes in procinctu stãtes ex sociorũ quidẽ et amicorũ exercitu delectos atq; conscriptos, sed impijs falsi & hæretici intellectus

Confutatio erroris Mennoniani.

intellectus armis contra Ecclesiam Dei indutos, quorum dux est & quasi Achilles quidam, Euangelicus ille sermo Marc. 16. Qui crediderit, et baptizatus fuerit, saluus erit, sed peruersè & non Euangelicè acceptus; reliqui sunt quasi uelites, & gregarij leuioris q; armaturæ milites. Sed noli timere, plures enim nobiscum sunt, quàm cum illis. Ægyptios autem, quos nunc uides, neq; quaq; ultrà uidebis in æternum. Primò itaq; paruulos hos inuadamus, eósque uerbo Dei tanquàm gladio spiritus eoganus Mennonianæ falsitatis arma exuere, atq; in suam pristinam Euangelicæ dignitatis aciem redire.

4. Reg. 6
Exod. 14

Sacra enim scriptura perperam & hæreticè intellecta, quamuis præ se ferat literam & umbram sanctitatis ueritatisq;, eò tamen pestilentior est, quò maiorem speciem ueritatis præbet, magisq; sub ueritatis

2. Cor. 3

prætextu decipit. Nam litera si à spiritu sit aliena occidit. Sed ad rem ueniamus, & ostendamus Mennonem pernicioßimè uerbo Dei abusum esse.

Mentis Menno ex solo auditu esse fidem.

Primò quod dicit per solam prædicationem Euangelij esse fidem, id neque uniuersaliter uerum est, neq; fideliter ex Apostolo adductum. Non enim dicit Apostolus Roma. 10. quòd fides sit ex solo auditu, sed sine adiectione, quòd fides sit ex auditu, auditus autè per uerbum Dei: loquès ibi non de quibusuis fidelibus, sed potißimùm de ijs, qui ignorarunt prius iustitiã Dei, & suam quærentes statuere, iustitiæ Dei non erant subiecti, quales erãt Iudæi in operibus legis confidentes, & gentes, qui erroribus multis inuoluti putabãt se beatitudinem aut fœlicitatem suis uiribus parare magis (ut loquitur sanctus Augustinus de ipsis) quàm

à Deo

ā Deo impetrare. Huiusmodi erant ab erroribus præ dicatione uerbi diuini secundū Apostolum reuocādi.

Nam prophetis Dei multarum rerum de Christo maior erat fides, quàm ex uerbo Dei audito aut lecto haurire poterāt. Ex quo enim auditu uerbi didicerat Esaias quòd uirgo conciperet & pareret filiū? Quin et ipse Paulus, quantumuis prius non fuerat subiectus iustitiæ Dei, maximam tamen suæ fidei partem non ab homine accepit uel didicit, sed per reuelationem Iesu Christi. Neque Apostolus negat quin paruuli iam baptizati sint fideles, quamuis nondum audire possint uerbum Dei, cùm id Christus affirmet, ut posteà uidebimus, sed loquitur de adultis, quorum fides historica sit ex auditu, uiua autem ex baptismo per spiritū sanctum, ut superiori libro de regeneratione diximus.

Esa.7

Gal.2

Mentis Menno q̄ sola fides ex auditu nata purificet corda.

Secundò quod dicit sola fide Deum corda nostra mundare, id quoq; falsum, ac falsè atque perperam ex Actis citatum, præsertim loquendo de fide ex auditu uerbi nata, ut Menno loquitur. Act. enim. 15. sic habet scriptura de Cornelio & eius socijs loquens: Qui corda nouit Deus, testimonium perhibuit, dans illis spiritum sanctū, sicut & nobis, & nihil discreuit inter nos & illos, fide purificans corda eorum. Et nequaq̄ dixit scriptura, quod sola fide purificarit corda eorum. Fidem autem expreßit ad circuncisionis & antiquæ legis abrogationem, & fidei Christianæ ac nouæ legis cōmendationem, quasi dicat, Sine legis antiquæ cæremonijs, per legem Euangelicam possumus fieri salui. Non autem uoluit, quod sola fide Euāgely, quasi sine Euangelicorum mandatorum ac sacramentorum obseruatione salui efficiamur. Nam & merito Christi

puris

purificãtur corda, et spiritu sancto. Imò & baptismo per spiritum sanctum, ut suprà ostendimus. Hieronimus siquidem & Baptista purificati & sanctificati sunt non fide ex auditu uerbi, sed spiritu sancto.

Tertiò mentitur q̃ soli fideles præcepto baptismi ligẽtur.

Tertiò quod dicit expressum Dei uerbum solum ligare eos, qui prius ex eodem uerbo audito regenerati sunt, & per fidem mundati, id partim priori libello refellimus, partim post suo loco refelletur.

4. Mentitur dicens puulos ante baptismũ esse mũdos.

Quartò quod dicit paruulos sine baptismo nõ esse immundos, id quoque suprà refutatum est.

5. Mentitur dicens pædobaptisma esse ex humano arbitrio & inutile.

Quintò quod dicit baptisma puellorum esse ex humano arbitrio, sine Deo, & sine promissione, atq; inutile, id sequentibus abhinc capitibus refutabitur.

6. Mentitur solos fideles secundũ Petrũ baptizãdos.

Sextò quod Petrus Act. 2. Et Philippus Act. 8. docent baptizãdos esse fideles. Id & nos docuimus semper loquendo de adultis, de quibus illi tunc temporis loquebãtur, ut in calce superioris libri declarauimus.

7. Mentitur dicẽs fidẽ nullo modo esse ex baptismo

Septimò q̃ ait fidem non esse ex baptismo, sed baptismum ex fide: id quoq; partim suprà dictum est, et partim pòst dicetur.

8. Mẽdaciter argumentatur ex eò q̃ christus adultus est baptizatus, ideò & nos adultos baptizãdos. Luc. 2 Mat. 26 1. Cor. 11

Octauò quod Christus erat annorũ triginta priusq̃ baptizaretur, id non arguit nos adultos, aut tam proiectæ ætatis oportere baptizari. Nã ante illud tẽpus quo Christus se baptizandũ curauit, non fuerat institutus baptismus, alioqui enim permisisset se baptizari, ubi primum exẽplo suo nos baptismalis fructus eapaces ostẽdere uoluisset, sicut se infantem circuncidi permiserat. Nam etiamsi Christus non nisi semel celebrarit suam cœnam, instituerit q̃ eam celebrandam in memoriam sui, idq; in fine uitæ suæ, hoc non arguit, nobis quoq; nõ nisi semel, & decurso spacio uitæ, cœnam dominicam

dominicam celebrãdam, sed quotiescunq; mortem Domini annunciare uolucrimus, 1.Cor.11.

Nunc restat expugnandus Achilles ille, quem fecit exercitus sui quasi ducem, ut is exutus palimbaptistice hæreseos impijs armis, quibus eum Menno onerauit, & à nobis abduxit, posset in suum Euangelicæ dignitatis honorem restitui. Quia enim Christus ait: Qui crediderit, et baptizatus fuerit, saluus erit, præponendo scilicet fidem baptismo, sicut & Apostolus fecit Eph.4. & Heb.6. ideo credit Menno, docetq; non esse baptizandos nisi fideles. Nunc exurgat Deus & dissipentur inimici eius, & fugiant, qui oderunt eum, à facie eius. Sicut deficit fumus deficiant, sicut fluit cera à facie ignis, sic pereant peccatores à facie Dei. Et iusti epulentur, et exultent in conspectu Dei, & delectentur in lætitia.

Marc.16

Psal.67

Primò non sunt baptizãdi, inquis, paruuli necdum creduli, quia fides præponitur baptismo. At eodem modo, non erunt salui, quia fides multò uehementius præponitur saluti quàm baptismo. Nusquàm enim dicitur: Sine fide impossibile est baptizari. Sed dicitur: Sine fide impossibile est placere Deo, hoc est, saluus esse. Si ergo absentia fidei impedit, ut ais, quominus possis baptizari, multò uiolentius impedit, quominus queas saluari.

Si ideò non sunt baptizãdi, quia fides præponitur baptismo, ob eandem causam nõ sunt etiã futuri salui. Heb.11

Imò hoc eodem loco Marc.16. ut præcedit fides baptismum, ita etiam non modò fides, sed & baptismus præcedit salutem, quamobrem si ob id paruulus qui nondũ credit, necdum potest baptizari, quia prius dicitur: Qui crediderit, deinde: Et baptizatus fuerit: eadem ratione non modò qui nondum credit, sed etiam

etiam qui nondum est baptizatus, non poterit saluus esse, quia prius dicitur: Qui crediderit & baptizatus fuerit, deinde subiungitur, saluus erit, ut uidelicet significetur salus non modò fidei, sed & baptismi esse fructus.

Salus baptismi est fructus.

Si igitur ignoratio fidei non excludit (ut ipse dicebas) eos ab effectu seu fructu baptismi, quomodo à baptismo? Ipse enim fateris salutē esse fructū baptismi. Quomodo autem consequi possumus fructum aut effectum sine efficiente? Vt parentes, adminiculante Deo, sunt filiorum suorum genitores, ita baptismus per Christum est filiorum Dei regenerator, & salutis efficax signum, ut suprà ostendimus. Quemadmodum igitur filios habere non potes sine parentibus, à quibus sint geniti, Ita neque salutem sine lauacro regenerationis, hoc est, sine baptismo per quem sis regeneratus, nisi spiritus sanctus inhabitans ob necessitatem, sit tibi loco baptismi regenerātis, dicam iterum: Vt non modò Christus, sed & pater, & spiritus sanctus, est salutis author, sic & baptismus in Christo per spiritum sanctum est salutis effector, quemadmodum igitur salutem assequi est impossibile contempto Christo, spreto patre, neglecto spiritu sancto, Ita etiam neglecto uel contempto baptismate impossibile est consequi salutem. Tu uis scilicet aliena fide paruulos fieri saluos, cur non & aliena fide baptizandos? At manifestum est ex scriptura alienam fidem, secūdum quam paruuli offeruntur ad baptismum, et in Christo baptizātur, esse ipsis loco propriæ fidei, eosq; per alienam fidem tanquàm per propriam in uerbo consecrationis & sanctificationis esse baptizandos, & ex baptismo

Aliena fide sunt baptizandi paruuli.

fieri

fieri uere fideles, ut tum demum per propriam fidem, in spiritu promissionis sancto intus habitante, ex meritо Christi ipsis ita applicato sint digni salute. Si enim aliena fide secũdum te digni sunt salute, sine dubio & baptismo. Baptismum enim dare in nostra est potestate, diuino tamen adminiculo adiuta. Salutè uerò dare non est nostræ potestatis. Si igitur, ut inquis, aliena fides est eis adminiculo ut salui fiant, quod nostras uires longè latéq; excedit Mat. 19. quomodo nõ ut baptizentur?

Magisperuũ li aliena fide sunt digni baptismo q̃ salute.

Imò quemadmodum alienis pedibus dicũtur uenire ad Christum ut amplexibus eius foueatur, & manibus impositis benedicantur. Ita et aliena fide baptizandi. Nam quemadmodũ corporeis pedibus uenire dicimur, quocunq; locorum uenimus (de profectione autè quæ fit nauibus, quadrigis aut iumentis hic nihil laboro) ita & fide quasi mentium pedibus uenire dicimur ad Deum. Nam uenire ad Christum, uel ad Deum in scriptura, est credere in Deũ, uel non minus efficax secundum misericordiam Dei, quàm si credas. Io. 6. Qui uenit ad me, non esuriet. Quid est hoc aliud, quàm quod sequitur, qui credit in me non sitiet in æternum? Rursus: Eum qui uenit ad me non eijciam foras, hoc est, ut alibi habes, qui credit in me, non morietur in æternũ, si modò fide uiua, et per charitatem operante, ac usq; in finem perseuerante credat. Esa. 55: Omnes sitientes uenite ad aquas. Et Io. 7. Si quis sitit, ueniat ad me et bibat. Quid autem sit uenire & bibere explicat subdens: Qui credit in me, sicut dicit scriptura, flumina de uentre eius fluẽt aquæ uiuæ. Mat. 11: Venite ad me omnes, qui laboratis & onerati estis, & ego reficiam

Fide quasi cordiũ pedibꝰ venimus ad Deum.

Iohan. 6

Iohan. 11
Gal. 5
Mat. 24

uos, hoc est, credite in me, & (ut sequitur) tollite iugum meũ super uos, et discite à me, quia mitis sum et humilis corde, & inuenietis requiẽ animabus uestris.

Venire debẽt paruuli ad Christũ, non suis, sed alienis pedibus, ergo & aliena fide venire ad baptismum.

Quia igitur paruuli iubentur etiã uenire ad Christum, q̃uis non possint suis, sed alienis pedibus uenire, certum est alienã fidem esse ipsis loco propriæ fidei, ipsosq; per alienam fidem non minus baptizandos, q̃ si esset ipsorum propria. Non tamen sola aliena fide fore saluos, eò q; per alienam fidem in ipsis neq; uiuat Christus, neq; inhabitet spiritus sanctus, quem oportet ut in baptismo recipiant, ut tum demum ex fide propria per spiritum sanctum infusa uiuant ipsi in Christo, & Christus in ipsis, ut pòst declarabitur.

Obiectio

Dixeris fortè, si per alienam fidem, non sunt digni salute, neq; etiam baptismo. Mendosè colligis. Fidem

Responsio.

enim, in qua uerè & salubriter baptizemur, nõ oportet esse uiuam, sed sufficit ut sit modò uera, & fiat in baptismo per spiritum sanctũ uiua. In qua autem saluemur, eam oportet esse & uiuam, & nostram, nosq; in Christo uiuificantem.

Non litera, sed finis præcepti spectãdus.

Secũdò, ut de propria fide loquamur, respondemus literam præcepti non ita spectandam et colendam, ut spiritum negligamus & perdamus, litera enim occidit. Sed finem præcepti spectãdum. Finis autem huius

2. Cor. 3

Finis præcepti de baptismo.

præcepti de baptismo est, ut nostris operibus diffisi, non quæramus nostram iustitiam statuere, sed iustitiæ Dei nos subijciamus, ut q; Deo obtemperantes stulti fiamus, & ex rebus secundum literã stultis, per Christum in spiritu sancto salutem hauriamus à Domino.

Non enim sola fide uoluit nos Deus saluos facere, ut ne quis glorietur suis operibus se salutem conseeu

tum,

tū, cùm sit fides opus Dei, per quā & nos operemur opera Dei, & quæramus non cibum qui perit, sed qui permanet in uitā æternam. Sed Deus uoluit nos per baptismū sanos & saluos facere secundū suam misericordiā, in quo nemo posit gloriari se suis uiribus saluatū, cū nemo seipsum baptizet, neq; quisq; posit gloriari aut cōfidere in homine, cùm sit apertū hominem baptismi ministrū ex se nihil aliud posse, q̄ corpus lauare, sed ut sublimitas sit uirtutis Dei, et nō ex nobis. Iohan.6 2.Cor.4

Quamobrē cùm sit salutis gratia baptismus institutus, sintq; paruuli et salutis capaces non minus q̄ adulti, ut posteà latius condoccbimus, hinc est quòd literā præcepti, quæ fidei præcedentis mentionē facit, intelligimus nō excludere paruulos à baptismo, sed huiusmodi infideles, quorum incredulitas obstaculū ponat spiritui sancto, ut etiam posteà declarabitur.

Quòd itaq; finem præcepti sectamur, & literam occidentem quodāmodo, charitate suadente, ex parte negligimus, id nos docuit spiritus uiuificator, quem dixit Christus permansurum cum Apostolis & eorum successoribus in æternum. Neq; id facimus sine authoritate scripturæ. Videmus enim ipsum Christum & eius matrem uirginem similiter literam quorundam præceptorum præuaricatos esse, sed finem & spiritū secutos. In cuius rei manifestam declarationem duo dūtaxat testimonia ex scripturis sumemus: Alterū de circūcisione Christi, & alterū de purgatione Mariæ. Iohan.14

Vt Christi mater literā neglexit, & spiritū est secuta, ita & nos.

Christus circuncisus est non secutus literam præcepti, sed humilitatis spiritum.

Præceptum circuncisionis secundū literam magis excluſit Christum, quàm baptizandi præceptum nostros infantes. Dictum enim erat: Masculus cuius præpucij caro circuncisa non fuerit, delebitur anima eius

de populo. Erat enim circuncisio data in remedium quoddam prævaricationis Adæ, & in pactum futuræ redemptionis per Christum, his qui ex Adam fuerant cõmaculati, & filij iræ facti, quib; non nisi per petrã, qui est Christus, erant circuncidendi & ab omni peccato, & ab omni miseria, alioqui non scribẽdi in libro uitæ. Cùm itaque Christi anima esset indelebilis, quippe quæ neq; contraxerat ullam peccati maculam, neq; opus habebat redemptione, certũ est non necessitate præcipientis literæ, sed potius contra præcepti literam eum esse circũcisum. Finem autem præcepti eum spectasse credimus, quæ est charitas, secundum quam uenerat, ut in similitudine carnis peccati, sua humilitate & supereffluenti obedientia deleret nostra peccata quasi sua.

Rom.8

Mariamater Christi obseruauit purgationis præceptum contra literam, non aũt contra spiritum

Præceptum uerò purgationis Mariæ multò apertius est contra literam obseruatum. Sic enim habet Leuit. 12. Mulier si suscepto semine pepererit masculũ, immunda erit septem diebus, iuxta dies separationis menstruæ, et die octauo circũcidetur infantulus, ipsa uerò 33 diebus manebit in sanguine purificatiõis suæ Omne sactum non tanget &c. Cumq; expleti fuerint dies purgationis suæ pro filio aut filia, deferet agnũ anniculum &c. Quod si non inuenerit manus eius, nec poterit offerre agnũ, sumet duos turtures, aut duos pullos columbarum, unum in holocaustum, et alterum pro peccato, Orabitq; pro ea sacerdos, & sic mundabitur. Ecce audis immaculatißimam matrem Iesu multis modis apertè excluſam et exemptam ab hac lege. Non enim suscepto semine pepererat (quæ sanè orationis particula propter ipsam solã excludendam

Luc.1

est

est adiecta) sed spiritu sancto superueniēte. Non erat immūda iuxta dies separationis mēstruæ. Digna erat quæ omne sanctū tāgeret, quippe quæ magnum illum et sacrosanctum augustumq; altissimi patris filiū ma nibus contrectabat, pānis nuoluebat, brachijs amplec tebatur, & uberibus lactabat. Non fuerat ullū pecca tum neq; in ipsa neq; in eius pliolo contractū, pro quo offerret sacrificium. Deniq; non opus habebat, ut pro se oraret sacerdos, & sic mundaretur, sed ipsi potius sacerdoti erat opus, ut ipsa suum filiū pro eo oraret. Omnibus autē his modis quanq; esset à lege purgatio nis uirgo mater immunis, exempta & excluſa, nihilo minus tamen, neglecta litera, huic se præcepto etiam subdidit mundissima uirgo, & se passa est mundari, benedici, pro se orari, quorū nullo opus habebat, plus ris uidelicet faciens finem legis charitatem humilita tem & obedientiam, quam tamen non debebat, q̄ occi dentem literam, ualensq; spiritui q̄ literæ obedire. Luc.2

Similiter Marci 7. cum Dominus curasset surdum illū, eundemq; mutū, ita ut apertæ sint aures eius, & soluto unculo linguæ locutus sit rectè, præcepit illis ne cui dicerent. Quanto autem eis plus præcipiebat, tanto magis illi prædicabāt, et eò amplius admiraban tur, spiritū uidelicet & finē præcepti magis q̄ literā occidentē sectati. Cū itaq; præceptū baptismi multò minus excludat, imò potius concludat nostros paruu los, ut pòst magis patebit, cur nō baptizemus eos, qui sunt baptismi fructus magis capaces, q̄ Christus cir cuncisionis? Tertiò respondemus, q̄ q̄uis Matt. & Mar. ultimo, & bis apud Apostolū Eph. 4. & Heb. 6 fides uerborum ordine præcedat baptismum, alibi ta men Fides in scri ptura, verbo rum ordine aliquando præcedit, ali quādo sequi tur bapti- smum.

men præcedit è contrario baptismus fidem ex auditu uerbi natam, ita ut inde intelligamus non oportere fidem semper præcedere baptismũ, sed aliquando præcedere ut fit in adultis, aliquando uerò non, ut in paruulis. Præcedit autem baptismus fidem Coloss. 2. ubi dicitur: Consepulti Christo in baptismo, in quo & resurrexistis per fidem operationis Dei. Si itaq; per baptismum sepelimur, & per fidem resurgimus, cum nemo resurgat nisi prius fuerit mortuus, cõstat quòd fides præsertim uiua, et per spiritum sanctum infusa, nõ sit prior baptismo, ex qua in Christo uerè uiuimus & salui sumus, quanq; fides mortua atq; historica ex auditu uerbi nata sit prior in adultis. Rursus 1. Cor. 6. Hæc quidem fuistis, sed abluti estis, sed sanctificati estis, sed iustificati estis in nomine Domini nostri Iesu Christi, & in spiritu Dei nostri. Et Rom. 6. Qui mortuus est, iustificatus est à peccato. Paulò pòst: Existimate uos mortuos quidem esse peccato, uiuentes autem Deo. Nonne per ablutionẽ & mortem baptismũ, per iustificationem autem & uitam intelligit fidem præsertim uiuam? Iustus enim ex fide uiuit. Et in fide uiuo, inquit Apostolus, filij Dei, qui dilexit me, et tradidit semetipsum pro me.

Abac. 2 Gal. 2

Quemadmodum itaq; si nos doceremus fidem nunq; debere præcedere baptismum, eò quòd aliquando ineniatur postposita baptismo, essemus merito falsitatis & impietatis redarguendi atq; conuincendi. Docemus enim eos qui sunt fidei capaces, si tum primũ ueniant ad baptismum, prius fidem docẽdos quàm baptizandos. Ita etiam qui docent è contrario fidem semper debere baptismum præcedere, eò quod aliquando

do inueniatur præposita, illi sunt meritò dicendi & impij, & contra Ecclesiam rebelles, atque in Deum blasphemi.

Quartò respondemus, quòd non semper quicquid in scriptura uerborum ordine præcedit, id etiam rerum ordine præcedere debeat Marc.1.dicitur: Pœnitemini, & credite Euangelio. Quis potest pœnitentiam agere, antequã credat Euangelio? Prius enim credimus, q̃ aut scimus aut statuimus pœnitentiã agendam. Similiter Iohan.10. Fiet unum ouile, & unus pastor. Non certè unum ouile prius fore, q̃ unum pastorem, prædixit Dominus, q̃uis ouile sit positum prius. Item Eph.4. Vnum corpus, & unus spiritus. An unum corpus potest esse prius, quàm adsit unus spiritus? Minimè, sed postq̃ acceptus est unus spiritus, tum demum & unum est corpus. Præterea Rom.10. Prope est uerbum in ore tuo, & in corde tuo, hoc est uerbum fidei quod prædicamus. Nunquid fides est prius ore gerenda, q̃ corde? Nónne prius corde concipitur, ac deinde ex abundãtia cordis os loquitur? Si enim prius os pronunciet se credere, quàm cor credat, ea oris confessio mendax fuerit. Quãuis autem Apostolus præpostero ordine dicat: Si cõfitearis in ore tuo Dominũ Iesum, et in corde tuo credideris, q̃ Deus illũ suscitauit à mortuis &c. nõ tamẽ præpostero ordine faciẽdum docet.

Non semper verborũ ordo in scriptura, rerum ordinẽ indicat

Mat.12

Rom.10

Neq; fruſtrà inuertit rerum ordinem. Sæpe enim quod in scriptura præponitur significatur esse minoris ponderis, aut minus necessarium, quàm quod postponitur. Nam posterius plærunq; uim prioris in se cõtinet totam & amplius, Sicut in superioribus exẽplis patet. Nam qui uerò corde credit, is etiãsi mutus sit,

Posteriuspositum sæpè in scriptura prioris vim totam in se continet. Rom.10

& loqui nesciat, non erit alienus à salute, quòd ore non confiteatur. Sed solo corde uerbis Apostolicus abunde satisfeciſſe creſcebitur. Cæterum nemo eſt qui ſola oris confeßione, ſine cordis fide ſatisfacere poßeſt. Eodem modo qui uerè baptizatus eſt, is etiamſi fatuus, delirus & mente ſit captus, ita ut ex auditu credere nequeat, non ob id erit ſalutis expers, quòd non ita crediderit, ut Mēno uult. Nam ſolo baptiſmo, quando aliud nihil poteſt, probè iudicabitur Chriſti præceptis ſatisfeciſſe. Sed ſola fide ex auditu uerbi nata, ſine baptiſmo, diuinis præceptis nemo fecerit ſatis, niſi quem impoßibilitas ad baptiſmum ueniendi excuſet. Iohan.6 Rurſus alibi: Omnis qui uidet filium, & credit in eum, habet uitam æternam. Iohan.13 Nónne qui uerè credit in filium, ei nihil obeſt, quod eum non uideat? Nam credere eſt plus quàm uidere. Rurſus: Diſcipuli replebãtur gaudio & ſpiritu ſancto, inquit ſcriptura. Nónne multò amplius eſt repletum eſſe ſpiritu ſancto quàm gaudio? Certè qui repletur ſpiritu ſancto, is habet fontem omnis gaudij, etiamſi non exundet in gaudium, neq; ſentiat aut ſentire poßit gaudium, ſed ſit cum Chriſto triſtis uſq; ad mortem. Matt.26 Præterea: Cor mundum crea in me Deus, & ſpiritum rectum innoua in uiſceribus meis. Pſal.50 Quamuis autem fieri non poßit ut quiſquam habeat cor uerè mũdum ſine ſpiritu recto, aut ſpiritum rectũ ſine corde mundo: poſterius tamen eſt præſtantius priori, eò quòd ſpiritus rectus, ſi modò cum intelligas ſpiritum ſanctum, ſit cordis mundi effector. Pſal.129 Rurſus: Apud Dominum miſericordia, & copioſa apud eum redemptio. Quis dubitet, quin hoc ſit illo maius, uimq; prioris in ſe cõtineat? Idq; ſæpißimè

in

in scriptura obseruatum inueneris, si eas uigilanter excusserus. Quod itaq; Marc.16. Dominus fidem baptismo præposuit, non per id præcepit in omnibus fidem debere præcedere, quemadmodum neque oportet prius uidisse Christum, ac deinde credere in eum, ad habendam uitam æternam, quamuis sit dictum: Qui uidet filium, & credit in eum, habet uitam æternam. Sed significauit fidem ex auditu natam esse minoris efficacie ad salutem quam sit baptismus, ipsamq; fidem ex auditu acquisitam minus esse necessariam, quippe cum baptismus ulcem eius suppleat, eiusque uim in se contineat totam & multo amplius, si quando fides ex auditu sit impossibilis.

Nõ oportet semper fidẽ præcedere baptismum, quãuis præposita sit. Iohan.6

Quinto respondemus, quod cum sit Deus iustus et misericors, qui uelit omnes homines saluos fieri, ac proinde nihil præcipiat, quod sit nobis impossibile facturi, intelligimus nimirum secundum uniuscuiusq; possibilitatẽ præcepta Dei obseruanda esse, eaq; nos sua necessitate obseruationis eatenus astringere atq; obligare, quatenus sunt nobis possibilia. Vt exempli causa. Quod dicit Iacobus Apostolus: Religio munda & immaculata apud Deum & patrem hæc est: Visitare pupillos & uiduas in tribulatione eorum, & immaculatum se custodire ab hoc seculo. Id omnibus hominibus est dictum, quibus est obseruatu possibile. Qui enim sunt ualetudine non satis robusta, ut pupillos et uiduas uisitare nequeant, ijs sufficit ut se immaculatos custodiant ab hoc seculo. Imò si quibus & hoc impossibile fuerit, ut se immaculatos custodiant ab hoc seculo, quales sunt stolidi & fatui, ijs nihil tale præcipitur. Rursus quod ait Christus: Beati qui audiunt

Christi præcepta possibilitate metiamur oportet.

Iacob.1

Luc.11

uerbum Dei, & custodiunt illud: id non statim excludit à beatitudine omnes surdos, quibus sufficit custodire, quantũ & signis discere possunt. Similiter Luc. 14. quod dicitur. Si quis uenit ad me, & non odit patrem suum, & matrem, & uxorẽ & filios & fratres & sorores, adhuc autem & animam suam, non potest meus esse discipulus, id est, si quis nõ habeat patrẽ aut matrem, aut uxorem aut filios aut fratres in fide aduersarios, quos meritò odisse & posit & debeat, duntaxat præcipit ut suam animam quisque oderit, si Christi discipulus esse cupiat.

Impossibile factu qd sit.

Impossibile autem cuiquam esse dicitur, quod is neque propria neque aliena uel hominis uel Dei uirtute adiutus facere potest secundum communem rerum cursum. Paruulis itaq; non est possibile ex auditu uerbi credere aut fidem profiteri. Deus enim, quãuis possit secundum suam omnipotentiã paruulis tam recens natis dare aures audiendi, mentem intelligendi, & linguam confitendi, id tamen secundum cõmunẽ rerũ ordinẽ nunq̃ faciet. Id enim Christus ipse sibi datũ noluit, ut infans loqui potuerit, q̃tumuis esset rerũ diuinarũ scientißimus à prima hora cõceptionis suæ.

Quod possibile est unicuique, hoc est illi præstandum, in p̃ceptis Dei implendis.

Quia igitur paruulis non est possibile ex auditu credere, sed baptizari non minus est ipsis possibile, q̃ adultis. Ideò credimus præceptũ Christi ipsis hactenꝰ esse necessariũ obseruatu, quatenus possibile, ita ut etiamsi nondũ ex auditu uerbi credere possint, baptizari tamen debeant, cùm id possint, non minus quàm adulti. Imò magis quàm adulti. Cùm adultis propria fides possit esse loco baptißmi, si quãdo in necessitate mortis præproperæ ad baptißmũ uenire non queant,

parus

paruulis uerò non item. Si enim paruuli in utero mas terno moriantur antequàm baptizari poßint, non credimus eos sine baptismo fore saluos, iuxta uerbum domini. Nisi quis renatus fuerit ex aqua & spiritu sancto, non potest intrare in regnum Dei. Iohan.3

Dixeris forsè si præceptū non ligat, nisi quatenus poßibile est, sequitur paruulos in utero materno mortuos sine baptismo fore saluos, cū baptizari nō poßint neq; teneantur aut ligētur baptizandi præcepto, propter impoßibilitatē. Respondeo id non imputari paruulis in peccatum, quod non sint baptizati, quasi ob eam præuaricationem sint condemnandi. Sed id potius eorum parentibus imputare in peccatum, si fortè eorum culpa factum sit, ut nō uenerint in lucem uiui, neque baptizari potuerint. Non enim paruuli propterea condemnantur quòd peccarint non obediendo baptizandi præcepto, sed quòd concepti sint in peccato præuaricationis Adæ, & quòd mortui sint immundi, & non loti in sanguine Christi à peccato per originē corruptam contracto, & sine spiritu sancto inhabitante. Qui enim non habet spiritum Christi, hic non est eius. Rom.8

Obiectio.

Responsio.

Sextò respondemus in paruulis non esse ullam perfidiam aut inobedientiam propriā, quæ contristet spiritum sanctū, & gratiam Dei iustificantem excludat, quemadmodū est in adultis. Et propterea nō esse necessariam paruulis fidem ex auditu uerbi natam, ad fructum baptismi percipiendum, sicut adultis. Nam adultis in incredulitate placet peccatū, in quo fuerūt & sunt, neque dum statuūt relinquere peccatū, quod in se esse uel scīūt uel scire poßūt & debēt. Talis incredulitas nō est in paruulis, quibus necdū potest ullū

Fides nō ob aliud debet præcedere baptismū, q̄ vt obstaculum ex animo auferat quod excluderet spiritū sanctum.

peccas

peccatum uel cognitũ esse, uel placere. Atq; hinc est cur adultorum incredulitas obstaculũ ponat spiritui sancto, & nõ paruulorum, utq; illos oporteat credere, & obstaculum auferre prius quam baptizentur, & non hos. Nam baptista accepit spiritum salutis au thorem sine præuia fide. Eunuchus autem, Cornelius & Saulus, non nisi præcedente fide.

Luc. 1
Act. 8. 9. 10

Quibusdam adultis data est remissio sine fide præcedẽte, quidni & paruulis?

Quid uerò, quod & adultis quibusdam inuenimus datam remissionem citra fidem præcedentem, præsertim quorum fidei ignoratio non poterat obstaculum spiritui sancto, quippe quibus peccatum nõ placebat, & quibus nondũ erat necessarium, neq; possibile omnia credere, lege uidelicet Euangelica nondum satis promulgata & cognita? Huius rei exemplum habes clarissimum de paralytico Matt. 9. Neque enim eius fidem, sed illorum qui eum portabant & Christo offerebant, uidisse dicitur Iesus, atq; ei peccata remisisse. Sed qualem habuisse eos fidem putas? Quòd Christus esset Deus & homo? creator & redemptor mundi? qui et peccata uirtute sua remittere posset? Neutiq; uerisimile. Sed credebant saltem, Christũ posse sanare paralyticum, & sanitati corporali restituere, & confidebant eum hoc facturum, de remissione peccatorũ nihil laborantes. Rursus Ioh. 5. sanauit Christus languidum quendam, usque adeò non credentem, ut neq; de facie, neque uel nomine Christum nouerit. Cui et peccata fuisse remissa, sine fide in Christum, satis constat ex eo, quod postea ad ipsum dixerat Christus Iesus, cùm eũ inuenisset in templo. Ecce sanus factus es, iam noli peccare, ne deterius tibi quid cõtingat. Id ipsum similiter posset declarari ex Io. 8. de adultera. Io. 9.

de

de cæco nato, & ex aliis scripturæ locis, quòd misericors Dominus aliquando sanarit quosdam & corpore & anima sine uera & perfecta fide, quibus scilicet fides necdũ erat possibilis, & fidei ignoratio non possebat obstaculum spiritui sancto.

Ante passionem Christi plurimi fũt baptizati sine fide, eò q̃ fides nondũ erat ipsis possibilis. Tit.3

Quum & alibi ostendimus non modò ab Apostolis baptizatos esse plurimos, ante mortem Christi, absq; fide in Christum redemptorem, eaq; nõdum possibili, sed & ipsos Apostolos necdũ uere credulos, sub spe fidei futuræ, & suo tempore perfectius recipiendæ, baptizatos esse. Cur itaque non & paruulos, per lauacrum regenerationis & renouationis spiritus sancti, secundũ misericordiã Dei, saluos fieri credamus, sine fide ipsorum propria, ob alienam fidem non quidem parentum, aut ministrorum, aut eorum qui se susceptores & aduocates præstant (horum enim omnium incredulitas non potest paruulis alioqui rite baptizatis obesse) sed ob fidem totius ecclesiæ, in qua baptizantur? Fide, inquit Apostolus, transierunt mare rubrum, certè non fide propria singulorum, sed fide Mosi & ecclesiæ. Sic et in baptismo, uidelicet eorum, qui necdum ipsi credere possunt, ut suprà diximus. Est autem figura baptismi, transitus maris rubri. Heb.11

Adulti infideles habent incredulitatẽ fidei contrariã. Paruuli non ità

Præterea adultorum infidelitas habet adiunctam falsitatis aut impietatis persuasionem ueræ fidei contrariam. Vt dum putant, & credunt uel esse multos deos, uel Christum non esse Deum, uel se suis uiribus posse saluos fieri, uel non esse aliam uitam post hanc, sed animam hominis esse mortalẽ cum corpore ut bestiarum, uel Deum non curare hæc inferiora, quæ sub luna & cælo posita sunt, sed ea esse penitus uel fidei

tum

rum aſpirationibus & afflatibus, uel fortunæ caſibus, uel ineuitabili fatorũ neceſsitati ſubiecta, uel deniq; quoſdam ſiue menſes ſiue dies eſſe infauſtos, ita ut ſi quid in illis auſpiceris, id inauſpicatum & infauſtum ſit oportcat. Cuius uanitatis meminit Apoſtolus Gal. 4. & Coloſſ. 2. Quod genus & libri ſunt exuſti plurimi. Act. 19.

Quia itaq; adulti infideles huiuſcemodi impietatis opinionibus imbuti ſunt, non poſſunt eſſe capaces neq; remiſſionis neq; ſpiritus ſancti, niſi talia ex corũ animis eximantur, ipſiq; prius uera ueritatis cognitione ac ſyncera fide erudiantur. Talia uerò eum non ſint in paruulis, quippe quorum animus inſtar tabulæ raſæ, necdum neq; boni neq; mali, neq; ueri neq; falſi opinione eſt imbutus, cõſtat eos non ita eſſe infideles quemadmodũ ſunt adulti, ut ſponte ſua ullum aut ponãt aut ponere poſsint obſtaculum ſpiritui ſancto: ſed eſſe idoneos, ut digito Dei legem diuinam accipiant mentibus ſuis inſcribendam, hoc eſt, ut remiſſionis peccatorum et ſpiritus ſancti fiant participes, ac iam tum per fidem infuſam in baptiſmo ſint fideles, ut paulò poſt oſtendetur, ex ſcripturis. Si enim digitus Dei potuit tabulas lapideas omni ſenſu uacuas ſua lege inſcribere, cur non & tabulas cordis carnales rationis quidem adhuc, ſed non ſenſus expertes, futuras autem poſt pauculos annos & rationis ac intellectus participes?

Paruuli quãuis ante baptiſmũ non ſint fideles, nequaquã tamen ſunt increduli, perfidi, aut infideles, vt adulti. 2. Cor. 3

Quia igitur paruulis eſt fides ex auditu acquiſita impoſsibilis, neq; eſt in ipſis ulla incredulitas, per quam ſuapte ſponte impium quid agere, aut falſum quid, fideiq; contrarium opinari aut credere poſsint,

qualis

qualis est in grandiusculis perfidia, constat eos sine præuia fide, non esse excludendos, sed omnino admittendos ad baptismum, adultos uerò sine doctrina ac fide propria non esse baptizandos.

Cõstat præterea friuolũ esse & absurdũ q̃ obijcit Menno dicens: Quis unq̃ audiuit in uerbo Dei, quòd Christus et Apostoli docuerint duo diuersa baptismata, ut daretur alterum super fidem, quod sit mors peccati, & resurrectio ad nouam uitam, bonæ conscientiæ noticia, & lauacrum regenerationis: alterum uerò daretur paruulis citra fidem, quod in ipsis nihil efficiat, nisi ut duntaxat aqua lauentur exterius?

Menno blasphemat.

Nequaq̃ duo diuersa statuimus baptismata. Vnicũ enim est baptisma siue per fidem propriam, siue citra fidem administretur: tum propter unius Christi meritũ, tum propter unicum baptistã, tum propter unius spiritus uiuificationem, tum propter unius trinitatis inuocationem, tum propter unius eiusdemq̃ salutis participationem in sanguine Christi, tum denique propter unius Ecclesiæ unam fidem, in qua uerius quàm in propria singulorum fide baptizantur. Neq; baptismus habet uim & efficaciam ex fide suscipiẽtis, sed ex passione Christi. Fides autem suscipientis nihil aliud facit, quàm quod aufert inobedientiam & impietatem animi, atq; omne obstaculum spiritui sancto.

Confutatio. Vnum baptisma siue præuia fide siue non administratum.

Baptismus nõ habet suã vim ex fide suscipientis, sed ex merito Christi.

Cùm igitur in paruulis nullum adhuc sit obstaculum tale, perinde accipiũt baptismi fructum omnem, ipsis ad salutem necessarium, in quo & mors peccatorum, & resurrectio ad nouam uitam continetur, atque adulti, ut alibi latius docebitur.

Septimò respondemus Christum Matth. & Marc. ultimo

Marc.16. loquitur Christus de adultis.

ultimo loqui de adultis, ita ut non inde sumamus parvulos esse baptizandos, sed potius ex aliquot alijs scripturæ locis, utq; hic locus non sit admodum parvulis neq; profuturus neq; obfuturus. Quod enim de parvulis non est dictum, id non debet neque pro ipsis neque contra ipsos stare. Quemadmodum enim si quis probare niteretur infantes aut fœtus nõ fore salvos, Luc.11 Mat.5 eò quòd verbum Dei non audiant, neque custodiant, quòd inimicos non diligant, non benefaciant his qui ipsos oderunt, neque orent pro persequentibus se aut Mat.7 calumniãtibus, deniq; quod non faciant alijs, quæ ipsi velint fieri, sed ediverso plerunq; faciãt, quæ sibi non velint fieri, mordendo, trudendo, percutiendo, aut unguibus in aliorum oculos involando, is à veritate & sano intellectu esset alienus, cùm hæc non sint ipsis neque possibilia, neque præcepta. Ita etiam qui hunc locum de doctrina & fide loquentem contra parvulos adfert, aut alium quemuis non nisi adultis possibilem, is nimirum vel hoc solo satis declarat se falsitatis magistrum, & à veritate Evangelica alienum.

Si parvuli ideo non baptizandi, quia dicitur: Qui crediderit & baptizatus fuerit salvus erit. Neque salvi erũt, quia dicitur: Qui verò non crediderit, condemnabitur

Alioqui si tu voles, ò Menno, quasi alter Herodes Neoctonos, contra innocẽtes parvulos stringere hunc gladium spiritus impiè usurpatum. Qui crediderit et baptizatus fuerit, salvus erit, ut propterea eos excludas à baptismo & à baptismatis fructu, salute: quòd credere ex auditu nondum possint. Ego vicissim contra tuos parvulos non baptizatos, & propterea mortè dignos, stringam eum gladium spiritus verè et piè usurpatũ, qui sequitur. Qui verò non crediderit, condemnabitur. Nam si præcedens sententia contra parvulos pugnet, quomodo non & hæc posterior? Cùm itaq;

itaque tu dicas, sed erres, paruulos non baptizandos, eò quòd non credant, te ipsum arguis, atque ostendis, paruulos non baptizatos neque fore saluos ob eandē causam, quòd non credant, quodq; non censeantur uenisse ad Christum. Qui enim nō crediderit, inquit Dominus, condemnabitur.

Sin dixeris hoc non spectare ad paruulos: dicam & ego iure optimo neque illud de credentibus baptizādis spectare ad paruulos, cùm sit idem contextus orationis, cuius quidem si prior pars tam cōtra paruulos quàm adultos militet, cur non & posterior? At si dicas alibi dictum esse quòd paruulorum sit regnum cælorum, dicam & ego, ibidem dictum esse, ut sinantur & nō prohibeantur paruuli uenire ad Christum. Non enim quorumuis paruulorum, sed uenientium ad Christum, & non prohibitorum uenire, est regnum cælorum. Vides itaq; opinor, si non sis omnino cæcus, quòd tuo ipsius iudicio, paruuli non baptizati, cùm non credāt, neq; per baptismū uenerint ad Christū, sint condēnandi, quodq; propriæ fidei ignoratio nihil obsit paruulis, quò minus & baptizari debeant, & per baptismum secundum misericordiā Dei possint fieri salui.

Nos uerò nostros paruulos, quamuis fateamur non credere, neque posse credere ex auditu uerbi, ubi tamen in Christo baptizati fuerint tum demū credimus eos esse uerè fideles, & in numero credentium habendos, propter spiritū fidei & promissionis iam in ipsis habitantem, quales erant in Israel & ipsorum paruuli circuncisi. Id ut & tu credas, et desinas esse innocentum truculentus occisor, ecce probabimus ex sacris literis. Mat. 18. & Marc. 9. Qui scandalizauerit unum

Parnuli iam baptizati sunt vere fideles.

de pusillis istis, qui in me credunt, expedit ei ut suspendatur mola asinaria in collo eius, & demergatur in profundum maris. Quid nunc ais, ò Menno? Veni & expunge, si potes, hunc locum duorum Euangelistarum de pusillis credentibus. Neque est quod ullo modo tergiuerseris. Loquitur enim Christus de paruulis adhuc natura innocentibus, & omnis doli expertibus, ad quorum similitudinem uult ut Apostoli fiant malitia paruuli. Neque dicit Christus qui scandalizauerit unum de pusillis talibus, sed de his pusillis in me credentibus, ut manifestè ostendat se los qui de pusillis ætate, quorum naturalis innocentia & simplicitas sit omnibus conspicua.

Loc⁹ 1. Io. 2 de infantib⁹ patrẽ cognoscentibus, excussus.

Præterea primo Iohannis secundo capite: Scribo uobis infantes, quoniam cognouistis patrem. Sic enim habet antiqua, & multis iam seculis trita translatio, quanquam Erasmus uertat Scribo uobis filioli. Quod miror, cùm non eadem dictio græca hic posita sit, quæ supra, cùm inquit Apostolus: Scribo uobis filioli, quia remittuntur uobis peccata: sed eadem quæ Matthæi decimo octauo capite, ubi nos hactenus legimus: Qui susceperit unum paruulum talem in nomine meo, me suscipit, quem locum Erasmus uertit: Qui receperit unum puellum talem in nomine meo &c. & admonet in annotationibus puellum siue puerulum diminutiuè legendum, præsertim cùm idem paulò post uocetur μικρὸς, id est, paruus, qui prius appellabatur παιδίον, id est, puerulus.

Anlectio antiqua & infantes patrẽ cognoscant sit tolerabilis.

Non itaque proprio arbitrio discedendum erat &

à uocabulo Græco (quanquàm παῖς apud Græcos & puerum ætate, & filium, & ministrum significet) & ab antiqua translatione Latina. Nam Græca dictio manifestam diminutionem pueri præfert. Latina autem translatio infantis nomen loco pueruli posuit non sine ratione, ut uidetur.

Nam inuenimus Euangelistas posuisse diminutiuum παιδία, id est, puerulos, & βρέφη, id est, infantes eodem loco, & quasi pro eodem. Quòd enim scripsit Matthæus τότε προσηνέχθη αὐτῷ παιδία, ἵνα τὰς χεῖρας ἐπιθῇ αὐτοῖς tunc oblati sunt ei pueruli, ut manus eis imponeret. Ipsum habet Lucas in hunc modum προσέφερον δὲ αὐτῷ καὶ τὰ βρέφη, ἵνα αὐτῶν ἅπτηται adferebant autem ad eum & infantes, ut eos tangeret. Vides igitur αὐτὰ τὰ παιδία ἐνίοτε μὲν μικρούς, ἐνίοτε δὲ καὶ βρέφη κληθῆναι, id est, eosdem puerulos nunc paruulos, nunc infantes esse appellatos. Sed ad rem.

Mat.19

Luc.18

Quomodo, inquis, pueruli, siue paruuli, seu, quod maius est, infantes cognoscunt patrem, qui necdum uel dextrũ uel sinistrum, imò uix dum proprios parentes norunt? Cognoscũt patrem cœlestem non actu sed habitu (ut sic loquar) hoc est, fide per spiritũ sanctum ipsis infusa, quæ quamuis nondum excat in actum, est tamen ipsis loco cognitionis actualis, propter inhabitantem spiritum in eis, continetq; quasi semen quoddam, in se totum fidei fructum, donec grandescant ipsi, & aures uerbo Dei accommodare possint, ut tum

Quomodo paruuli cognoscant patrem.

tum demum indies magis & magis occurrãt in unitatem fidei & agnitionis filij Dei, in uirum perfectum, in mensuram ætatis plenitudinis Christi. Eph.4

Cognoscere accipitur in scriptura dupliciter.

Quod autem cognoscere aliquãdo in scriptura sic accipiatur patet ex Iohan.14. ubi dicitur. Quo ego uado scitis, & uiam scitis. Et Paulò pòst. A modò cognoscitis eum (scilicet patrem) & uidistis eum. Actu enim non sciebant Apostoli, neque aduertebant quo iret, & quæ esset uia, quemadmodũ Thomas omnium nomine fatetur, dicens: Domine nescimus quo uadis, et quomodo possumus uiam scire: Neq; τῇ ἐντελεχείᾳ seu actu cognoscebant patrem, quemadmodũ indicat Philippus respondens. Domine ostende nobis patrẽ, et sufficit nobis. Cui Dominus, Tanto tẽpore uobiscum sum, & non cognouistis me? Quod igitur Dominus dicit eos scire & cognoscere patrem, & quo uadat, ipsi uerò negant se uosse, eò quòd non in se sentiant ullum actum talis cognitionis, quin quod & ipse Dominus fatetur eos non nosse patrem, ac miratur, quòd tanto tẽpore cum eis fuerit, & ipsi nondum cognoscant eum. Id certum est argumentum, cùm Dominus mentiri nequeat, neque ueri simile sit Apostolos uel mendaciter dixisse se non nosse patrem, uel si actu nouissent, id nõ potuisse in animo sentire (quis enim actu sciat quipiam, qui tamen actu se id nescire neq; sciat, neq; sentiat?) quod cum Dominus dixerat eos nosse patrem, et quo iret, id intellexerit de cognitione habituali (ut sic loquar) quæ nondum poterat in omnibus credendis exire in actũ, sed erat postea ex eodẽ quasi seminario fidei infusæ exitura in actum cognitionis perfectæ, cũ uerò miratur eos Dominus nondum nosse patrem, neq;

sc,

se, atq; ipsi suo se pede metientes fatentur se non nosse neque patrem, neq; uiam, neque quo iret, id intelligatur de cognitiõe actuali. Alioqui uel Christi (quod absit uel cogitare) uel Apostolorum habebis mendacium, quod uidelicet id se negarint scire, quod Christus eos scire dixerat. Sed hunc nodum soluit cognitionis uarietas.

Declaremus id exemplo, Si quis uerè pius et iustus ac spiritu sancto plenus, sine culpa sua, ob cerebrũ ab intemperatis humoribus, uel alio uicio labefactatũ ac corruptum, subitò incidat in grauem lethargum aut incurabilem phrenesim, ita ut ob mentis delirium, penitus & sui & Dei et fidei, omniumq; rerum obliuione capiatur (potest enim id fieri) atq; talem uitam ad multos annos producat, hiccine continuo censebitur, quamuis nihil rerum diuinarum actu sciat, omnem fidem perdidisse, ut si ita moriatur, sine fide sit moriturus? Minime gentium. Quin ego ipse noui quendam uirum doctum, & prudentem, piumq;, qui annis nõ ita multis abhinc, acutissimis correptus febribus, adeo grauiter laborabat, ut septẽ perpetuos dies iacuerit penè stupidus sine uisu, sine auditu, sine loquela, sine omni agitatione animi, quin & sine alimento, nisi quantũ humoris ei calamo instillare poterant, ut singulis momentis animam putasses euolaturam, atq; tandẽ quasi ex grauissimo excussus somno, apertis oculis, ex circunstãtibus rogabat, quota esset hora, ratus uidelicet se non nisi unam aut alteram horam quieuisse. Dicebatq; se nihil scire, quid actum dictúmue fuerit, cùm tamen interim nunquã defuerint, qui ei aliquid boni, ut mos est fieri animam agentibus, acclamarint. An is

Apud D. Augustinum lib. confessionũ. 4. cap. 4. habes simile quidam.

interim, dum ita iaceret captus & mente & sensibus, expers & uacuus fuisse credendus est totius tum cruditionis, tum fidei, tum pietatis, quibus uti nequiuerat? Haud quaquam uerisimile. Constat igitur, si spiritus sanctus nos inhabitet, fidem esse reuera in nobis, à qua dicamur fideles, siue ea uti queamus, siue non.

Sumamus & aliunde ex scripturis testimoniũ pro fide paruulorum in Christo renatorum per spiritũ sanctum. Hier. 31. quem locum usurpat Apostolus ad Hebr. 8. in commendationem noui testamenti ac legis euangelicæ, sic habes: Hoc est testamentum quod disponam domui Israel post dies illos, dicit Dominus, dans leges meas in mentem illorum, & in corde illorum inscribam illas, & ero illis Deus, & ipsi erunt mihi populus. Et non docebant quisque proximum suum, & unusquisque fratrem suum dicentes, cognosce Dominum, eò quòd omnes cogniturí sint me, ab eo qui pusillus fuerit inter eos, usq; ad eum, qui magnus est inter illos, quoniam placatus ero super iniustitijs illorum, & peccatis eorum, & iniquitatum illorum non recordabor amplius. Vsus sum Erasmica uersione, ne quis nodum in sirpo quærat.

Hoc autem propheticum, quamuis neutiquam in hoc mundo ita spectet ad omnes, ut nemini opus esse putemus humana doctrina ad fidem ex auditu uerbi discendam, utque credamus omnes sine pastoribus & doctoribus, ad consummationem sanctorum, in opus ministerij, in ædificationẽ corporis Christi datis, quasi à solo spiritu sancto satis intus docendos. Non sic impij, non sic. Id enim futurum est post hanc uitam, quando uidebimus eũ sicuti est, et cognoscemus eum, sicut

Eph. 4

ſicut cogniti ſumus. Alio tamen modo pertinet ad omnes tam paruulos quàm adultos etiam in hoc mundo, eò quòd fidem habeamus, per ſpiritum ſanctum nobis infuſam, non poteſt docere quiſquam proximum ſuum. Donum enim Dei eſt, non ex operibus, ut ne quis glorietur. Nam uiua fides, quæ eſt lex Dei uiuifica, ſcripta non atramento, ſed ſpiritu Dei uiui (quem alibi uocat digitum Dei) non in tabulis lapideis, ſed in tabulis cordis carnalibus, per baptiſmum in ſanguine Chriſti datur omnibus hominibus, quì modò ſunt ſpiritusſancti capaces. Adultis quidem, non ſine præuia fide, ex auditu uerbi nata, non tamen uirtute & meritò fidei præcedentis, ſed quia ſine auditu, ut diximus, non eſſent ſpiritus ſancti capaces propter impietatis & falſitatis obſtaculum. Paruulis uerò ſine præuia fide, cùm ea non ſit eis ob impoßibilitatem præcepta, ſineq; ipſi ſine hiſtorica fide ex auditu nata ſpiritus ſancti non minus capaces, quàm adulti cum fide.

1.Cor.12 Fidem uiuã nemo poteſt docere proximũ ſuum ſed eã in baptiſmo per ſpiritũ ſanctum accipimus tam magni q̃ paruũ. Eph.2 2.Cor.3

Tu itaque, ò chriſtiane lector, ſi capere non potes, quæ nam poßit eſſe fides in paruulis nihil intelligentibus, hoc ſaltẽ crede, eos per ſpiritũſanctũ inhabitantẽ habere, quicquid ſit ipſis ad ſalutẽ neceſſarium, & imaginare ſpiritum fidei eſſe ipſis abunde loco fidei. Nõ enim neceſſe eſt ut ad plenũ intelligas, quæ ſit fides in Apoſtolis dormientibus, aut in baptizatis infantibus. Sed neceſſe eſt, ut quod nõ intelligis, carpere deſinas, ne ſutor ultra crepidam, quod dicis tur.

Quod obiicit Menno pædobaptisma Apostolorum quidem tempore apud quosdam incepisse, atq; multis iam seculis durasse, & vbique inualuisse, neque ob id tamen esse pium & iustum, id esse nobis validū argumentū, quod sit vere Christianum, ex variis scripturis declaratio, & obiter ex iisdem quod vera Christi ecclesia nunc ab antiquitate & perpetua stabilitate sit agnoscenda. Cap. IIII.

ETiamsi nulla extet scriptura alia, quàm qua pro sua impietate abusus est Menno contra pædobaptisma, quā nos superiori capite, uera spiritus sancti & Ecclesiæ nixi sententia uiolenter ex manibus Mennonianis extorsimus, et euāgelico splendori restituimus, ea tamē uel sola candidis et pijs lectoribus abundè persuaserit pusillos uerè, utiliter, & necessario baptizandos. Nam, ut hoc superioribus dictis addam, ipsa scriptura, de qua disputauimus, satis indicat, quòd sit accipienda secundum possibilitatem & capacitatem uniuscuiusq;, & non secundū eam literam, quæ sit impossibilis. Cùm enim ait Dominus. Euntes in mundum uniuersum prædicate Euangelium omni creaturæ, inde non statim secundum literam intelligimus & pisces maris & uolucres cæli & cuncta animantia terræ esse & docenda & baptizanda. Sed scripturæ literā possibilitate mentientes, intelligimus eas creaturas & omnes & solas esse docendas, quæ sint doctrinæ & fructus eius capaces

Mat. 19

Omni creaturę prædicandū euangelium.

ees, easq; baptizandas, quæ sint & baptismi & promissionis eius capaces, ac proinde pusillos non quidem adhuc docendos, sed modo baptizandos, cùm sint fructus baptismi capaces. Neque eis hanc literam obesse, qui fidem præponit baptismo, magis, quàm illam prodesse piscibus, uolueribus & pecoribus, quæ iubet omni creaturæ Euangelium prædicandum.

Nunc uerò ut & beneuolis & maleuolis, mollibus & obstinatis, pijs & impijs, ex æquo omnibus, quo ad fieri potest, faciam satis, quatuor prætereà modis contendam secundũ scripturas ostendere paruulos in Christo reuera baptizãdos, primò ex antiquitate obseruationis, secundò ex scripturis non minus pædobaptismã quàm pistobaptismã præcipientibus, tertiò ex figuris, quartò ex fructibus baptismi, quorum non minus pusillos quàm maiores natu capaces esse ostendã. Menno enim quamuis ipse fateatur pædobaptismã Apostolorũ tempore apud quosdam incepisse, et multis iam seculis durasse, atq; ubiq; inualuisse, non uult tamẽ agnoscere iustum & pium, tum quia clamitat Romanam ecclesiam esse hæreticam & à Christo penitus alienam, ac proinde falsorum pro ueris obseruatricẽ, tum quia putat pædobaptismã nusquã expresse scriptũ, & propterea antichristicũ, tum quia cõtra scripturam blasphemat paruulos non esse fructus baptismi capaces, quod & multis argumẽtis, sed friuolis nitit ur ostendere.

Quatuor modis declarabitur pædobaptismã uerè christianum esse.

Hæc igitur & omnia & singula sunt discutienda, & æquioribus ueritatis lancibus pensiculanda. Primò autem ex antiquitate ostendendum est paulò latius, q̃ ut huic loco tantũ conueniat, sic nos cogẽte Mẽnone,

non modò pædobaptiſma eſſe pium uereq; Chriſtianũ ſed & Romanã Eccleſiam eſſe uerum Chriſti corpus, idq; non omnibus undecunq; ſumptis rationibus, quas plurimas habere poſſemus, ſed duntaxat ex eo quod ipſa & antiquiſſima ſit, & in eadem fide ſemper ſtetерit, quomodocunq; oppugnata fuerit, quodq; aliæ om-

Omnes quot quot Romanã Eccleſiam oppugnant, ſunt inſtabiles, & diſcordes.

nes adulterinæ congregationes, quæ nunc inſurrexerunt contra Chriſtum & eius ſacroſanctum corpus (ut de ſuperioribus taceam) cum penitus nouæ ſint, & multa noua erroris dogmata inducere tentẽt, non modò quæ nulla obſeruationis antiquitate iam inde ab Apoſtolis ſumpta cõprobentur, ſed etiam quæ fidẽ antiquã hactenus ſemper, et ubicunq; Chriſti nomẽ uerè claruit, obſeruatam, tollant, non ullius ſcripturæ, ſed ſolius mẽdacis cõſcientiæ ſuæ falſo probitatis teſtimonio contra ſcripturam nixæ, neq; habeant neq; habituræ ſint ullum ſtabilitatis ac concordiæ firmamentum. Audiamus igitur primò ipſum Mennonẽ ſuas blaſphemias efflantem, ac deinde ad ſcripturarũ confugiamus aſylum, nec à ueritate nos auelli ſinamus, ſed falſitatẽ ueritate victã ac proſtratã, gladio ſpiritus cõficiamus.

Mennonis blaſphemia.

Quia, inquit, credentes iuſſi ſunt baptizari, et Apoſtoli ita docuerũt atq; uſurparunt, nec ſignificatio aut effectus baptiſmi aliter quàm ſuper fideles intelligi poteſt, cõſtat pædobaptiſma ſatis eſſe prohibitũ, quis ſtatim poſt Apoſtolos, & fortè etiã Apoſtolorũ tempore apud quoſdã inceperit, & nunc multis ſeculis durarit, atq; ubiq; inualuerit. Rurſus alibi: Concludimus et dicimus q, in hoc negotio non poſſumus ſpectare neq; Imperatores neq; principes, neq; eximiæ doctrinæ doctores, atq; ludorũ magiſtros, neq; antiqua concilia,

cõcilia, et cõsuetudines multorũ tẽporũ. Nulla ualet præscriptio contra uerbũ Dei, neq; id uult aut personus, aut locis, aut tẽporibus constrictum, & alligatum esse. Et alibi. Nunc equidem, inquit, uideo claris apertisq; oculis, q̃ totus mundus ab oriẽte ad occidentem, à meridie ad aquilonẽ ex lõgo tẽpore desciuerit à uera fiducia et notitia Domini nostri Iesu Christi. Paulò pòst. Certè eo usq; uentũ est, inter eos qui Christi nomen iactant, ut ne una quidẽ litera mãserit apud eos, nec in fide, nec in charitate, nec in sacramentis, nec in uita, quæ ad Christi uitã quadrent. Prætereà in fundamento de sua doctrina sic loquitur: Gratias agite dilectissimi fratres omnipotenti Deo per Christum Iesum Dominũ nostrũ, q̃ reddiderit nobis uerũ sancti Euangelij lumen, quod multis iam annorũ cẽturijs in obscura tenebrosaq; infidelitatis nocte nunq̃ rectè splẽduit. Iccircò susc ipite, donec luceseat. Item alibi. Ipso Apostolorũ tẽpore ex parte, & cõtinuò post eos inualuit usus baptizandi paruulos, non tamẽ ex Christo. Addã & illud quod habet in libello de uera fide, loquens de libro legis tẽpore Iosue regis reperto, camq; historiã sibi suisq; accommodans, perinde, atq; si ego mihimetipsi attribuerem, quicquid uel Abraã uel Ioseph uel Moses uel Iosue uel Dauid magnificè & laudabiliter fecerit unquam, et dicens: Ecce desitus & perditus liber legis nunc denuò est repertus, nempe consolatorium & saluificum uerbum Domini. Nam quamuis literam ubique locorum penes nos habuimus, ipsum tamen eius uerum ac uiuificum sensum ubique perdideramus. Hactenus ille.

O horrendã blasphemiã. O stupendã cæcitatem ex duobus Confutatio.

Thob.2 duobus potissimùm calidis stercoribus è nido hirundinum in oculos lapsis ortam. Ex impio uidelicet mendacis & fallacis conscientiæ testimonio, de quo alibi diximus. Et ex temerario ac peruerso iudicio aliorũ, non modò eorum qui nunc ubiq; gentium sub Romanæ Ecclesiæ imperio degunt, sed etiam eorũ omnium, qui ab Apostolis ad hæc usq; tempora in Christo mortui sunt. Dum enim toti mundo diuturnos & grauissimos errores impingit, adeò ut secundum Mẽnonem, iam inde à mille quingentis annis, nihil ucrè fidei usquàm locorum fuerit, nisi quòd nunc ante annos plus minus triginta, uerum rursus Euangelij lumen, ueraq; fides ab Apostolis & pauculis eorum discipulis modi eo tempore quondà docta & culta, non in papatu aut lutheranismo, sed inter solos Mennonianos splendere cœperit, quid est hoc aliud, quàm ascendere super altitudinem nubium, & se similẽ reddere altissimo, atq; se iudicem constituere uiuorum ac mortuorum? Quis non uidet huius Antichristi abominabilẽ ante tempus iudicandi temeritatem? Quis non huius Luciferi super altitudinem nubium ascendẽtis intolerabilem elationem, & alios iudicandi atq; damnandi peruersitatem aduertit, horret, detestatur ac fugit? Video, inquit, nc inter mille quidem uel unum inueniri in Romana Ecclesia, qui rectè & ex corde quærat ac desideret ambulare in præceptis Dei: oportet igitur ut cum Christo sedeat Menno ad dextram uirtutis Dei, & desideria cordium, quasi alter Christus, & quarta persona in diuinis, scrutetur & norit, utq; eius non secus atq; Christi sint omnia nuda & aperta oculis.

Esa.14

Menno se Christo & Deosimilem reddit.

Menno se scrutatorem cordiũ facit

Marc.16

Heb.4

Sed unde hanc blasphemiam de secretis cordiũ desiderijs

siderijs iudicãdi hausisse putas? Partim ex seipso. Nã qualis ipse erat dum adhuc esset sub Romana Ecclesia, tales & contectat omnes alios esse. Se enim prædicat fuisse multis horrendis sceleribus plenũ, priusquàm decideret à Romanis, idq; quodãmodo imputat fidei & Ecclesiæ Romanæ, quasi ea ex se ita sit inutilis & impia, ut impios esse oporteat, quicunq; eam colunt. At eodẽ argumento Iudas iudicasset fidem Christi esse & auaritiæ & perditionis effectricẽ. Partim ex alijs, quorum uidet quosdã esse in Romana Ecclesia moribus & uita corruptißimos perditißimosq;: unde suspicatur et reliquos omnes et nũc esse et ante nos fuisse tales, ac proinde fidem eorum omnium esse & fuisse falsam & impiam. Quid est hoc aliud, quàm si quis ex uno Iuda omnes Apostolos, ex uno Nicolao omnes diaconos, ex uno Simone Mago omnes in Christo baptizatos, deniq; ex quinq; fatuis uirginibus omnes uirgines clamitare uelit fatuas & impias?

Vnde sumpserit Mẽno iudicium de secretis cordium.

Ex se iudicat alios.

Ex paucis iudicat omnes

Iohan.13

Act.6

Act.8

Mat.25

Si autem ex seipso prius scelerato iudicat omnes esse scelestos, & ex quibusdam malis, qui quidem sint ei noti, esse malos omnes, quantumuis ne de facie quidem sibi cognitos. Cur non et ex seipso nunc bono (ut sibi falsò persuadet) iudicat omnes bonos? Imò cur non ex multis suæ sectæ flagitiosißimis, iudicat omnes Mennonianos esse flagitiosos? In promptu ratio est, quia quos amamus, ad eorũ uitia quantumuis grauißima facilè cõniuemus. Et quos odimus, eorum uel leuißimus mirum in modum offendimur næuis. Prophetico spiritu plenißimus Helias, dũ humano iudicio putaret, neminem propter se reliquum esse, qui non eurauarit genua ante Baal, diuino oraculo erroris admoni-

3.Reg.19

tus

tus didicit septem adhuc esse milia, qui in ueritate steterint, datus nimirum nobis exemplo, ne nos, qui non sumus spiritu prophetico illuminati, unquàm temere iudicare & damnare populum Domini. Si & nũc Deo uisum esset, suo oraculo nobis aperire, quot ipse sibi seruarit uere fideles & acceptos, non dubitarem quin non modò septem milia, sed amplius septies centena mille milia esse audiremus, qui non sint ita impij, ut Mẽno blasphemat. Nos ipsos quidẽ, fatemur, fide à Mẽnonianis longè lateq; discrepare, sed in hoc nos beatos iudicamus, cũ ipsorũ fides sit mera perfidia, et mẽdax impietas, ut in superioribus ex magna parte ostẽdimus, et adhuc magis ostendere pergemus.

Hæc igitur missa faciẽtes ueniamus ad præcipuam eius blasphemiam, & ostendamus secundum promissionem Dei in scripturis abundè reuelatam, impossibile esse, quòd hactenus errarit totus mundus, impossibile esse quòd nũc aliqua exoriatur fides, à qua omnes maiores nostri contrarium sint opinati, impossibile esse quod nunc uera Christi Ecclesia credatur esse, quæ nullum antiquitatis uestigium habeat. Accingamur igitur gladio spiritus, & hanc uirulentam uiperam conficiamus. Ecce autem hic gladius, quo bellicosissimus Dauid percussit Goliath Philistæum, in ualle Terebinthi, est inuolutus pallio post Ephod. Hoc armati procedamus aduersus Philistæum hunc. Quis est enim hic Philistæus incircumcisus, qui exprobrauit aciem Dei uiuentis, & dixit: Multis iam seculis regnum Dei fuisse in hoc mundo deletum? fidem fuisse penitus mortuam? Euangelij lucem extinctam? domúmque Iacob desolatam dissipatámque? neque quemquam

Non potest nunc esse fides aliqua, à qua oẽs maiores nostri contrarium sint opinati

1. Reg. 21

1. Reg. 17

quemquam in toto exercitu Domini fuisse, qui sui Imperatoris signa secutus sit? Inserc manum tuam, ò fortißime Dauid, in peram tuam, & exime aliquot limpidißimos lapides, quos funda iacius in frontem huius Philistæi.

Psal.116. Laudate Dominum omnes gentes, laudate eum omnes populi. Quoniam confirmata est super nos misericordia eius, & veritas Domini manet in æternum. Necdum, ò frons obdurata, sentis te læsam? Sentis, opinor, sed dißumulas, ne prostrata uideare. Propheta Domini, qui mentiri nequit, prædicit misericordiam Domini super gentes confirmatam. Tu uerò, ò os impudens, blasphemas, non fuisse confirmatam, sed multis iam seculis ablatam. Propheta prædicit ueritatem Domini manere in æternum. Tu contrà dicis, omnem ueritatem Christi adeò iacuisse desitam, ut ne una quidem litera fidei superfuerit. Non est autem quòd hunc ictum declines, quasi nihil ad te pertineat, quod propheta cecinit. Nam ipse Apostolus Paulus Ro.15. hanc propheticam scripturam pro Ecclesia Christi ex gentibus congregata usurpat. O itaque frons effrõs, ò frons perfricata, si necdũ te tui pudet.

Prima probatio, quod fides Christi nũq; post Apostolos fuerit extincta, sed semper floruerit

Iaciat Dauid noster & alterũ lapidẽ, ut si nõ emolliat (qđ absit) hanc adamantinã frontẽ, saltẽ obtũdat. Psal.44. Pro patribus tuis nati sunt tibi filij, constitues eos principes super omnẽ terrã. Memores erunt nominis tui Domine in omni generatione et generationẽ. Propterea populi confitebũtur tibi in æternũ & in seculũ seculi. Quomodo itaq; non falsum fuerit & impium dicere, quod iam multis generationibus, quos ipse constituerat principes super omnem terram, non

Secunda probatio.

fuerint

fuerint memores nominis Domini? quodq; populi multis iam seculis non sint confessi dominum? Si enim uera Euangelica iacuit sepulta plus minus mille quadringentos annos, mendaciter uaticinatus est propheta in spiritu sancto, quòd populi confitebuntur Domino in seculum seculi, propterà quòd & ipsi Ecclesiæ principes memores erunt nominis Domini in omni generatione usque ad extremam generationem, quasi dixisset, iccircò populus nunquàm cadet à confessione Domini, quia secundum cõstitutionem Dei, semper habebunt principes, eosq; pastores & doctores, qui memores esse nominis Domini nũq; cessabũt, populũq; ad perpetuam confessionẽ extimulare pergent prædicando uerbũ, instando oportunè, importunè, arguẽdo, obsecrando, increpãdo, in omni patientia et doctrina.

Eph.4

2.Tim.4

Quòd autem hæc perpetua confessio Domini sit quoq; in hoc mũdo futura, usque ad consummationem seculi, manifestè docet propheta addens in omni generatione. Nam in cælo non erit amplius generatio, & uocans eos principes cõstitutos super omnem terrã. Nam in cælo non erũt principes, sed ipse Deus omnia in omnibus. Quoniam agnus qui in medio throni est, reget illos, & deducet eos ad uitæ fontes aquarum, & absterget Deus omnem lachrymam ab oculis eorũ Apoc.7. Super hanc itaq; terram, ubi adhuc generatio succedit generationi, ubi & principes à Deo constituti sunt, non tam illi, qui non sine causſa gladium portant, quàm ij, quos spiritus sanctus posuit Episcopos regere Ecclesiam Dei, quam Christus acquisiuit sanguine suo, ita confirmata est misericordia Domini & ueritas, assidua præsentia & adminiculo spiritus

Rom.13
Act.20

sancti

ſancti nunquam eccleſiã ſuam diſſerentis, ut & prin-
cipes ſemper ſint Dei memores futuri, neque populi
unquam non confeſſuri nomen Domini.

Non eſt autem quod dubitet quiſquam hunc eſſe
ſenſum prophetæ. Totus enim ille Pſal. 44. aperte
loquitur de Chriſto & eius eccleſia, & de Apoſtolis
Chriſti eorumq; ſucceſſoribus. Nam Chriſtum uocat
ſpecioſum forma præ filijs hominũ, cuius in labijs dif-
fuſa ſit gratia, propter quã & benedixerit eum Deus
in æternum, atq; unxerit eum oleo lætitiæ præ conſor-
tibus ſuis, uel Apoſtolo teſte ad Heb. 1. Eccleſiã Chri-
ſti uocat filiam, cuius decorem rex ipſe concupiſcat.
Et reginam ueſtitu deaurato, circũdatam uarietate.
Apoſtolos autem & eorum nepotes ſeu poſteros uo-
cat filios Eccleſiæ, natos pro patribus, hoc eſt, pro pa-
triarchis atque prophetis, quos & principes appel-
lat conſtitutos ſuper omnem terram. Nam in omnem
terram exiuit ſonus eorum, iuxta ſcripturã dicẽtem:
Principi populi tui non maledices. Quam ſane ſcri-
pturam ſi Apoſtolus de Annania ſacerdotum ſangui-
nariorum principe intellectam non refutauit, ſed cõ-
ceſſit, nõnne multò rectius de noſtræ eccleſiæ princi-
pibus intellexeris, præſertim dicẽte Chriſto ad Petrũ
Apoſtolorum primum. Paſce oues meas, & ad omnes.
Vos eſtis ſal terræ, Vos eſtis lux mundi. Quæcunque
alligaueritis ſuper terram, erunt ligata & in cælo. Et
quæcũq; ſolueritis ſuper terrã, erũt ſoluta & in cælo?

Speciosus forma præ filijs hominum.

Eccleſia eſt filia & regina.

Principes.

Pſal. 18
Exod. 22
Act. 23

Iohan. 21
Mat. 5
Mat. 18

Ecce aũt, ò inuictiſſime propugnator Dauid, adhuc
palpitat Philiſtæus iſte, iam ſemel atque iterum pro-
ſtratus, ac ſe denuo in pedes erigit, non ſua ſed Draco
nis uirtute. Nam uidi unum de capitibus eius quaſi oc-

Apoc. 13

cisum in mortẽ, at plaga mortis eius curata est. Eiusmodi arcu ita q; & tertium lapidẽ, imò non unum sed multorum potius limpidissimorũ lapidum uim atq; granidinem immensam, quibus uel uictus cedat, uel impia pertinacia se obduratum cognoscat.

Tertia probatio ex multis scripturarũ propheticarum oraculis.

Psal.45. Fluminus impetus lætificat ciuitatẽ Dei, sanctificauit tabernaculum suum altissimus. Deus in medio eius, non commouebitur, adiuuabit eam Deus mane diluculo. Ciuitas autem Dei quæ sit, neminẽ esse puto, qui ignoret, dicente Apostolo 1. Tim. 3. Hæc tibi scribo fili Timothee, ut scias quomodo oporteat te in domo Dei conuersari, quæ est ecclesia Dei uiui.

Ciuitas & domus Dei ecclesia.

Hanc igitur ciuitatem Dei assiduus lætificat impetus fluminis, hoc est, uirtus spiritussancti, Iohan. 7. quem admodum Christus iam iam abiturus promiserat suis discipulis dicens: Paracletũ dabit uobis pater, ut maneat uobiscum in æternum. Nam hoc est, quod sequitur Deus in medio eius, non commouebitur ipsa uidelicet ciuitas Dei Dominus enim uirtutum nobiscum. At si Deus pro nobis, quis contra nos?

Iohan. 14

Rom. 8

Psal. 124

Psal. 144

Et alibi, Dominus in circuitu populi sui, ex hoc nunc & usque in seculum.

Regnum tuũ regnũ omniũ seculorũ & dominatio tua in omni generatione & generatione. At adiecit in maiorem rei confirmationẽ, Fidelis Dominus in omnibus uerbis suis.

Psal. 78

Iterum, Nos autem populus tuus & oues pascuæ tuæ confitebimur tibi in seculum seculi. In generatione & generationem annunciabimus laudem tuam.

Psal. 71

Psal. 93

Rursus, Tota die benedicens ei, hoc est, donec hodie cognominatur. Heb. 3

Iterum

Iterum, Non repellet Dominus plebem suã, & hæreditatem suã nõ derelinquet, quo ad usq; iustitia cõuertatur in iudicium, id est, donec filius hominis ueniat in maiestate sua iudicaturus uiuos & mortuos. Quæ est autẽ hæreditas Domini, nisi de qua dicitur. Postula à me, & dabo tibi gentes hæreditatem tuam? Et alibi, Elegit Dominus Sion, elegit eam in habitationẽ sibi. Et paulò pòst. Hæc requies mea in seculum seculi, hic habitabo, quoniã elegi eam. Viduæ eius benedicens benedicam, & pauperes eius saturabo panibus. Sacerdotes eius induam salutari, & sancti eius exultatione exultabunt. Illuc producã cornu Dauid, paraui lucernam Christo meo. Manifestum est autem quod loquitur de ecclesia adhuc militante, & inter hostes uersante. Nam sequitur. Inimicos eius induam confusione. Et præcedit de uiduis benedicẽdis, & pauperibus saturandis. In cælo non erunt pauperes, non erunt uiduæ. Prius me dies deficiat, quàm huius prophetæ omnia testimonia pro ecclesiæ perpetua stabilitate facientia enarrem. Mat.25 Psal.2 Psal.131

Ecce autem hæc & id genus alia multa eiusdẽ prophetæ uaticinia falsa erunt, si uerum dixisse censebitur Menno, quod ne una quidem litera uerè fidei multis iam seculis fuerit in mũdo. Sed absit ut spiritus ueritatis mẽdacio ullo credatur usus fuisse. Absit ut Dominus uirtutũ eiuitatẽ suã dereliquisse blasphemetur quã se semper defensurum toties promisit. Si autẽ totus mundus tãto tẽpore, & eæco iacuit sepultus errore, nimirũ ciuitas Dei fuit expugnata, & portæ inferi prævaluerunt aduersus ecclesiã. At portas infernas aduersus eam nõ prævalituras, ipse promisit Christus, Quarta prõbatio. Mat.16

& sine dubio uerba sua non fecit neq; faciet irrita.

Quinta probatio ex Psalmo 88. Roma. 8 Heb. 1

Item quoque pater Dauidi suo, Dauidi inquam illi quem primogenitum posuit in multis fratribus, excelsum præ regibus terræ, hoc est, Christo Iesu filio suo unigenito promisit, in æternum se seruaturum illi misericordiam suam, & testamentum fore fidele ipsi, & se positurũ in seculum seculi semen eius (hoc est christianos) & thronum eius (id est Ecclesiam) sicut dies cœli. Si autem dereliquerint filij eius legem ipsius, & in iudicijs eius non ambulauerint. Si iustitias eius prophanauerint, & mandata eius non custodierint, se uisitaturum in uirga iniquitates corũ, & in uerberibus peccata eorum. Misericordiam autem suam nõ dispersurum ab eo, neque nociturũ in ueritate sua. Neque prophanaturum testamentum suum, & quæ procedunt de labijs suis non facturum irrita. Semen eius Dauid (id est Christiana natio) in æternum manebit, & thronus eius sicut sol in conspectu Dei, & sicut luna perfecta in æternum. Quis autem thronus eius, q̃ ut diximus, ecclesia Dei uiui, columba, amica, sponsa, formosa, regina, & filia: Nam sedes sapientiæ, anima iusti. Sap. 7.

Semẽ Dauid Christiani.

Thronꝰ dei ecclesia. Cant. 2 Psal. 44

Quanuis itaq;, ò Christiane lector, peccatis nostris iram Domini contra nos irritauimus & exacerbauimus, ut merito tradamur & obijciamur nunc bellis, nunc pestibus, nunc hæreticis, aut alijs nos nostraq;, quo ad possunt, diripientibus, ex promissionibus tamen nobis in scriptura reuelatis, stabilem fiduciam, imò & firmam fidem habemus ecclesiam Christi à spiritu sancto nunquam uel unum diem destituendam ac deserendam. Nihil itaque timeamus. Plures enim

4. Reg. 6

nobis

nobiſcum ſunt quàm cum illis. Dominus uirtutum no- Pſal.45
biſcum, ſuſceptor noſter, liberator & protector no- Pſal.143
ſter, firmamentum & refugium noſtrum, turris forti- Pſal.17
tudinis noſtræ & cornu ſalutis noſtræ Deus. Ecce au- Pſal.60
dies enim mons plenus equorum, & curruum igneorum in 4. Reg.6
circuitu noſtro. Non enim commouebitur in æternũ, Pſal.124
qui habitat in Hieruſalem. Montes in circuitu eius,
& Dominus in circuitu populi ſui ex hoc nunc, & uſ-
que in ſeculum. Ecce adſunt propugnácula exercitus
noſtri tutiſſima atque firmiſſima Eſaias, Hieremias,
Zacharias, Michæas, aliíq; plurimi. Adeſt nobis &
Paulus non infimus athleta, & quem primo nominatũ
oportuiſſet, Chriſtus Ieſus. Hi omnes ſtant in procin-
ctu pro nobis pugnaturi. Nos duntaxat quod noſtra- Ezech.18
rum eſt partium proijciamus à nobis iniquitates no-
ſtras, in quibus præuaricati ſumus, & faciamus nobis
cor nouum, & ſpiritum nouum, ut quod fide adhuc te
nemus ſemperq; tenuimus, id etiam operibus præſte-
mus. Atque ſic ſtemus, & uideamus magnalia Dei.
Eſaias enim bene armatus prodit, ciuitatem Dei ſine Exod.14
dubio fortiſſimè defenſurus cum inquit cap. 59.

Timebunt qui ab occidente nomen Domini, & qui Sexta proba
ab ortu ſolis gloriam eius cũm uenerit quaſi fluuius tio q̃ fides ſi
uiolentus, què ſpiritus Domini cogit, & uenerit Sion des Apoſto-
redemptor. Et eis qui redeunt ab iniquitate in Iacob lica neq; ha-
dicit Dominus. Hoc fœdus meum cum eis dicit Domi- ctenus neq;
nus. Spiritus meus qui eſt in te, & uerba mea quæ po- poſtquã vn
ſui in ore tuo, non recedent de ore tuo, & de ore ſe- quã delebit.
minis tui, dicit Dominus, à modo, & uſq; in ſempiter-
num. Huc adſis ò Menno, et hanc ſcripturam, ſi potes,
expũge. Tu dicis ſine ullius ſcripturæ teſtimonio mul

tis iam seculis euangelij librum fuisse perditum, hoc est, uerum Euangelij intellectum non fuisse ulli hominum in toto mundo, non Augustino, non Hieronymo, non Chrysostomo, aut alicui alij ex patribus apertum & cognitum. Idq; dicis te claris & apertis uidere oculis.

Spiritus sanctus in Apostolos missus nunq̃ ab eorũ semine recedet. Luc.1 Rom.5 1.Pet.5

At diuinus Propheta longè aliud & præuidit & prædixit, quòd uidelicet postquàm redemptor Sion, id est, Ecclesiæ suæ, Christus Iesus uenerit, quem instar uiolenti fluuij totum mundum suæ doctrinæ diluuio perfundentis spiritus Domini uenire coget. Nam conceptus de spiritu sancto tantopere commendabit suam charitatem, ut iustus pro iniustis mori non refugiat. Tunc tale fœdus pereutiet Deus omnipotens cum populo in Christum crediturò, ut spiritus eius, quem uberrimè in suos Apostolos est effusurus, & uerba eius, quæ Christus ipse est docturus & miraculis confirmaturus, hoc est, ut Euangeliũ salutis, nõ sit recessurum in æternũ, non modò ab Apostolis ipsis, in

1.Cor.4

quorum ore ponetur, sed etiam ne à semine quidem eorum, quos scilicet illi in fide per Euangelium sunt genituri. Nónne hæc omnia facta esse credimus, quamuis Menno hoc postremum de perpetuitate & firma stabilitate Ecclesiæ, impio ore & propheticis oraculis contrariò neget?

Septima probatio.

Quid est autem aliud, quod dicit Propheta, uerba Dei non recessura ab ore & Apostolorum & seminis eorũ à modo & usq; in sempiternum, q̃ quòd Christus

Mat.28

ipse nõ minus apertè promisit: Ecce ego uobiscũ sum omnibus diebus usq; ad consummationem seculi? At si liber legis Euangelicæ iam multis annorum centurijs

fuit

fuit perditus,& nunc demum à paucis inuentus,mendax est Christus,quòd dixit se omnibus diebus mansurum cum Apostolis & eorum nepotibus, mendax est propheta,qui prædixit spiritum Apostolicũ neq; ab Apostolis ipsis,neq;ab eorũ semine recessurũ unquã.

Cùm itaq; Esaias affirmet, & post eum ipse Christus nonnihilo certius & apertius, spiritum diuinum, & uerba euãgelica in semine Christiano permansura semper, idq; triplici uiolentissima asseueratione confirmet,ter dicendo,Dominus dicit, quasi dicat, pater dicit,filius dicit,& spiritus dicit.At Mẽno dicat contrarium non fuisse neq; Christum, neque spiritum,neque euangelium,neq; fidem, imò neq; uel unam literã fidei multis iam annorum centurijs in ullo hominum, utri potius credas?Huicne Antichristo Mennoni,qui se Christo similem reddere tentat,dum se iudicem statuit omnium hominum non modò nunc uiuentium sed etiam mille quadringentis ab hinc annis uita hac defunctorum?an potius diuino prophetæ, qui uidit dominum sedentem super solium excelsum?aut ipsi Christo,qui sedet ad dextram patris in excelsis?Certè fieri non potest ut utriq; simul credas,& Mennoni dicẽti librum euangelij fuisse perditum, & Esaiæ dicenti uerba euangelica & spiritũ sanctum non recessurum à Christianis unquam. Si uerum dicit Menno, quod absit,mentitur propheta.Sin uerax est propheta Domini, & Christus ipse mendax est Menno, in spiritum sanctum blasphemus, & scripturæ sacræ impius negator, eò quòd dixerit, quòd statim post Apostolos spiritus in mundo esse desierit, deseruerítque corda fidelium, propterea quòd pædobaptisma Mt.6 Heb.1

Pædobaptisma, vel ob antiquitatis commendationem esse Christianũ.

tam diu fuisse in usu omnium uideat et fateatur, idq; nihil omnino hæretica impietate, putet esse impiũ, eũ potius debebat uel ex eo solo putare piũ, quod tã diu durarit in toto mundo, & ubique ab omnibus ut Christianum sit obseruatum etiamsi nullam haberet scripturam quæ expressam eius mentionẽ faciat, nisi has antiquitatis commendationes ex propheticis oraculis confirmatas.

Iacob. 2

Ex his enim nunc euidentißimè & ualidißimè cõstat id totum esse pium & uerum et diuinum & christianũ, quicquid ut tale, iam inde uel à mille annis, ubicunq; Christi nomen claruit, creditum, doctum atq; obseruatum est. Constat etiam, quod nec minimũ, quippiam à populo Dei, ubiq;, ut uerè credendũ & obseruandum, sit receptum, in quo erratum sit ab ecclesia Dei. Nam qui offendit in uno, factus est omnium reus. Constat præterea quod ecclesia Dei, quæ nunc sit habenda uera & legitima, non sit noua & recens orta, sed fuerit semper ab Apostolorum tempore ad hanc usque nostram ætatem, in eiusdem fidei perpetuo flore atq; uigore, neq; uel unum diem iacuerit ab infidelitate uicta, prostrata, mortua atq; sepulta.

Octaua probatio. Mat. 7

Alioqui fuisset Christus, quod horrent aures audire similis uiro stulto, qui nõ ædificasset domum suam super firmam petram sed super arenam, ita ut eum descendissent pluuia & uenissent flumina, & flauissent uenti, & irruissent in domum eius eccidisset, ut Menno blasphemat: Imò potius cùm sit prudentißimus architectus, ita fundauit domum suam super petram, ut nulla persecutionum, tentationum, hæreseon aut schismatũ tempestate ingruente, cadere quiuerit

uerit, idq; non nostra, sed eius uirtute ac præsidio, qui promiserat. Super hanc petram ædificabo Ecclesiam meam, & portæ inferi non prævalebũt aduersus eam. Mat.16

Nona probatio.

Nam Sapient.4. Adulterinæ plantationes non dabunt radices altas, nec stabile firmamentum collocabunt. Etsi in ramis in tempore germinauerint, infirmiter positæ à uento cõmouebuntur, & à nimietate uentorum eradicabuntur. Quomodo igitur potuisset hæc nostra Romanæ Ecclesiæ plantatio, tam diu firmas egisse radices, tam diu floruisse, si eam non plantasset pater cælestis? Quotquot enim se huic nostræ fidei opposuerunt unquàm, ne in minimo quidem nostram aut mouerunt aut mutarunt aut læserunt, sed ipsi tanquã fœnum uelociter aruerunt, & quemadmodum olera herbarum citò deciderunt. Nos uerò semper inuicti & stetimus, & adhuc stamus, ac perpetuò stabimus, præsidio diuino fulti, secundum promissiones Ecclesiæ Dei à Deo suo factas, & non secundum testimoniũ cõscientiarũ nostrarũ, quasi à spiritu sancto profectũ. Psal.36

Ex scripturæ scimus ecclesiã esse stabilẽ & perpetuã: nemo tamẽ sibi ipsi tribuit stabilitatẽ ac perpetuitatem.

Neq; hæc dixerim, quòd uel ego mihi, uel alius quisquis sibi arroget perpetuam stabilitatem, quasi nos singuli dicere audeamus cum Apostolo, nos certos esse, quòd nulla creatura poterit nos separare à charitate Dei, quemadmodum Menno de se multa cum impietate scripturis contraria blasphemat. Sed dicimus Ecclesiam Christi nunquàm à charitate Dei, nunquàm à uera fide casuram. An autem ego semper sim in Ecclesia Dei mansurus, quemadmodum me adhuc esse spero, ne quaquàm me scire, mihi arrogo.

Ecclesia sint semper incõspicuo posita.

Dixeris fortè hactenus quidem fuisse domum Dei stabilem & firmo fidei tibicine fultam, sed latuisse, et non

non fuisse conspicuam multis seculis, nunc verò ex tenebris iterum emergere. Sed contrariũ habes Mat. 5. Non potest ciuitas abscondi supra montem posita.

Psal.86 Quomodo ergo potuisset hactenus abscondi ciuitas Dei, de qua gloriosa ab omnib⁹ prophetis dicta sunt, in qua homo natus est Christus Iesus, quã et fundauit

Dan.2 altissimus, super lapidẽ illũ, qui excisus est de monte sine manibus, qui & percussa statua, factus est mons magnus, & impleuit uniuersam terrã, cuius et funda-

Apoc.21 Psal.86 menta duodecim in montibus sanctis, cuius denique portas, diligit Dominus super omnia tabernacula Iacob, quomodo inquam potuisset tanta ciuitas abscon-

Mat.5 di? Non enim accendunt lucernam, & ponunt eam sub modio. Quomodo ergo ueri similem quẽd Christus suã lucernam, suum inquam uerbum Euangelij, quæ est

Psal.118 lucerna pedibus nostris, uel penitus extinxerit, uel absconderit sub modio, & non posuerit super candelabrum, ut intrantes uiderint lumen? Prædixerat Da-

Mat.5 Psal.88 uid propheta, ut audiuimus, thronum Christi, quæ est eius Ecclesia, sicut solem in conspectu Dei, & sicut lunam perfectam in æternum fore. Quis igitur hunc solem extinguere? quis mundo auferre potuit, ut non

Mat.18 splenderet? Quomodo diceret Christus, die Ecclesiæ, si ea lateret? Quomodo Caius fuisset hospes non

Rom.16 modò Pauli, sed & uniuersæ Ecclesiæ?

Sed reuertamur ad Esaiam, & spectemus quàm indefesso labore aduersarios & suos & nostros profligare pergat, & ad unum delere omnes, Capite enim trigesimo ait:

Decima probatio. Populus Sion habitabit in Hierusalem. Plorans ne quaquam plorabis, miserans misercbitur tui. Ad uocem

eem clamoris tui statim ut audierit, respondebit tibi: Et dabit tibi Dominus panem arctum, & aquam brevem. Et non faciet avolare à te ultra doctorem tantum, & aures tuæ audient verbum post tergũ monentis: Hæc est via ambulate in ea, & non declinetis neq; ad dexteram neq; ad sinistram. Quis nescit Sion significare Ecclesiam Dei? Quis nescit et esse quandã Hierusalem liberam, quæ sursum est, quæ est & mater nostra? In hac Hierusalẽ habitabit populus Sion. Nostra enim conversatio est in cœlis, unde et salvatorẽ expectamus Dominum nostrum Iesum Christum. Huius autem populi, qui habitat in Hierusalem, usq; adeò miseretur Dominus, ut statim ad vocẽ clamoris eius exaudiat, non quidẽ statim omnia pericula, schismata, atq; hæreses, quæ Ecclesiam miserè affligunt, penitus auferens, sed ea in salutem populo suo vertẽs, impijs uerò in condemnationẽ. Diligentibus enim Deum omnia cooperantur in bonum, sicut peccatoribus omnia convertuntur in mala Eccles. 39. Quis ita?, tam impius fuerit, ut dicat Dominum suæ promissionis ita oblitum, tam durum, atque immisericordem, ut tam multos quotidie & quotannis fuisse in nomine suo congregatos passus sit iam inde à mille quadringentis annis, & non exaudierit eos multis ardoribus clamantes?

Sion Hierusalẽ. Gal. 4 Philipp. 3

Rom. 8

Quòd Menno blasphemat nos voce externa, & non spiritu orare, in eo se declarat furem, ut qui Christo auferre tentet, quod est ipsius solius. Non enim Menno, sed Deus est scrutator, & iudex cordium.

Iohan. 10

Vide nunc, ô lector, quid Propheta dicat de Eccle

sia,

fia, adijciens doctorem Ecclesiæ nunquàm auolaturũ, & oculos nostros semper uisuros præceptorem nostrum, auresq; audituras uerbum post tergum monentis. Quid est hoc aliud, quàm quod dixit Christus: Paracletum dabit uobis, ut maneat uobiscum in æternũ, Et ecce ego uobiscum sum omnibus diebus usque ad consummationem seculi?

Iohan.14
Mat.28

Roges forsan, quomodo oculi nostri uideant hunc præceptorẽ semper, & quomodo audiant aures? Deũ enim nemo uidit unquàm. Respondeo semper fuisse atq; futuros esse usq; ad consummationẽ seculi, Apostolorum loco, pastores atq; doctores, in quibus Christus habitet per fidem, per quos spiritus sanctus docturus est omnem ueritatem, neque unquàm docere cessabit, donec omnes occurramus in unitatem fidei & agnitionis Dei, in uirum perfectũ, in mensuram ætatis plenitudinis Christi. Hos itaq; ubi uideris, iubet prophetа accipiendos, atq; si ipsum Christum & spiritũ sanctum uideris, teste Apostolo cũminquit: Sicut Angelum Dei accepistis me, sicut Christum Iesum. Et Domino: Qui uos audit, me audit.

Iohan.1

Eph.4.
Eph.3
Iohan.16

Eph.4

Gal.4
Luc.10

Quod itaq; blasphemas, ò Menno, hactenus totum mundũ errasse, donec tu ueniisses, contra spiritum sanctum blasphemas, & Prophetam Domini facis mendacem. Reuertere itaque in gremium Christi, & quære Ecclesiam, quæ hactenus semper in una fide stetit immobilis. Hæc est enim uia, inquit Propheta, ambulate in ea, & non declinetis neq; ad dexteram, neq; ad sinistram. Excinde autem & exue omnem nouam opinionem, cuius nullum inuenis apud patres antiquitatis uestigium, imò cui multis iam seculis contrarium à maioribus

Esa.30
Noua suspecta, antiqua & trita vbique inter Christianos tuta, præsertim scriptura cõsciente

ioribus nostris creditum, doctum atque obseruatum offendis. State super uias, inquit, Hieremias, & uides te, & interrogate de semitis antiquis, quæ sit uia bona, & ambulate in ea, & inuenietis refrigerium animabus uestris. Nequaq̃ igitur noua dogmata & hactenus inaudita quærẽda. Rursus alibi: Interroga patrem tuum et annũciabit tibi, maiores tuos, & dicent tibi. Iterum: Interroga generationẽ priſtinam, & diligenter inueſtiga patrum memoriã. Quomodo igitur conc̃eptis patribus, noua quærimus atq; effingimus? Præterea Prouerb. 22. Ne transgrediaris terminos antiquos, quos posuerunt patres tui. Item: Audi fili mi doctrinam patris tui, & ne dimittas legẽ matris tuæ, ut addatur gratia capiti tuo, & torques collo tuo Prouerb. 1. quaſi dicat, nequaq̃ audias eos, qui fingũt inaudita, et à patribus aliena, quiq; gaudent noui authores haberi. Hier. 6 Deut. 32 Iob. 8

Redeamus ad Eſaiam, & ipſius inuictam fortitudinem pro aris & focis nostris gnauiter pugnantis læti contemplemur, cùm inquit cap. 62. Vndecima probatio.

Propter Sion non tacebo, & propter Hieruſalem non quieſcã, donec egrediatur ut ſplẽdor iuſtus eius, & ſaluator eius ut lampas accendatur. Et uidebunt gentes iuſtum tuum, & cuncti reges inclytum tuum. Et uocabitur tibi nomen nouum, quod os Domini nominauit. Et eris corona gloriæ in manu Domini, & diadema regni in manu Dei tui. Non uocaberis ultrà derelicta, & terra tua non uocabitur amplius deſolata. Sed uocaberis uoluntas mea in ea, & terra tua inhabitata. Quia complacuit Domino in te &c. Paulò poſt. Super muros tuos Hieruſalem conſtitui cuſtodes,

des, tota die & tota nocte in perpetuũ non tacebunt.

Ecce, ò Menno, *hæc est fiducia nostræ Ecclesiæ, hoc est argumentum certissimum, non uestras nouas & adulterinas conspirationes aduersus Romanam Ecclesiam, esse corpus Christi, sed nostram antiquam & immobilem Ecclesiam, super cuius muros tota die pacis, & tota nocte tribulationis ac persecutionis semper constituti fuerunt custodes, qui nunquàm hactenus tacuerunt, neque posthac sunt tacituri, esse ueram Ecclesiam Christi.*

Tota die & tota nocte non tacebũt custodes.

Apocal. 2

Nunc qui habet aures audiendi audiat, *quid spiritus sanctus dicat Ecclesiæ, & quid spiritus malignus contra eam blasphemet. Hic enim polluto & impio ore blasphemat, quòd multis iam seculis Ecclesia Dei in hoc mundo diruta atque deleta iacuerit, quodq; ne una quidem littera fidei usquam gentium fuerit. Spiritus autem sanctus iterum atque iterum clamat prosmisisse Deum, quòd Ecclesia, in qua saluator ut tam pas accensus fuit, quam & os Domini nouo nomine illustrauit, uocans Christianam ab ipso Christo eius capite, sit corona gloriæ, & diadema regni in manu Dei sui, quod non amplius derelicta aut desolata, sed uoluntas Dei in ipsa sit uocanda, quodq; habitura sit suorum murorum custodes uigilantissimos.*

Custodes murorum Psal. 90

Qui nam sint hi custodes rogas? Profectò & angeli, *quibus mandatum est de nobis ut custodiant nos in omnibus uijs nostris, & ij de quibus Malachiæ secundo capite: Labia sacerdotis custodiunt scientiam, & legem requirunt ex ore eius, quia Angelus Dominus exercituum est, & ad Ephesios quarto capite: Ipse dedit quosdam quidem Apostolos, quosdã autem prophetas*

phetas, alios uerò Euangelistas, alios autem pastores atque doctores, ad consummationem sanctorum.

Manifestum est itaque ex Apostolo pariter atque ex Propheta, non minus oportere nos agnoscere ueros pastores atque doctores, quàm ueros Euangelistas & Apostolos, ita ut quemadmodum si quis uel nullos Euangelistas, uel falsos pro ueris recipiat, is non sit membrum Ecclesiæ: sic etiam si quis uel nullos pastores & doctores, hoc est murorum custodes, uel falsos pro ueris recipiat, quorum doctrinam sectatus sit, tanquàm Christi, is non sit corporis Christi, neque pertineat ad consummationem sanctorum. Quæ enim apud Apostolum eodem orationis nexu colligantur, ea non sunt dissecanda.

Veros pastores atque doctores oportet agnoscere nō minus q̃ Apostolos atque Euangelistas.

Tu itaque, ò Menno, quos habuisti quæso pastores atque doctores? quos perpetuos murorum custodes, qui ab Apostolis ad hæc usque tempora, nulla hostium obsidione, nulla oppugnatione uicti fugati, atque prostrati unquàm tacuerint, quiq; tibi authores huius nouæ opinionis fuerint? Ipse fateris nullos. Nam quod fortè nouorum tuorum dogmatum possis ostendere authorem atque doctorem Baldassarem Fridbergerium, id non fuerit satis, sed oportet ut is rursus suos habuerit pastores atque doctores, atque illi item suos, & sic deinceps usque ad Apostolos, qui tota nocte & tota die nunquàm tacuerint. Sed quia hos ostendere non potuisti, quemadmodum nos facilimè possumus, quippe cum sis ipse tibi, uel ille Baldassar sibimetipsi, tibique prorsus pastor atque doctor, ac proinde hæreticus, opinionisus, nouæq; fidei sectarius & pertinax elector, ut

Menno non habet veros doctores, q̃ ab Apostolis ad hæc usq; tẽpora semper cadẽ doctrina floruissent.

ut aliquem scilicet ueri similitudinis colorem, hæc no ua haberent paradogmata, finxisti ante te totũ fuisse mundum seculis multis in grauissimo errore. Quo sanè impio commento, non tantùm Esaiam & Paulum aliosq; prophetas multos, sed totam penè scripturã, atq; adeò ipsum Christum ueritatis magistrum feciſtĩ
Mat. 28 mendacem, quod cùm promiserit se nobiscum fore omnibus diebus, iam tamẽ multis seculis adfuerit. Quẽs
2. Tim. 3 admodũ autem Ioannes & Mambres restiterunt Mosi, ita & uos resistitis ueritati, homines corrupti mente, & reprobi circa fidem, sed ultra (spero) non proficietis. Insipientia enim uestra manifesta erit omnibus (aspirante Deo) quemadmodum & illorum fuit.

Audiamus itaq; quomodo pergat Esaias insipientiam uestram reddere omnibus manifestam cap. 54. loquens apertè de Ecclesia Christi, quemadmodum et ipse Apostolus interpretatur, in eum sensum usus principio cap. Gal. 4. Verba autem prophetæ sic habẽt:
Duodecima probatio. Lauda sterilis quæ non paris, decanta laudem & hymni, quæ non pariebas, quoniã multi filij desertæ magis quàm eius quæ habebat uirum, hoc est, Ecclesia gentiũ, quæ erat prius deserta, &
Eph. 2 aliena à conuersatione Israel, hospes testamentorum, promissionis spem non habens, & sine Deo in hoc mundo, ea, inquam, Ecclesia, quæ aliquando erat longè, ubi facta fuerit propè in sanguine Christi, multò erit amplior, multò numerosior, et multò indies fertilior, quàm Ecclesia Iudaica, quæ prius habebat uirum, eum uidelicet, qui dixe-
Hier. 3 rat: Cõuertimini filij reuertentes, dicit Dominus, quia ego uir uester. Sequitur quibus uerbis ipse Dominus hanc suam Ecclesiam alloquitur.

Dilata

Dilata locum tentorij tui, & pelles tabernaculorum extende. Ne parcas, longos fac funiculos, & clauos tuos consolida. Ad dextram enim & ad leuam penetrabis, & semen tuum gentes hæreditabit, & ciuitates desertas inhabitabit. Hactenus de amplitudine ciuitatis Christianæ, quippe quæ in totum mundum est dispersa. Sequitur de immobili stabilitate, & perpetuitate eiusdem.

Noli timere, quia non cõfunderis, neq; erubescẽs. Non enim te pudebit, quia cõfusionis adolescẽtiæ tuæ obliuiscẽris, & opprobrij uiduitatis tuæ non recordaberis amplius. Quia dominabitur tui, qui fecit te. Dominus exercituum nomen eius, & redemptor tuus sanctus Israel Deus omnis terræ uocabitur. Quia ut mulierem derelictam, & merentẽ spiritu uocauit te Dominus, et uxorẽ ab adolescentia obiectam. Dixit Deus tuus. Ad punctum in modico dereliqui te, & in miserationibus magnis congregabo te. In momẽto indignationis abscondi faciem meam parumper à te, & in misericordia sempiterna misertus sum tui. Dixit redẽptor tuus Dominus: Sicut in diebus Noe istud mihi est, cui iurauí, ut ne inducerem aquas diluuij ultrà super terram, sic iurauí ut non irascar tibi, & non increpem te. Montes enim commouebuntur, & colles contremiscẽt. Misericordia autem mea non recedet à te, & fœdus pacis meæ non mouebitur, dixit miserator tuus Dominus. Quomodo igitur audet hostis & aduersarius tuus dicere, ò Ecclesia Dei, q̃ fœdus pacis hoc est, Euangeliũ uitæ, multis nunc seculis fuerit ablatum, & nusquàm uerè cognitum sit? Sequitur paulò pòst: Omne uas, quod fictum est contra te, non dirigetur,

Fœdus non recedet ab Ecclesia.

Es. 54

rigetur, et omnem linguam resistentem tibi in iudicio iudicabis. Hinc habemus irrefutabilem authoritatem conciliorum legitimè in Christi nomine congregatorum. Nam & in hoc præsenti concilio Tridentino Mennonianorũ lingua blasphema et pædobaptismatis impia negatrix, pridem iudicata & condẽnata extat.

Cõciliorum probatio.

Idipsum denuò iterum atq; iterum toto proximo capite inculcat & latè prosequitur Propheta, eò q; præuiderat fore multos qui essent Ecclesiæ Christi contradictores futuri, & seipsos mendaciter facturi corpus Christi. Necessarium itaq; iudicabat hanc rem fore omnibus manifestam, ut in fine mundi, quando Ecclesiã uidebat grauius premẽdam, adeò ut in errorem inducerentur, si fieri posset, etiã electi, haberent iusti & pij certissimũ & clarissimũ signum, quo oues à lupis distinguerent. Ait itaq; rursus Propheta inter multa alia uerba, quæ breuitatis gratia transcurro, faciq; Deũ ipsum suæ Ecclesiæ loquentẽ in hunc modũ:

Mat. 24

Mat. 7

Feriam uobiscum pactum sempiternum, misericordias Dauid fidelis. Ecce testem populis Dei eum, ducẽ ac præceptorem gentibus (est autẽ is sine dubio Christus Iesus Dominus noster.) Ecce gentem quam nescie bas uocabis, & gentes quæ te non cognouerunt ad te current, propter Dominum Deum tuum, & sanctum Israel, qui glorificauit te. Paulò pòst: Quomodo descendit imber & nix de cælo, & illuc ultrà non reuertitur, sed inebriat terram, & infundit eam, & germinare eam facit, & dat semen serenti, & panem comedenti. Sic erit uerbum meum, quod egredietur de ore meo, nõ reuertetur ad me uacuũ, sed faciet quæcunq; uolui, et prosperabitur in his ad quæ misi illud. Paulò

Decima tertia probatio

pòst

pòst: Et erit Dominus nominatus in signum æternum, quod non auferetur. Mendax igitur est Menno, quòd liber Euangelij tot annis ubique fuerit ablatus, quodq; nihil fidei superfuerit.

Similiter cap. 51. Propè est iustus meus, egressus est saluator meus, et brachia mea populos iudicabũt. Paulò pòst: Salus mea in sempiternum erit, et iustitia mea non deficiet. Audite me, qui scitis iustum, populus meus, lex mea in corde eorum. Nolite timere opprobrium hominum, & blasphemias eorum ne metuatis. Sicut enim uestimentum, sic comedit eos uermis, et sicut lanam, sic deuorabit eos tinea. Salus autẽ mea in sempiternum erit, & iustitia mea in generationes generationum. Veniat igitur nunc pædobaptismatis antiquissimi conculcator, & palimbaptismatis nunq; usurpati author, & ostendat quomodo, si totus mundus hactenus ubiq; errauit, iustitia Christi fuerit propagata in generationes generationum, neq; unquam defecerit. Sed non est ut eius blasphemias metuamus. Ipse enim nisi resipiscat, peribit, uerbum autem Domini manebit in æternum. 14. probatio Esa. 40

Rursus toto cap. 60. facit Propheta Deum alloqui suam Ecclesiam Christi doctrina illuminandam in hunc modum: Surge illuminare Hierusalem, quia uenit lumen tuum, & gloria Domini super te orta est. Is est Christus Iesus Luc. 2. Sequitur paulò pòst: In indignatione mea percussi te, & in reconciliatione mea misertus sum tui. Et aperientur portæ tuæ iugiter, die ac nocte non claudentur, ut adferatur ad te fortitudo gentium, & reges earum adducantur. Gens enim & regnum quod non seruierit tibi peri- 15. probatio.

bit. Paulò pòst: Locum pedum meorum glorificabo. Et uenient ad te curui filij eorum, qui humiliauerũt te, & adorabunt uestigia pedum tuorum, omnes qui detrahebant tibi, & uocabunt te ciuitatem Domini Sion, sancti Israel &c.

Hæc prophetica uerba, quæ iam partim recensuimus, partim quasi digito monstrauimus unde hauriendа sint, tam clara sunt ut uix ulla interpretatione egeãt quin facilè sit hinc intelligere spiritum sanctum loqui de Ecclesia Christi ex gentibus maximè et partim ex Iudæis congregata: quam toties promittit fore, nullis hostium insultibus, nullis tentationibus, nullis schismatis, nullis hæresibus, nullis denique persecutionibus expugnabilem unquàm, sed penitus semper inuictam futuram, neque portas inferi prævalituras aduersus eam. Decimasexta probatio. *Quemadmodum & Apostolus dicit. Deus est, qui iustificat, quis est qui condemnet? Christus Iesus est qui mortuus est, qui & resurrexit,* Rom. 8 *qui & est ad dexteram Dei, qui etiam interpellat pro nobis, quis ergo nos separabit à charitate Christi?*

Recapitulatio. *Quid autem clarius dici potest, quàm quod per spiritum sanctum ex hoc Propheta audiuimus: quòd, uidelicet, uerba Dei quæ ipse posuit in ore Apostolorum, non recedent de ore ipsorum, neque de ore seminis eorum usque in sempiternum? quòd Dominus Iesus erit nominatus in signum æternum, quòd non auferetur? quòd misericordia Dei non recedet ab Ecclesia Dei, & fœdus pacis non mouebitur? quòd omne uas fictum contrà Ecclesiam non dirigetur? quòd metuenda non sunt opprobria hominum, &*

blasphemiæ

blasphemiæ contra Ecclesiam effuse? quòd Deus ita iurauit se non amplius irasciturum suæ Ecclesiæ, quemadmodum promiserat Noe non amplius fore diluuium, quòd & hactenus seruatum uidemus? denique quòd uerbum ex ore Christi egressum, non reuertetur uacuum, sed faciet, quæ cùm uoluit ipse?

Sed quid uoluit Christus? ut Euangelium suum statim post Apostolos defloresceret, deflueret, ac labefactatum periret? Minimè. Quid ergo uoluit? Respondeat ipse: Ignem ueni mittere in terram, & quid uolo, nisi ut accendatur: Sed quàmdiu uult hunc ignem ardere? Tantisper dum seipsum promisit nobiscum futurum, hoc est, omnibus diebus, usque ad consummationem seculi Matth. 28. Quid voluerit Christus & quid etiãnum velit. Luc. 12 Mat. 28

Fuit ne igitur hic ignis iam multis seculis ubique, ut Menno blasphemat, penitus extinctus? Nequaquã. Audiuimus enim iam satis superque contrarium à spiritu sancto, à Propheta, ab ipso Christo, & ab eius Apostolo, audituri mox & plura.

Dixeris fortè, quomodo ergo Christus aiat Lucæ decimo octauo: Filius hominis ueniens, putas inueniet fidem in terra? Respondeo Christum non uelle ibi prædicere, fidem aliquando penitus ex hoc mundo ablatum iri, & Ecclesiam omnino conculcandam, quanquàm alibi dicat, quòd abundante iniquitate, refrigesceret charitas multorum. Si enim fides aliquando penitus extincta iaceret, falsa esset promissio eius secundum quam pollicitus est se mansurum omnibus diebus nobiscum usque ad consummationem seculi, falsa essent & tot prophetica oracula, quæ nunc ex parte audiuimus. Si enim omnibus diebus nobiscum Obiectio. Responsio. Mat. 24 Mat. 28

manet Christus, oportet ut & fides maneat omnibus
Mat.13 diebus, & nunquàm iaceat sepulta. Quomodo dices
ret: Simile utraque creuerunt, usque ad messem, si præ
sciuisset triticum non usque ad messem germinaturũ?
17. probatio Quod igitur negat se inuenturum fidem, quando
reuertetur, id ex superioribus uerbis eiusdem loci de
Luc.18 bet intelligi. Loquitur autem de iudice, qui Deum
non timebat, & hominem non reuerebatur, qui uis
duam auxilij egenam, non iustitiæ causſa administran
dæ, sed solùm quia molesta erat, & ne in nouissimo ue
niens fugillaret ipsum, adiuuabat. Ne igitur iniquus
quispiam putet se hoc solo fore saluum, quòd uiduis
& pupillis opituletur, non tam charitatis impulsu,
quàm importunitatis odio, subdit se in terra, & in
terrenis atque iniquis cordibus, non inuenturum fi
dem, quæ uidelicet ipsos salutificet. Nam iniqui ata
que iniusti, etiamsi uel humanæ laudis gratia, uel im
Luc.11 portunitate uicti bene agant, eleemosynas dent, & ui
Iacob.1 siterint pupillos & uiduas in tribulationibus eorum,
nisi interim & ipsi immaculatos se custodiant ab hoc
Tit.2 seculo, sobriè pie & iustè uiuendo, non erit, quòd
per fidem mortuam sperent salutem. Fides enim
mortua, quæ per ueram charitatem non fit operata,
Gal.5 ad salutem non erit maioris ponderis, quàm si nulla
fuisset 1. Corinth. 13.
18. probatio Reuertamur iterum ad Esaiam. Quod enim Pro
pheta iudicauit necessariò iterum atque iterum re
petendum, cur id non uideatur nobis utile lectu atq;
relectu? Cap. 41. sic inquit:

Et tu Israel serue meus: Iacob quem elegi, semen
Abrahæ amici mei, in quo apprehendi te ab extre
mis

mis terræ, à longinquis eius uocaui te, & dixi tibi: Seruus meus es tu, elegi te, & non abieci te. Ne timeas, quia ego tecum sum, ne declines, quia ego Deus tuus. Confortaui te, & auxiliatus sum tibi, & suscepit te dextera iusti mei. Ecce confundentur & erubescent omnes, qui pugnant aduersum te. Erunt quasi non sint, & peribunt uiri qui contradicunt tibi.

Iustus Dei & dexteraiusti Luc.1

Quis est autem iustus Dei, & quæ dextera iusti, nisi Christus Iesus, qui natus & passus ita suscepit Israelem puerum suum recordatus misericordiæ suæ, hoc est, filios Abrahæ, qui omniũ est pater credentiũ, Rom.4 non quidem filios carnis, sed filios promissionis, hoc est, Christianos, ut non statim iam per multas annorum centurias eos iterum abiecerit, imò ut sint omnes perituri, quotquot aduersum eos pugnabunt, et quot quot contradicent? Quid itaque futurum de Mennone Luthero, & ceteris contradictoribus & oppugnatoribus? Equidem nolo iudicare, nisi quod per Prophetam audiuimus, omnes contradictores Ecclesiæ electæ & nunquàm abiectæ perituros, licet mihi addere, nisi resipiscant, quod illis donet, qui est super omnia Deus benedictus in secula. Rom.9 Gal.4 Rom.9

Rursus cap.43. Hæc dicit Dominus creãs te Iacob, & formans te Israel. Noli timere, quia redemi te, & uocaui te nomine tuo. Meus es tu. Cùm transieris per aquas tecum ero, & flumina non operiẽt te. Cùm ambulaueris in igne non combureris, & flãma non ardebit in te, quia ego Dominus Deus tuus sanctus Israel, saluator tuus. Non loquitur Propheta de priore Iacob, & de priori Israel, hoc est, de Ecclesia Iudaica, 19. probatio

Mat.21 *Nam eis ablatum est regnum Dei & datum gentibus facientibus fructum, de qua quidem rebelli Ecclesia subiungitur paulò post. Non me inuocasti Iacob, nec laborasti in me Israel. Non obtulisti mihi arietem holocausti tui, & uictimis tuis non glorificasti me. Sed loquitur de fideli Iacob & Israel, hoc est de Ecclesia ab Apostolis iussu Christi potissimùm ex gentibus*
Iohan.10 *congregata, & conuocata in unum ouile fidei, & ad unum pastorem. Nam sequitur: Noli timere, quia ego tecum sum, Ab oriente adducam semen tuum, & ab*
Eph.4 *occidente congregabo te. Hanc itaque Ecclesiam nesque aqua doctrinæ hæreticæ, in qua paruuli fluctuãt, & circumferantur omni uento, in nequitia hominum, in astutia ad circunuentionem erroris, neque ignis persecutionis & tribulationis obruere potest, cò quòd habeat suum saluatorem sibi semper præsentem atque propicium. Gaudete itaque fratres mei in*
Philip.3 *Domino. Eadem uobis scribere mihi quidem non pigrum, uobis autem necessarium. Videte canes, uidete malos operarios, qui his tã apertis scripturis contra-*
Rom.15 *dicunt. Rogo itaq; uos, cum Apostolo, ut obseruetis eos, qui dissensiones & offendicula, præter doctrinã, quam uos didicistis faciunt, & declinate ab illis.*

Vicesima probatio. *Iterum cap.33. Respice Sion ciuitatem solennitatis nostræ. Oculi tui uidebunt Hierusalem habitationem opulentam, tabernaculũ quod nequaq̃ transferri poterit, nec auferentur claui eius in sempiternum, et omnes funiculi eius non rumpẽtur, quia solũmodo ibi magnificus est Dominus Deus noster. Paulò pòst, ut intelligas quod loquatur etiam de Hierusalem adhuc militante, cuius conuersio est in cælo. Populus,*
Philip.3 *inquit,*

inquit, qui habitat in ea, auferetur ab eo iniquitas. Ea nimirum est ecclesia Christianorum, Christi sanguine redempta, & Apostolorum doctrina in omnem terrā propagata, extra quam si sis, etiam si te quàm sanctissimè putes uiuere, non consequeris unquam peccatorum remissionem. Quod D. Augustinus hoc modo extulit. Quisquis ab Ecclesia catholica fuerit alienus, quantūlibet laudabiliter se uiuere existimet, hoc solo scelere, quod à Christi unitate seiunctus est, non habebit uitam æternam, sed ira Dei manet super eum, dicente scriptura Zach. 14. Quicunq; non ascenderint de familijs terræ ad Hierusalem, ut adorent regē Domini exercituum, non erit super eos imber. *Quia ecce tenebræ, inquit Esaias, operient terrā, et caligo populos. Super* Hierusalē autē orietur Dominus, & gloria eius in ea uidebitur. Nomen enim, inquit Thobias, allo quens Hierusalem ciuitatem Dei, magnum inuocabūt in te: Et maledicti erunt, qui contempserint te, & eōs damnati erunt omnes, qui blasphemauerint te. Hæc autem Christi ecclesia manifesta est, & non latet in abstruso angulo, nam oculi tui eam uidebunt, inquit propheta. Hæc est perpetua stabilitate fidei ita confirmata, ut nunquā tota sit in errorem casura, de qua & Apostolicum hoc summo iure dixeris: ut alibi meminimus. Certus sum quia neque mors neque uita neq; angeli, neque principatus, neque uirtutes, neque instantia, neque futura, neque fortitudo, neque altitudo, neque profundum, neque creatura alia poterit nos separare à charitate Dei, quæ est in Christo Iesu Domino nostro. Addens enim neque instantia, neque futura sine dubio intellexit ecclesiam non modò tunc præsen-

Nemo ab ecclesia dei alienus, potest, q̄tumuis putet se sanctissimè uiuere, saluus fieri.

Esa. 60.

Thob. 13

21. probatio

tem, sed etiam post Apostolos futuram, fore nulla fortitudine, nulla altitudine, neq; ulla creatura impedien te, à Christo separabilē. Quomodo igitur nō abominā dis modis blasphemū dicere, quod totus mundus multis iam seculis ubiq; erraſſet? Absit huiusmodi blasphemia longè lateq;, & à cordibus, & à linguis hominū. Absit ut credamus istis palimbaptistis, pædobaptismate multis annorū centenarijs ubiq; gentium Christi nomine secundum scripturam usurpatum iam tandē adueſperascente seculo negantibus.

22. probatio

Præterea cap. 49. Hæc dicit Dominus Deus. Ecce leuabo ad gentes manum meam, & ad populos exaltabo signum meum. Et adferent filios tuos (sic enim introducitur à prophe ta deus suā ecclesiam alloquens) in ulnis, & filias tuas super humeros portabunt. Et erunt reges nutricij tui, & reginæ nutrices tuæ. Vultu in terram demisso adorabunt te, & puluerem pedum tuorum lingent. Et scies, quia ego Dominus, super quo non confundetur, qui expectant eum.

Hic audis ex diuino ore magnificam gloriam Ecclesiæ ex gentibus congregatæ, quam & reges & reginas uultu in terram demisso adoraturos, & puluerem pedum eius lincturos prædixit. Sed miraris forsan, quomodo id fieri possit, cum Ecclesiam dicamus in totum orbem dispersam. Eodem modo, quo Christus præcepit, si quis frater in nos peccet, quē inter ipsum & nos solos, aut etiam adhibitis testibus ad meliorem frugem reuocare nequeamus, dicendum Ecclesiæ, hoc est alicui uel aliquibus, qui totam ecclesiam authoritate & potestate repræsentent.

Quomodo reges & reginæ puluerē pedū Ecclesiæ lingere dicantur.

Mat. 18

Hoc

Hoc igitur propheticum in Romana Ecclesia uidemus nõ humana præsumptione, sed extimulante spiritu sancto, obseruari, dum unius, qui totam ecclesiam repræsentat, uel illustrissimi atque inuictissimi Cæsares adorabundi exosculantur pedes. Quod autem sit pontifici summo, id fit ei nomine totius ecclesiæ, quod autem ecclesiæ, hoc & Christo. De qua re alibi apud eundem prophetam. Et uenient ad te (ò Hierusalem) curui filij eorum, qui humiliauerunt te, & adorabunt uestigia pedũ tuorũ, omnes qui detrahebant tibi. Cæsares enim & reges, qui Apostolos, & eorum successores multos occidere solent, nunc eorum pedes osculantur, non quidem omnium, sed unius loco omnium, fœtidos quidẽm (ut loquitur Menno) si hominem pulchros uerò atque speciosos, si pacem et bona spectes, quæ per totum mundum, eorum pedum adminiculo euangelizantur. Esa.60 Esa.52 Rom.10

Hanc autem Ecclesiæ Romanæ consuetudinem, pedes pontificis osculandi, non ipsorum pontificum superbia, sed Cæsarum pia humilitas introduxit, nimirũ instinctu spiritus sancti, ut prophetia ne minima quidẽ in parte esset uacua & inanis. Si mihi non credis, audi quid Paulus Æmylius Veronensis, qui res Francorũ libris nouem fidelissimè & doctissimè conscripsit, de osculandis pedibus pontificis dicat, loquens de congressu Caroli magni, & Hadriani primi Pontificis. Præstolabatur, inquit, regem Hadrianus eum sacerdotio pro gradibus ædis Petri, uenerabundum que complecti, nisi pedibus osculo contactis non potuit. De quo quidem Hadriano (ut animum eius candidum uereq; Christianum intelligas) Platyna sic ait. Cõsuetudo osculandi pedes põtificis summi quomodo orta.

sic ait. Nihil prætermisit in uita Hadrianus, quod ad optimum pontificem pertineret. Nam & religionem Christianam & libertatem ciuium suorum, & uitam pauperũ, pupillorũ & uiduarũ acerrimè tutatus est.

Ex his igitur iam dictis, & id genus alijs prætereà multis euidentißimis & ualidißimis scripturarũ testimonijs, equidem firmißima & certißima fide credo, & censeo id omnibus necessario credendum, quòd post Apostolos ad hæc usque tempora, ne unam quidẽ horam Ecclesia Christi errarit, & ob errorem à Christo aliena, & à portis inferi expugnata, atque deuastata fuerit. Credo præterea quòd quicquid hactenus, etiamsi non nisi per octingentos aut mille annos, creditum, doctum, atque obseruatum est ut uerè pium, et Christianum, ubique inter omnes qui Christi nomine gauisi sunt, quiq; Christi gloriam quæsierunt, id nunc sit uerè credendum, uerè docendum, uereq; obseruandum, et huius antiquißimæ ecclesiæ oppugnatores ac contradictores esse habendos hæreticos, & merito ab ecclesia ejciendos, si errori addant pertinaciam.

Romana ecclesia cũ omnibus ab ea & creditis & obseruatis p multa secula esse uerè christianam

His itaque argumentis uel solis, ualidißimè probatum non modò pædobaptißma esse pium, sanctum ac Christo dignum, sed & id ipsam Romanam Ecclesiam esse uerum corpus Christi, Romanum pontificem esse post Christum ecclesiæ summum pastorem, & uerum successorem Petri Apostolorum primi, sacrificiũ missæ esse uerũ & iuge sacrificiũ, in hoc mundo nunquã definendum, nisi aliquantißper tempore Antichristi, ueritatem corporis Christi esse sub speciebus panis et uini, non iam panis neq; uini consecratione facta, purgatorium esse inuocationem sanctorum faciendam, sacerdotium

cerdotium à laicis seu prophanis distinctum, templa & altaria nō modò in usum publicæ orationis & prædicationis uerbi, sed etiam consecrationis atque sacrificij habenda, eucharistiæ conseruationem & adorationem, exomologesim seu confessionem peccatorum sacerdoti faciendā, imagines habendas. Romano pontifici & ecclesiæ in ieiunijs, festis, alijsq; constitutionibus ad pietatem fouendam augendamq; facientibus parendum non minus quàm regibus & principibus in ijs quæ spectent ad concordiam ciuilem Deo non contrariam, denique omnia esse uerè pia, diuina & obseruanda, quæcunq; ut talia multis adhinc seculis ubiq; obseruata inuenimus, etiamsi nusquā in scripturis nominatim expressa sint. Nam qui ecclesiam non audierit sit tibi sicut ethnicus & publicanus. Mat.18

Quomodo enim esset ecclesia Dei uiui, secundum Apostolum, columna & firmamentum ueritatis, si hactenus uel nulla fuisset, uel in aliquibus errasset? Nónne tutius columnæ & firmamēto mniteris, quàm arundini mobili? Firmamentum enim si uerè sit, quod dicitur, & ipsum firmum est stabile atque immobile, & firmam præbet innitendi confidentiam. Sin infirmum & instabile fuerit, & in se nixos destituat ac labi faciat, firmamentum non est. Cùm itaque Apostolus mentiri nequeat, dicens ecclesiam esse columnam & firmamentum ueritatis, certum est neminem potuisse hactenus labi, neque unquam lapsurum à ueritate, qui huic firmamento ueritatis super fundamentum Apostolorum et Prophetarū ædificato, ipso summo angulari lapide christo Iesu, fideliter firmiter et pseuerāter innititur 21.probatio 1.Tim.3 Eph.2

Sed dicis. Omnis homo mendax. Et maledictus qui ponit Obiectio.

Psal.117 Hier.17 Responsio. ponit carnem brachium suum. Ecclesia autem constat ex hominibus. Respondeo quòd & cœlum supernum constat ex hominibus & angelis, quos suapte natura experimento didicimus omnes labiles. Si igitur Deus super naturam potest ibi facere, quod sua natura infirmum & labile est, ut sit firmum & nullo casui obnoxium, cur & hic idipsum non potest? Præterea ecclesia Dei non ex solis hominibus, sed etiam ex Christo et spiritu sancto debet intelligi esse una et unita, cùm sit corpus Christi, certè non corpus examine, mortuum, putridum, & sine spiritu, sed uiuum, Christo indutũ, ac spirituale, quanq; nõ penitus omnia eius mẽbra sint uiua. Mat. 13. & 25. Qui igitur blasphemat ecclesiam Christi uinci & errare posse, is uel facit corpus Christi, demortuũ & funestũ cadauer, sine capite, & sine spiritu, perinde atq; si dixerit esse hominẽ, uel ipsum hominis cadauer, uel truncum corporis, ablato capite, uel si integrũ ac uiuum accipit corpus, non tam mẽbra Christi, q̃ ipsum Christũ qui caput sui corporis est, & spũm sanctũ qui corporis uita est dicit uinci et errare posse, præsertim cũ christus receperit se suo corpori semper adfuturũ. At eadem ratione forsan dixeris ostensum iri, neq; te neq; me uinci & errare posse. Si enim uincero, id non tam mihi quàm Christo per fidem me inhabitanti tribuitur. Quare cum Christus sit, non minus caput meum, quàm Ecclesiæ, oportet si lapsus ecclesiæ, propter promissionẽ & capitis cum corpore unionẽ tribuatur infirmitati capitis, ut et ruina mea, non tam mihi quàm Christo capiti imputetur. Respondeo Christum esse quidẽ caput & totius ecclesiæ, &

Ecclesia habet caput suũ Christũ & spiritum sanctũ semper sibi præsentem.

Ecclesia vinci & errare non potest.

Obiectio.

Eph.5

Responsio.

meum

meũ singulorũq; membrorũ ecclesiæ, siue iustorũ siue iniustorum, imo & omniũ eorũ, qui sunt æternæ salutis capaces, etiamsi uel nondũ, uel nunq̃ sint futura mẽbra ecclesiæ, iuxta illud. 1. Tim. 4. Speramus in Deum uiuum, qui est saluator omniũ hominum, maximè fidelium, & 1. Iohan. 2. Ipse est propiciatio pro peccatis nostris, non pro nostris autem tantũ, sed etiam pro totius mundi. Sed aliter esse caput iustorum aliter autẽ iniustorum & infidelium. Christus est caput oim, qui sunt salutis capaces

Nam iniustorũ (si modò adhuc mortalẽ hanc uitam uiuant, & sint iustitiæ capaces) caput est merito sanguinis, & uoluntate salutis, uoluntate, inquam, conditionali seu antecedẽte, ut loquuntur, iuxta illud. Qui omnes homines uult saluos fieri, & ad agnitionẽ ueritatis uenire. Quomodo Christus sit caput iniustorum. 1. Tim. 2

Iustorum uerò caput est, non solùm merito & uoluntate generali, sed etiam actuali participatione sui meriti, hoc est, fidei & charitatis nexu per spiritum sanctum infusarum. Quomodo Christus sit caput iustorum.

Præterea aliter Christus est caput suæ ecclesiæ in genere, & aliter huius uel illius mẽbri ecclesiæ, quamcumuis nunc in Christo uiui & iusti. Nam ecclesiæ (loquendo duntaxat de ecclesia adhuc militante) caput est prædestinatione, uocatione, iustificatione, atq; expressa ac reuelata promissione stabilitatis perpetuæ, ac certissimæ salutis, iuxta ea omnia quæ hactenus ex uarijs scripturæ locis citauimus. Singulorũ autẽ membrorũ ecclesiæ particulatim acceptorũ, q̃cumuis nunc iustorũ (exceptis ijs, quibus per spiritũ prophetiũ singularis & manifesta suæ salutis & stabilitatis sit uel reuelatio uel promissio facta, quales erant Apostoli, Quomodo Ecclesiæ caput Christus

Singulorũ ecclesiæ mẽbrorũ quomodo Christus caput.

& prophetæ) Christus est caput merito, & salutis uoluntate saltem conditionata seu antecedēte, uocatione, iustificatione, & forsan electione, sed non expressa & reuelata electionis, certitudinis, & stabilitatis promissione, de quo prioris libri capite nono latè diximus.

Quanuis igitur certum sit, Christi corpus fore inuictum atque perpetuum, integrum atque perfectum, neque ullo membro mutilum aut mancū, & quod ego nunc sim (ut id esse faciamus exempli gratia) in corpore Christi quodammodo lingua, qui docendo, admonendo, consolando, arguendo & increpando in omni patientia & doctrina, debeant manifestare spiritū ad utilitatem ecclesiæ, alius sit pes, alius manus, nō ob id oportet, quemadmodū ipsum corpus, ita & me inuictum esse, et nullo errori obnoxiū. Nam etiamsi (quod Deus prohibeat) ego me talem fortè perhibeam, qui sim merito à corpore Christi execrandus, & proijciendus foras atq; cōculcādus ab hominibus, nō propterea corpori Christi sit aliqua iniuria, neque ipsum corpus aliqua sui integritate comminuitur, & quasi execta lingua mutilum redditur. Plurimi enim adhuc sunt alij, qui linguæ officio in corpore Christi fungūtur, ex quibus omnibus, secundum promissionē ecclesiæ factam, certum est saltem uel aliquē, uel potius aliquos perpetua stabilitate firmandos, & ad æternam salutē uenturos, ita ut corpus Christi nequaquā sit elingue futurum, quanquam non constet ex promissione, qui nam sint certò tales futuri. Mat. 5

Si igitur Christus sineret suum corpus à capite auelli, uinci & errare, id tribueretur eius imbecillitati, quas

ti, quasi id efficere non potuisset, quod se facturum promisisset. Sed quod promisit, potest, & quod potest, id secundum promissionem et hactenus præstitit, & præstat etiamnũ, atq; adeò præstabit omnibus diebus usq; ad consummationẽ seculi. Nam quod Apostolus de Iudaica Ecclesia pronunciauit dicens: Quid, si quidam illorum non crediderunt? nunquid incredulitas eorum fidem Dei euacuauit? Absit. Id equidem de Christiana Ecclesia frequẽtioribus multò & præstantioribus promissionibus donata, in hunc modum similiter ausim dicere. Quid si quidã ex corpore Christi non iustè, piè, & sobriè uiuunt? Nunquid horum impietas promissionem & fidem Dei euacuat? Absit, est enim Deus uerax, omnis autem homo mendax. Sed reuertamur ad ipsam scripturam. Mat.28 Rom.3 Tit.2

Adhuc unum perlustremus locum Esaiæ cap. 45. ubi propheta sub persona patris de Christo suo & eius Ecclesia sic loquitur:

Ipse (Christus Iesus) ædificabit ciuitatem meam, & captiuitatem meam dimittet, non in precio, neq; in muneribus, dicit Dominus Deus exercituum. Hæc dicit Dominus Deus: Labor Ægypti, & negociatio Æthiopiæ, & Sabaim uiri sublimes ad te transibunt, & tui erunt. Post te ambulabunt, uincti manicis pergent, & adorabunt, teq; deprecabuntur. Tantum in te est Deus, & non est absq; te Deus. Verè tu es Deus absconditus, Deus Israel saluator. Confusi sunt & erubuerunt omnes simul, abierunt in confusionem fabricatores errorum. Israel saluatus est à Domino salute æterna. Non confundemini, & non erubescetis, usq; in seculum seculi, quia hæc dicit Dominus creans 24. probatio

cælos. Ipse Deus formans terram, & faciens eam, ipse plastes eius. Non in uanum creant eam, sed ut habitetur formauit eam. Ego Dominus et non est alius. Non in abscondito locutus sum, in loco terræ tenebroso. Non dixi semini Iacob frustrà, quærite me &c. Manifestum est autem quòd loquatur de Christo, qui terram prius informē, formauit doctrina & spiritu suo, creauitq; cælos, qui enarrauerunt gloriam Dei, ita ut in omnem terram exierit sonus eorum. Nam præcessit: Rorate cæli desuper, & nubes pluant iustum. Ea itaq; terra à Christo formata & firmata Dei uerbo, & spiritus oris eius uirtute roborata, quæ est Ecclesia Dei uiui, nõ est in uanum creata, ut statim post Christi ascensum, & Apostolorum dormitionem itetum sit uepribus ignorantiæ obducta, & spinis errorum oppressa, sed ut habitaretur formauit eam, utq; inhabitantes eam non confunderentur neq; erubescerent in seculum seculi. Quamuis enim in agro Christi inter triticum inimicus homo superseminarit & zizania, ea tamen non sunt bonum semen ita oppressura, ut triticum sit planè conculcandum & periturũ, quin potius utraq; crescent usque ad messem, & tempore messis dicet Dominus messoribus suis: Colligite primùm zizania, & alligate ea in fasciculos ad comburendum, triticum autem congregate in horreum meum, Matthæi decimotertio capite.

Psal. 18

Esa. 45
Psal. 32

25. probatio

Sumamus & aliqua tela aliundè, quibus hostes Ecclesiæ obruamus Mich. 4. De Sion egredietur lex, & uerbum Domini de Hierusalem. Et iudicabit inter populos multos, & corripiet gentes fortes usq; in longinquum. Si autem usq; in longinquum, quomodo stas

tim

tim post Apostolos lex desierit? Paulò post: Omnes populi ambulabunt unusquisque in nomine Dei sui, nos autem ambulabimus in nomine Dei nostri in æternum & ultrà.

Ioel 2. Filiæ Sion exultate, & lætamini in Domino Deo uestro, quia dedit uobis doctorem iustitiæ, et descendere faciet ad uos imbrem matutinum & serotinum, sicut in principio. Et implebuntur areæ frumento, & redundabunt torcularia uino & oleo. Paulò post: Fortitudo mea magna, quam misi in uos. Et eos medetis uescentes, & saturabimini, & laudabitis nomen Domini Dei uestri, qui fecit mirabilia uobiscum. Et non confundetur populus meus in sempiternum, & scietis quia in medio Israel ego sum. Et ego Dominus Deus uester, & non est amplius, & non confundetur populus meus in æternum. Quis est doctor ille iustitiæ, & fortitudo Dei magna, nisi Christus Iesus. Quid significat imber nisi doctrinam Euangelicam Esa. 5. & 55? Quid copia frumenti, uini & olei, nisi fructus Euangelicos? Quis est igitur qui audet blasphemare & Euangelium hactenus nullum fuisse, & fructus nullos Christo dignos? Quis potuit fortitudinem Dei magnã ex sua ciuitate pellere, & eam deuastare?

26. probatio

Doctor iustitiæ.

Imber.

Copia frumenti, uini & olei.

Sophoni. 3. de Ecclesia Christi: Rex Israel Dominus in medio tui, non timebis malum ultrà. In die illa dicetur Hierusalem, Noli timere Sion, non dissoluantur manus tuæ, Dominus Deus tuus in medio tui, fortis, ipse saluabit. Gaudebit super te in lætitia, silebit in dilectione tua, & exultabit super te in laude. Nugas quæ à lege recesserant congregabo (id futurum est quando plenitudo gentium intrauerit, ut tunc omnis

27. probatio

Rom. 11
Ose. 3

Es.59 *Israel saluus fiat, qui nunc aliquantisper excisi sunt) quia ex te erant, ut non ultrà habeas super eis opprobrium. Et ecce ego interficiam oēs, qui afflixerūt te.*

28. probatio *Aggæi 2. Veniet desideratus cunctis gentibus, & implebo domū istā gloria, dicit Dominus exercituū. Meum est argentum, & meū est aurū dicit Dominus exercituū. Magna erit gloria domus istius nouissimæ plus q̄ primæ, dicit Dominus exercituum. Et in loco isto dabo pacem dicit Dominus exercituū. Non parui ducenda sunt hæc prophetica, quæ toties sigillo Dominī dicentis confirmata legimus. Cōparat Ecclesiam Iudaicam quæ fuit ante Christū, cum hac Christiana, dicens hanc maiori gloria illustrandam, quàm illa unquàm fuerit. At Iudaica nusquā penitus est derelicta à Deo suo, quin semper ut minimū seruarit sibi septē milia, qui non curuarant genua ante Baal. Quomodo ergo hæc quæ multò erat gloriosior futura, fuisset tot seculis derelicta penitus, ut ne litera quidem fidei usquàm superfuerit, ut Menno blasphemat? Absit longè latè q̄; huiusmodi blasphemia.*

Ecclesia christianamultò celebrior q̄ Iudaica.

3. Reg. 19

29. probatio *Baruch 4. similiter Ecclesiam Christi dicit futuram decuplo studiosiorem & ardentiorem quærendi Deum, quàm fuerat Iudaica, sic inquiens: Animæquiores estote filij, et proclamate ad Dominum. Erit enim memoria uestra ab eo, qui duxit uos (Christus autem assumpta humanitate nos sibi in sponsas & uxores duxit Mat. 22.) Sicut enim fuit sensus uester ut erraretis à Deo, decies tantùm iterum reuertentes requiretis eum. Qui enim induxit uobis mala, ipse rursum adducet uobis sempiternam iucunditatem cum salute uestra. Animæquior esto Hierusalē. Exhortatur enim te,*

te,qui te nominauit.Nocẽtes peribũt,qui te uexaue-
runt, & qui gratulati sunt in tua ruina puniẽtur.
Et non paulò manifestius capite proximo: Exue te
Hierusalem stola luctus et uexationis tuæ,et induc te Baruch 5
decore & honore, quæ à Deo tibi est sempiterna glo-
ria.Circundabit te Deus diploide iustitiæ et imponet
mitram capiti tuo honoris æterni. Deus enim ostẽdet
splendorem suum in te,qui sub cælo est. Nominabitur
enim tibi nomen à Deo sempiternum,pax iustitiæ,&
honor pietatis.Exurge Hierusalem & sta in excelso,
& circumspice ad orientem & uide collectos filios
tuos,ab oriente solis usque ad occidentem,in uerbo
sancti,gaudentes Dei memoria.

Quomodo igitur non impius, & in spiritum san-
ctum blasphemus iste terræ filius Menno, qui dicit se
claris apertisq; oculis uidere, quod ab oriente ad oc-
cidentem,ab austro ad aquilonem nihil iam multis se-
culis fuerit fidei?Ecclesia Iudaica fuit tradita in ma- 4.Reg.25
nus Assyriorum,& in Babylonem abducta,ob sua pec- 2.Paral.36
cata, non nisi annis 70. cùm tamen interim plurimi
essent synceri adhuc & integri,qui simul in commu-
nem calamitatẽ innocenter inuoluti erant,inter quos
erant Thobias,Daniel,& similes. Quomodo ergo ue-
risimile, quòd hæc Christi Ecclesia, quæ prophetico
spiritu dicta decuplo diuinior futura q̃ illa,capta fue
rit atque aucta in Babylonem multò diutius multoq̃;
grauius,ita ut tota fides iam quotuordecim centuriis
annorum omnino fuerit extincta? Nequaq̃ uerisimile,
sed scripturis & diuinis promissionibus omnino con-
trarium,Nam de illis dictum erat à Domino ad Mosen Deut.31
ipsorum legislatorem:Ecce tu dormies cum patribus

ge ac fide nunquàm extinguenda nec intermoritura, cùm paulo pòst subdit: Hæc dicit Dominus qui dat solem in lumine diei, & ordinem lunæ ac stellarum in lumine noctis, qui turbat mare & sonant fluctus eius, Dominus exercituum nomen illi. Si defecerint leges istæ coram me, dicit Dominus, tunc & semen Israel deficiet, ut non sit gens coram me, cũctis diebus. Hæc dicit Dominus: Si mensurari poterunt cæli sursum, & fundamenta terræ deorsum, & ego adijciam universum semen Israel, propter omnia quæ fecerunt, dicit Dominus. Paulò pòst: Sanctum Domini non euelletur, & non destruetur ultrà in perpetuum. Oracula hæc sunt tam aperta, de corporis Christi ac fidei Christianæ perpetuitate, ut nullo interprete egeant. Christi lex nunquàm interitura.

Nobis itaque persuasissimum est ex superioribus & id genus alijs multis sacræ scripturæ testimonijs Ecclesiam Dei fuisse & fore perpetuam, neque uerum Christi corpus posse nunc quicquam contrarium sentire & credere, ab ea fide, quæ fuerit ante mille annos ubique obseruata.

Cùm itaq; nulla Ecclesia eorum, qui à Romana fide defecerunt, potest antiquæ obseruationis ullum inuenire uestigium, neq; Ecclesiam ullam quæ fuerit perpetua, præter unam Romanam, necesse est, secundum dictas scripturas, ut si salui esse uelint, redeãt in eam Ecclesiã, unde peruersa seducti persuasione exierunt, præsertim cùm Romanam egressi, nullam aliam sint rursus ingressi, imò neque aliam inuenire potuerint, quæ ante ipsos stabilis & perpetua fuisset, sed nouas suo sibi arbitrio fabricarint Ecclesias, eaq; inter sese Omnes qui sunt à Romana Ecclesia, & ab eius fide alieni, ad eam redeant oportet si salui sint futuri.

diuersissimas. Aut si possunt ostendant nobis Ecclesiã Dei in omnibus fidei dogmatis perpetuam, in qua & Petrus summum episcopum egerit atque etiamnum agat, nos unà cum ipsis eandem intrabimus.

32. probatio Petri ecclesiaab ipso Christo prædictaesse fore firma & perpetua.

Petri enim Ecclesiam fore perpetuã Christus ipse dixit: Ego rogaui pro te ut non deficiat fides tua. Tu aliquando conuersus confirma fratres tuos. Nã quantum spectat ad personas Apostolorum, non tantùm rogauit Christus pro Petro, ut ipsius fides esset illaesa rabilis atque inuicta, sed etiam pro Iohanne, Iacobo, Thoma, cæterisq;, ut eorum omnium fides esset perpetua, sicut & fuit, uno Iuda excepto. Neq; etiam Petrus solus post acceptum spiritum sanctum tanta erat indutus uirtute ex alto præter cæteros, ut alijs quasi in fide infirmioribus, fuerit opus consolatione & confirmatione Petri. Quare intelligimus, cùm Dominus, alijs præsentibus, uni Petro loqueretur & promitteret fidei stabilitatem, quòd non tam de eius persona quàm de eius Ecclesia, quam ipse erat gubernaturus episcopus, aliorum Ecclesijs præferẽda dixerit. Nam aliorum Apostolorum Ecclesiæ, quas ipsi fundarunt, iam olim magna ex parte adeò defecerunt, ut uix nos

Nullã est inuenire ecclesiã, quæ hactenus semper stetisset in vna fide, præter Romanam.

men Christi meminerint. Neq; est inuenire ullam Ecclesiam, cuius fides fuisset hactenus ita concors ac stabilis, præter unam Romanã. Quia igitur aliam in fide concordi perpetuã inuenire non potuerũt, ideò finxerunt, ut rudibus imponerent facilius, & ab Ecclesia Romana, quæ sola hactenus fuit perpetua, in suã perditionis nassam pertraherent, totum fuisse mundum multis amorum uoluminibus, grauissimo erroris somno & quasi funesto quodã ignorantiæ ueterno pressum

sum atque sepultum. Quod uel solum satis efficax fuerit argumentum contra ipsos, quòd qui talia contra scripturas blasphemant, sint reuera pseudoprophetæ, pseudochristiani, atque ut fures & latrones fugiendi.

Non firmum fundamentum Ecclesiæ Dei stat habens promissionem hanc: Si defecerint leges istæ coram me, dicit Dominus, tunc & semen Israel deficiet, hoc est, non deficient usque ad consummationem seculi. Non enim (ait Christus) præteribit generatio hæc, donec omnia fiant. Hier.31 Mat.28 Luc.21

Rursus Hier. capite tertio: Conuertimini filij reuertentes, dicit Dominus, quia ego uir uester. Et assumam uos unum de ciuitate, & duos de cognatione, et introducam uos in Sion. Et dabo uobis pastores iuxta cor meum. Paulò pòst: Patrem uocabis me, & post me ingredi non cessabis. Quid potest dici apertius pro Ecclesiæ perpetua firmitate? 3. probatio

Præterea cap. 33. apud eundem: Ecce dies ueniunt dicit Dominus, & suscitabo uerbum bonum, quod locutus sum ad domum Israel, & ad domum Iuda. In diebus illis, & in tempore illo germinare faciam Dauid germen iustitiæ, & faciet iudicium & iustitiam in terra. In diebus illis saluabitur Iuda, & Israel habitabit confidenter. 34. probatio *Euidens est quòd loquitur de Christo, qui est uerus Dauid, & saluator populi sui. Sed audi quid præterea sequatur paulò pòst, de eodem Dauid Christo, & de eius semine, qui sunt Christiani, cùm dicitur, Hæc dicit Dominus: Si irritum potest fieri pactum meum cum die, et pactum meum cum nocte, ut non sit dies, & non sit nox in tempore suo, & pactum*

tum meum irritum esse poterit, cum Dauid seruo meo, ut non sit ex eo filius, qui regnet in throno eius, & leuitæ & sacerdotes ministri mei. Sicut enumerari non possunt stellæ cæli, & mensurari arenæ maris, sic multiplicabo semen Dauid serui mei, & leuitas ministros eius. Certum est quòd loquitur de semine Christiano. Nam semen Dauid propheticè, secundum carnem, nunc excisum est ex oliua, & Christiani sunt insiti. Hos autem multiplicauit Dominus, ut promissum erat Abrahæ, sicut stellas cæli Apocalip. 7. Christiani itaque non prius deficient, quàm nox & dies. Tu uerò, ò Christiane lector, si hæc prophetica uerba diligentius excusseris, inde quoque cognosces unius pontificis primatum & sacerdotij à laicis seu prophanis distinctum ordinem in Ecclesia Christi, quemadmodum alibi paucis ostendimus.

Mat. 11
Rom. 11
Genes. 22

11. probatio. Postremò audiamus & Zachariam capite secundo sic uaticinantè de Christo & eius Ecclesia: Lauda & lætare filia Sion, quia ecce ego uenio, & habitabo in medio tui, ait Dominus. Et applicabuntur gentes multæ ad Dominum in die illa, & erunt mihi in populum. Et habitabo in medio tui, & scies quia Dominus exercituum misit me ad te. Paulò antè: Absque muro habitabitur Hierusalem præ multitudine hominum & iumentorum in medio eius, hoc est, Ecclesia Dei erit tam numerosa, & latè per mundum sparsa, ut nullis possit muris concludi, in qua non modò homines, sed & iumenta erunt, id est, partim prudentes, partim fatuæ uirgines, quæ comparentur iumentis insipientibus, & similes sint illis. Et sequitur: Et ego ero ei, ait Dominus, murus, ignis in circuitu, &

Mat. 25
Psal. 48

gloria

gloria ero in medio eius. Idipsum quoque prædixit Esaias in hunc modum: Vrbs fortitudinis nostræ Sion, saluator ponetur in ea murus, & antemurale. Quomodo ergo hic murus noster Christus Iesus, murus, inquam, plus quàm adamantinus, ac nulla ui expugnabilis, potuisset tam multis seculis esse dirutus, usque ad Mennonis uel Lutheri aduentum? Nónne princeps huius mundi eiectus est foras? An is denuò rediisse, et Christum suo regno expulsisse credendus est? 16. probatio. Esa.26 Iohan.16

Hoc autem scitote, inquit Christus, quoniam si sciret paterfamilias, qua hora fur ueniret, uigilaret utique, & non sineret perfodi domum suam. Quomodo ergo Christus Iesus, qui promisit se, etiam si mulier obliuiscatur infantis sui, non obliuiscturum nostri, eò quòd in manibus suis descripserit nos, posuerit q; custodes super muros Hierusalem, qui tota die & tota nocte in perpetuum non sint tacituri, quomodo, inquam, uerus ille & misericors paterfamilias, uerus ille Samaritanus, qui non dormitando neque dormiendo custodit Israel, à custodia matutina usque ad noctem, qui & fidelis est tanquam filius in domo sua, tot seculis tam profundum obdormiuisset, & passus fuisset domum suam benefundatam suis per firmam petram ab impijs furibus non modò perfodi sed funditus compilari, deuastari atque diruit? 17. probatio. Luc.12 Esa.49 Luc.10 Psal.130 Psal.126 Psal.129 Heb.3 Mat.7 Luc.12

Si igitur Christus & scriptura est uerax, quemadmodum sine dubio est, fieri non potest ut tota ubique Ecclesia aut mundus errarit uel unum diem, sed oportet, ut & pædobaptisma, & quicquid præterea ad fidem & bonos mores spectans, ubique inter Christianos

nos

nos tanquàm tale multis iàm annorum curriculis est obseruatum, sit uerè pium, sanctum, & diuinum, etiamsi ex nulla fuerit expressa scriptura depromptum. Ecclesia enim non minus quàm scriptura, teste 1.Tim.) Apostolo, est columna, & firmamentum ueritatis. Alioqui enim hæc omnia, quæ recitauimus prophetica oracula, & plurima adhuc alia eiusdem generis, quæ breuitatis causa prætermimus, falsa forent (quod ne cogitare quidem liceat) si pædobaptisma hactenus ubique inter Christianos usurpatum, sit impium & idololatricum, ut blasphemat Menno. Vbiq; enim gentium, ubi Christiana lex receptа fuit, pædobaptisma semper ita necessarium est habitum pusillis, ut sine eo saluos fore nemo unquàm uerè catholicus crediderit.

Hoc igitur sit primum argumentum paruulos esse baptizandos, quòd constet multis iam reuolutis seculis, ubique locorum inter Christianos, pædobaptisma fuisse creditum sanctum, pium, Christianum, ac pusillis ad salutem necessarium. Huius enim obseruationis antiquitas irrefutabilem nunc habet ex multis scripturis authoritatem, ita ut, quod Menno obijcit nobis, nos longis temporum præscriptionibus niti, id non dedecori, sed honori nobis uertendum putemus, quanquàm negemus atque pernegemus, quod adijcit, nos solis præscriptionibus & consilijs, non autem scripturis niti, ut nunc abundè contrarium audiuimus, mox audituri & plura.

Quod

Quod pusilli secundum præceptum Christi, siue secundum scripturam sint in Christo baptizandi. Cap. V.

PVsillos non baptizandos hinc prætereà putat ostensum Menno, quod non expreßè scriptum neque præceptum sit. Nos uerò baptizandos affirmamus, nõ modò quia baptismatis fructus sunt capaces, aut quia nusquã prohibitum, sed etiam quia non minus expreßè præceptũ de ipsis, quàm de fœminis baptizandis. Audiamus igitur primò quid Menno contra scripturã garriat ac blasphemet, cuius terra adhuc est inanis & uacua, & tenebræ sunt super faciem abyßi, ut discussis tenebris, & facta luce, Deo iubente, facilius poßit à tenebris palimbaptisticis uera Christi lux diuidi. Genes. 1

Quod fidelium paruuli, ait, sint baptizandi, cupimus scripturam et præceptum audire. Quid est hoc aliud, quàm quod dixerat Thomas. Nisi uidero in manibus eius fixuram clauorum, non credam. Si ita respondisset mundus Apostolis mißis ad prædicandum in nomine Christi remißionem peccatorum dicens: Quod hic sit uerus Meßias & non alius, quod per hunc simus baptizandi, & non circuncidendi, quod nisi baptizemur non simus intraturi regnum Dei, & ita de omnibus alijs Christi dogmatis, cupimus expressam scripturam audire, profectò non fuisset fides Christi per totum mundum tam facilè diffusa. Menno. Confutatio Iohan. 20 Mat. 28

Imò ea ferè sola caussa, quod Iudæi increduli perma-

nse-

Iudæi nimis sola expressa scripturę litera sine spiritu confisi, regnum Dei amiserunt. Ioban.8 Mat.15 Act.15

manserint, & nunc exciſi ſint, quod uidelicet ſine ſpiritu, ſine obedientia, & ſine humilitate, nimis ſola expreſſa ſcripturæ litera confidebant. Videbant enim, Chriſtum aliquando literam non obſeruare, quemadmodum ipſi putabant obſeruandam, ut quando ſabbatho tuſſerat lectum portandum, quando docuerat omne quod intrat in os, nõ coinquinare animam, quando denique Apoſtoli eius cenſebant neque circuncisionẽ neque ceremonialem legem amplius ſeruandã. Quid magis pugnabat cum litera ipſorum? Sed fides amat humilem obedientiam, & non euidentem ac neceſſariam rationem. Si enim ratio tam ſit neceſſaria ut uiolenter coęat, & perſpicuam euidentiam pariat, iam non tam fidem quàm ſcientiam habeat. Apoſtolus uult obediendum eſſe fidei, non autem aſcenſum mentis neceſſitate rationis exprimendum.

Fides obedientiam poſtulat.

Rom.1 2.Cor.10

Ioban.20

Parcimus nihilominus Mennoni, & offeremus ei uulnera Chriſti manibus contingenda, & præceptum, quod baptizandos etiam iubeat paruulos, monſtrabimus, ut ſic ſaltem, poſtquam cum Thoma uiderit & palpauerit, credere incipiat, & ad eccleſiam redeat.

Menno.

Rurſus alibi: Quia baptiſmus eſt, inquit Menno, tuſſus dari fidelibus ſeu credentibus, conſtat eos qui citrà fidem, & ſine ſcriptura baptizant, non Chriſtum ſed proprium arbitrium ſequi, ac proinde pædobaptiſma eſſe idololatricum, inutile ac ſuperuacaneum. Si Iſrael circuncidiſſet puellas ſuas, quamuis id non erat expreſsè prohibitum, peccaſſet. Similiter quamuis nunc non ſit prohibitum baptizare paruulos, baptizamus tamen eos extra ordinem Chriſti, cò quòd non ſit expreſsè ſcriptum. Sic ille.

Multa

Multa horum, quæ iam audiuimus blasphemare Mẽnonem, antea satis discussa sunt, nunc restat ut doceamus, præceptum baptizandi etiam pertinere ad paruulos, & effectum baptismi tam esse super pusillos necdum credulos, quàm super adultos iam credentes.

Primò autem dicimus non esse statim impia & idololatrica, quæcunque sine expressa scriptura uel præcipiente uel consulente in honorem & cultum Dei fiunt, quemadmodum Menno somniat. Fuisset enim impia & idololatris (quod absit) sanctissima mater Christi, quæ sine scriptura statuerat sic colere Deum, ut nunquam cognosceret uirum. Fuisset impius & idololatra Helisæus propheta Domini, qui sine scriptura miserat Naaman ad Iordanem ut lauaret se septies, & ita sanitatem recuperaret. Fuisset impius et Dauid propheta, qui cantores instituerat, & plures ministros templi ordinarat, quàm scriptura iusserat. Fuisset impia & Iudith illa uidua laudatissima, quòd sine scriptura iubente, in superioribus domus suæ sibi fecerat secretum cubiculum (unde nos intelligimus monachorũ ac monacharum cœnobia à uulgo separata, esse uerè Deo grata, si obseruentur ut instituta sunt) in quo cum puellis clausa morabatur, & habens super lumbos cilicium ieiunabat omnibus diebus uitæ suæ, præter festa domus Israel. Fuisset denique & omnis populus Iudaicus impius & idololatra quòd die uictoriæ Iudith, diem consecrationis templi à Salomone ædificati, atque dies encæniorum templi à Machabæis instituros, habuerit sine scriptura iubente, in perpetuum celebres.

Non omnia quæ sine expressa scriptura fiũt in cultum Dei, sũt impia & idololatrica

Luc. 1

4. Reg. 5

1. Paral. 25

Iudith. 8

Cœnobia monachorũ

Iudith. 16
2. Paral. 7
1. Mach. 4

Secundò quod blaterat Mẽno de puellis seu fœmellis

Israelis

Ridiculum q̃ Mẽno ait puellas Iudaicas nõ fuisse phibitas circuncidi.

Israeliticis nõ prohibitis quidem circuncidi, nec tamẽ circuncisis, eò quòd si eas circuncidissent, peccassent, tam friuolum ineptum atque indoctum est, ut sit potius risu exibilandum, quàm ulla responsione dignum. Si Israel circuncidisset puellas suas, quamuis id non erat expressè prohibitum, peccasset, inquit Menno. Bone Deus, quomodo potuisset, etiamsi uoluisset, Israel circuncidere puellas? Præpucij enim caro non autem digiti aut nasi, erat circuncidenda. Vide autẽ, ò Christiane lector, ad quantam cæcitatem protrudat erroris insania. Si canis aut asinus loqui posset, nunquam tam insipidè loqueretur. Aut homo iste nescit quid sit præpucium, ut putet præpucium esse quid commune masculis et fœmellis, aut si sciat, manifestè declarat se hæretico furore ita percitum & circumactum, ut præ erroris uertigine non modò bonum malum, & malũ bonũ, tenebras lucẽ, & lucẽ tenebras, sed etiam fœmellas masculos, et masculos fœmellas dicat. Nugãtur poëtæ gentiles atque fingunt Athamanta putasse uxorẽ suam leænan, & prolem suã leonis catulũ. Matrem Pentbei filium suum putasse immensum aprum, Et Aiacem ita factum furibundum, ut mille ouium insanus morti dederit, inclitum Vlyssem & Menelaum unà cum Aagmẽnone se occidere clamans. At quanto minori insania hunc hominem correptum putamus, qui præpucia absint puellis, quæ uelit circuncidenda? Nisi fortè intelligat pannucia præpucia: Nam carnea habere non possunt. Cùm igitur puellæ non habeant præpucia, neque circuncidi possint ullo modò ad formam præcepti diuini, intelligimus eas ipsa rei impossibilitate prohibitas circuncidi. Similiter quod nostris

Genes. 17

Mẽno poetis ethnicis absurdiora dicit.

pusillis

pusillis fieri est impossibile, id quoq; negamus eis fas
ciendum, sed baptizandos affirmamus tum propter
possibilitatem, tum propter utilitatem & fructum,
tum propter necessitatem.

Ipsis enim non modo non prohibitū, sed præceptū
est baptisma, multò expressius quàm fœmellis. Nam
præceptum baptismi semper loquitur in genere mas-
culino. Qui crediderit et baptizatus fuerit. Et bapti-
zantes eos in nomine patris &c. & nunq; in genere
fœmmino. Quæ crediderit & baptizata fuerit &c.
Fœmellas tamē baptizādas quoq; perinde atq; masculos non tam ex scriptura expressim præcipiēte, quàm ex baptismi fructibus, quorum sunt capaces, intelligimus. At pusillos masculos baptizamus, nō modò quia baptismi fructus sunt capaces, ut posteà declarabitur, sed etiam quia expressius præcipiuntur baptizandi quàm fœmellæ, id nunc ostendamus.

Magis expresse præcipiuntur pueruli q̄ fœmine baptizari

Primam autem accipiamus scripturam, qua ipse
Menno perperam contra Ecclesiam Dei abusus est, ut
eum suo sibi iugulemus gladio. ex Mat. 19. Marc. 10.
& Luc. 18 cùm dicitur: Sinite paruulos uenire ad me
& nolite eos prohibere ad me uenire. Talium est enim
regnum cælorum, hoc est, ut suprà abundè diximus:
Paruulorum ad me uenientium, & non prohibitorum
ad me uenire est regnum cælorum.

Paruulorū ad Christum venientium hoc est baptizatorum, est regnum cælorum.

Quomodo autem dicuntur paruuli, aut, ut habet
Lucas, infantes ad Christum uenire, cùm necdum am-
bulare, neq; Christum cognoscere possint? Certè non
penitus sic uenire dicuntur, ut maiusculi, quasi pro-
pria sponte & uenire & salutem petere queant. Sed
quod adolescentiores sponte debent facere, id paruus

Quomodo paruuli venire ad Christū dicātur.

li, quando sponte non possunt, debẽt aliena uoluntate & alieno adminiculo non quidem facere, sed pati ut fiat, hoc est, debent quasi alienis pedibus uenire ad Christum. Nam paruulos uenire est ipsos adferri uel offerri Christo, ut ab eo benedicantur.

Paulò aliter pusilli ad Christũ veniunt quasi natu grãdes.

Neq; quicquam aliud est discriminis inter pusillos & maiusculos ad Christum uenientes, quàm quòd hi sua sponte, quasi propriis pedibus, hoc est, propria fide, illi uerò non sua sponte sed quasi alienis pedibus, hoc est, aliena fide ueniant, propter impossibilitatem propria sponte ueniendi. Impossibile enim non præcipitur. Solo enim hoc discrimine posito, cóque ex rei possibilitate & impossibilitate sumpto, in reliquis eodem modo dicuntur paruuli et adulti uenire ad Christum. Veniendi enim uerbum in scriptura includit fidem uel propriam uel alienam, ut alibi latè diximus.

Veniendum est ad Christũ & paruis & magnis.

Pusillis autem non minus quàm maioribus natu ueniendum est ad Christum, si modò salui sunt futuri. Quòd enim hic dixit Christus paruulorum ad se uenientum esse regnum cælorum, idipsum etiam uerè de quibuslibet intelligitur dictum. Omnium scilicet hominum ad Christum uenientium, malitia saltem, quamuis non ætate paruulorum, esse regnum cælorũ,

Mat. 19

Mat. 11

præsertim cùm alibi dixerit: Venite ad me omnes qui laboratis & onerati estis, & ego reficiam uos.

Non venientes ad Christũ siue parui siue magni, nõ erũt salui

Et contrà, omnium eorum qui non ueniunt ad Christum, siue paruuli siue magni sint, non esse regnum cælorum. De paruulis enim non frustrà dicitur: Sinite paruulos uenire, & nolite eos prohibere. Nam si non ueniendo potuissent salui esse, non opus erat præceptο,

cepto, ut uenire sinerentur & non prohiberentur. De maiusculis quoque dicitur: Non uultis uenire ad me, ut uitam habeatis, quasi dicat, si non ueneritis, non habebitis uitam. Iohan.5

Vtriusque igitur uenire ad Christum est necessarium tam paruulis quàm magnis, & utriusque eadem est uia ad Christum ueniendi, secundum possibilitatem uniuscuiusque, cùm utrisque sit dictum ut ueniant, & eodem modo si uenerunt promissa sit salus. Nam hæc duo: Ego reficiam uos, quod de maiusculis uenientibus dictum est, &, Talium est regnum cælorum, quod de paruulis ætate quidem, sed non solis dicitur, re non admodum discrepant. Qui enim reficiuntur à Christo, ipsorum etiam est regnum cælorum, quandiu quidem tales manent ut digni sint refectione Christi. Et quorum est regnum cælorum, ij etiam reficiuntur à Christo, hic in spiritu sancto intus habitante & gratia Dei, secundum propriam uirtutem & capacitatem uniuscuiusque, & post hanc uitam, gloria æterna. Mat.11 Luc.18 Mat.25

Quia tamen, ut diximus, aliquid diuersitatis est inter paruulos & adultos, quod hi sua sponte, illi uerò non sua sed aliena sponte ad Christum ueniant, ideò Christus præcepit adultis simpliciter: Venite ad me omnes, quippe qui & audire præceptum possunt, & sponte sua implere.

Mat.11 Paruuli qui dē veniendū non tamē est dictū, Venite, sed nobis eorū tutoribꝰ ꝑceptum vt eos finamus venire.

Paruulis autem non dixit, Venite, cùm necdum audire possint. Sed præcepit nobis, qui paruulorum curā habemus. Sinite paruulos uenire, quasi dicat, uolo ut paruuli ueniant & non prohibeantur uenire: sed quia id neq; audire neque sponte sua implere possunt,

præcipio uobis paruulorum cuſtodibus ut eos uenire ſinatis & aliuuetis & nullo modo prohibeatis. Similiter poſſet declarari in multis alijs. Vno contentus

Exod.20 *ſim exemplo. Præceptum non occidendi, quo intelligimus non licere cuiquam neque ſe, neq; quenquã alium (ſine authoritate gladium portandi) uel gladio, uel laqueo uel inedia uel quouis alio modo interficere, ſed oportere unumquemq; omne mortis periculum uitare, ad omnes hommes quodammodo pertinet. Sed quia puſilli id propria ſponte uitare nequeunt, ſine dubio intelligimus ipſorum cuſtoditus præceptũ eſſe, ut eos tueantur, & non ſinant ire præcipites in mortis diſcrimen. Sin parentum incuria aut negligentia paruuli uel in ignem, uel aquam, uel cultrum incidãt, & ita moriantur, ipſi quidem paruuli ſine ſua culpa uitam hanc perdunt, ſed eorum parẽtes uel cuſtodes ſunt rei mortis, cò quòd non prohibuerint aut impedierint mortis diſcrimen, cùm poterãt. Sic etiam ipſis quidem paruulis ueniendum eſt ad Chriſtum, non eſt tamen ipſis expreſsè dictum ut ueniant, ſed nobis præceptũ eſt ut eos uenire ſinamus & non prohibeamus. Venire itaque debent non minus, neque aliter, quam adulti, niſi quòd alieno admiculo.*

Videamus itaque quomodo adulti dicantur uenire ad Chriſtum, ut inde intelligamus quomodo & paruuli uenire debeant, ut ipſorum ſit regnum cœlorum.

Aliter uenire debeant ad Chriſtũ ethnici peccatores & aliter Chriſtiani peccatores. Eph.2

Loquor autem de primaratione ueniendi ad Chriſtum, qua qui hactenus fuerunt hoſpites teſtamentorum, promiſſionis ſpem non habentes, & ſine Deo in hoc mundo, nunc incipiunt fieri ciues ſanctorum, & domeſtici Dei. Aliter enim ipſi ciues ſanctorum, qui fuerant

fuerant propè in sanguine Christi, & participes facti erant spiritus sancti. si prolapsi sint in pristina peccata, & quasi canes ad uomitum reuerint, debent uenire ad Christum. Et aliter qui nondum illuminati fuerant, neque dum gustauerunt donum cæleste, sed sine Christo erant, & alienati à conuersatione fidelium, uenire debent ad Christum. His enim dicitur: Qui crediderit & baptizatus fuerit saluus erit. Illis uerò dicitur: Qui lotus est non indiget, nisi ut pedes lauet. Relapsis enim sine baptismo præcipitur sola pœnitentia cùm baptismus sit irreiterabilis. Illotis uerò, qui uidelicet hactenus fuerunt longè, ut possint fieri propè in sanguine Christi, neque fides ulla neq; pœnitentia sine baptismo sufficit, sed ipsis præcipitur. Pœnitentiam agite & baptizetur unusquisq; uestrum in nomine Iesu Christi, in remissionem peccatorum uestrorum, & accipietis donum spiritus sancti.

Heb.6
2. Pet.2
Heb.6
Eph.2
Marc.16
Iohan.13
Eph.2
Act.2

Non loquor etiam de ea ratione ueniendi ad Christum, quæ erat dum Christus adhuc in mundo ipse uersaretur, & se daret uisibilem oculis, auribus audibilem, & manibus contrectabilem. Sed loquor de ea ratione ueniendi ad Christum, quæ iam nunc est, postq; Christus ascendit ad patrem, & misso spiritu sancto, suam legem nobis per Apostolos satis manifestauit. Christo enim adhuc prædicante nondum erat necessarius baptismus, neque erat necessarium solui & remitti ab Apostolis. Sed ipse Christus propria sua præsentia omnibus ad se uenientibus poterat dare, imò & sæpissimè dedit sine ullis institutis sacramentis seu signis quicquid ad salutem spectaret. Exempla habemus multa, de paralytico Matt. 9. de hæmorrhoissa

Alius erat modus ueniendi ad Christum dum ipse adhuc in mundo uersaret, & alius nunc, cùm se abstulit uisibile oculis nostris.
Iohan.20

Marc.5. de muliere Syrophœniſſa Matt.15. de peccatrice Luc.10. de infirmo qui ad piſcinam expectabat aquæ motum Iohan.5. de adultera Iohan.8. de cæco nato Iohan.9. de paruulis ad Chriſtum allatis Mat.19 & de alijs paſſim in Euangelio recenſitis. Quibus omnibus ſalutem dedit ſine ullis ſignis ad ſalutem accipiendam inſtitutis.

Chriſtꝰ aſcẽſurus ad patrẽ cõſtituit ſuã legẽ, qua lẽ voluit per mãſurã vſq; ad finẽ ſeculi

Sed cùm aſcenſurus eſſet Chriſtus ad patrem, & ſe non amplius ita uiſibilẽ mundo exhibiturus, tunc conſtituit legem ſuam, qualem uoluit perdurare uſq; ad conſummationem ſeculi, tunc quòd ipſe propria præſentia ſine alicuius uel miniſtri uel ſigni medio prius fecerat, uoluit fieri per Apoſtolos, & eorum ſucceſſores, dicens Petro: Paſce oues meas, & cæteris omnibus: Quorũ remiſeritis peccata, remittũtur eis. Tunc & incepit Baptiſmus neceßitatem obſeruationis obtinere, ita ut nunc, ſi quis ad ſolum Chriſtum uenire uelit, neglectis uel cõtemptis eius miniſtris myſteriorum Dei diſpenſatoribus, nunq; ſit ſalutem inuẽturus.

Iohan.21
Iohan.20

Nũcquicũq; ad Chriſtum veniunt, ad eiꝰ miniſtrũ veniãt oportet.

Oportet enim, Chriſto ſic uolente, ut nunc, quis cunq; ueniunt ad Chriſtum, ueniant ad eius miniſtrum ab ipſo Chriſto conſtitutum ouium paſtorem, ſicut Angelum Dei, imò ſicut Chriſtum Ieſum & accipiendum & audiendum Gal.4. Luc.10. quaſi ad Chriſtum, non ut à miniſtro quaſi ex miniſtro ſalutem capiant, ſed à Chriſto inuiſibiliter aßiſtente, cooperante, & ſic ſalutem dare uolente. Deus enim incrementum dat, inquit Apoſtolus, qui & idoneos nos fecit miniſtros noui teſtamenti, non literæ ſed ſpiritus. Nam & audet idem Apoſtolus dicere datam eſſe Timotheo gratiam Dei, per impoſitionem manuum ſuarum, quam quidem

3.Cor.1
1.Cor.3
2.Cor.3
1.Tim.4
2.Tim.1

gratiam

gratiam Christus ipse adhuc præsens dare solet sine Apostolicarum manuum impositione, nunc uerò non item. Iohan. 20. Act. 8. 13.

Vt igitur tantùm loquamur de re proposita, quomodo nunc adulti primò ueniant ad Christum, qui hactenus fuerunt sine Christo, dicimus, ut ex dictis nunc liquet, quòuis Christo adhuc præsente, sine ullis signis aut sacramẽtis, ad solum Christum ueniendo inuenire poterant salutem per solam fidem, imò & extra fidem cùm baptismus necdum habebat necessariam obseruationem, & sufficiens fides non erat possibilis. Nunc tamen neq; fides neque pœnitentia ulla, neglecto uel contempto baptismo et baptismi ministro, ad salutem sufficit. Sed dum credentes sinunt se baptizari, tum demum censentur uenisse ad Christum, & benedictionem accepisse. Sine baptismo nõ est salus nũc, præsertim si baptisma vel negligas vel contemnas.

Cùm igitur adultis sola propria fides non sufficit ad hoc, ut ad Christum uenisse, & ab eo refecti & recreati dicantur, sed oportet ut etiam baptizentur, si modò ad baptismum ullo modo pertingere possunt, sine dubio hinc constat neque paruulis solam alienam fidem sufficere ad hoc, ut ad Christum uenisse, & ab eo manibus impositis benedictionem accepisse credantur, sed oportet ut etiam baptizentur. In baptismo enim Christus ipse non minus efficaciter, quantumuis inuisibiliter adest, complectitur, & benedicit ad se allatos, quàm quondam uisibiliter benedixerat sibi oblatos paruulos. Quod enim tunc faciebat absq; signis, id nunc facit non sine signis ad salutem institutis, neque extra ministros. Mat. 11. Mat. 19.

Quemadmodum igitur qui tunc uel negligebant

uel contemnebant suos filiolos ferre ad Christum, eorum etiam paruuli non benedicebãtur secundũ Euangelium. Ita & nunc qui nolunt suos pusillos ferre ad Christum, qui eos per aquam ministrorum baptizet in spiritu sancto & igni, eorum filioli nunquàm erunt benedicti, neque ipsorum erit regnum cælorum, imò neque parentũ, qui suos paruulos priuant complexibus Christi, eosq; multò crudelius occidunt quam Herodes occiderat innocentes.

Mat.3

Quemadmodũ etiam tunc erant mysteriorum Dei adhuc ignari discipuli, & prohibebant paruulos adferri ad Christum, quibus & succensuit Christus. Ita & nunc insurrexerunt contra Ecclesiam Dei paruulos Christo offerentem diuinorum mysteriorum ualde ignari Mennoniani, qui paruulos ad Christum uenire prohibent, ipsosq; priuant benedictione Christi, quibus & Christus indignatur atque indignabitur in æternum, nisi resipiscant.

Luc.18

Vt tempore Christi, ad ipsum adhuc præsentẽ adferebant paruuli. Ita nũc ad christi ministrũ vt baptizentur.

Sed age, ò Menno, cum fatearis hoc Euangelicum non modò scriptum propter illos, qui tunc temporis ferebant suos infantulos ad Christum adhuc uisibili corpore præsentem, sed etiam propter nos, ut & nos nostros pusiones ad eorum imitationem ad Christum nunc inuisibiliter præsentem, & ministris suis cooperantem, adferamus, qua fronte audes quasi ex hoc loco, sed heu nimis contra hunc locum pronunciare paruulos sine baptismo in sola fide parentum fore saluos? Vides ne quid Christus dicat, Sinite paruulos uenire ad me, & nolite prohibere eos ad me uenire? Si paruuli ad Christum ueniunt secundum Euangelium per solam fidem parentum, quis potest id prohibere?

Mat.28

Per solã fidẽ parentũ sine baptismo nõ dicũtur paruuli venire ad Christũ.

Parentum

Parentum enim fidem ut nemo uidere, ita nec prohibere potest. Quia igitur non solum propter nos quoque dictum est, Sinite paruulos uenire, quod inimitemur. Sed etiam dictum est propter nos quoq; Nolite prohibere eos ad me uenire, ut id caueamus: hinc certum est solam internam fidem parentum non sufficere paruulis, sed oportere eos sic uenire ad Christū, ut & uideantur uenire, & ab ignaris uel impijs prohiberi possint, atque à pijs admitti. Paruulorum enim sic uenientium ad Christum est regnum cælorum. Sic autem uenire non possunt, nisi per baptismum, in fide Ecclesiæ foris per externa signa sic apparente. Mat.19

Quamuis itaque ualde pium, sanctum atque laudabile sit, ut parentes suos paruulos ab incunte conceptionis tempore statim pia ac fideli mente aßiduis{que} precibus, Domino creatori commendent, ea tamen parentum commēdatio non dicitur Euangelica oblatio, qua ad Christum censeantur uenisse & salutis benedictionem accepisse. Euangelium enim loquitur de tali oblatione, quam discipuli & uidere, & uel admittere, si recte sapiant, uel prohibere, si desipiant, possint.

Paruulos igitur qui ob parentum non piè de baptismo sentientium culpam sine baptismo moriuntur, credimus sine dubio non magis saluos futuros, quam infidelium quorumuis infantes. Eos uerò qui non ob parentum culpam, sine baptismo fortè, priusq; nascantur, moriuntur, quanquam fateamur Deum posse saluos facere per ueram fidem & piam commēdationem uel parentum uel aliorum pro salute ipsorum ardenter rogantium, non tamen docet ulla scriptura credendum, Paruuli q sine baptismo moriuntur, non salui erunt, quanq; fateamur Deū eos saluare posse.

Iohan.3

dum, sed potius docet non credendum sic frequenter saluos fieri. Post legem enim circuncisionis datam masculis, non inuenimus expresse, nisi duntaxat de tribus, qui antequàm circuncisi essent, sanctificati fuerint Hieremia, Esaia & Iohanne baptista.

Hier.1
Esa.49
Luc.1

Nam si in fide parentum paruuli semper fuissent sancti & beatitudine æterna digni, nihil noui, neque priuilegij dixisset scriptura de Iohanne adhuc in utero matris spiritusſancti pleno futuro, Neque dixisset Salomon se esse unicum filium matris suæ. Habebat enim germanum fratrem, si carnalem natiuitatem spectes. Sed quia is mortuus est ante octauum diem circuncisionis, quã quàm pater Dauid multum afflixerat se ieiunando & orando pro filiolo suo ægroto, habitus est à Salomone, quasi non fuisset natus, iuxta scripturam dicentem: Masculus, cuius præpucij caro circuncisa nõ fuerit, delebitur anima illa de populo suo. Sic et nos paruulos nostros non habemus neq; æstimamus Christianos, sine baptismo mortuos, neque eos sepelimus Ecclesiastica sepultura, etiamsi parentes eorum sint iusti sancti & pij, & incedentes in omnibus iustificationibus Domini sine querela.

Pro.4
2.Reg.12
Genes.17

Videãt genitrices ut suos fœtus conceptos non labefactent, utq; eos Deo creatori sedulo cõmendent.

Omnibus itaq; modis suasero parentibus, ut à tempore conceptionis uiuant sanctius magisq; piè, quàm fortè alias solent, & abstineant ab insanis & improbis laboribus, ne ipsarũ culpa fiat, ut fructus in lucem uitalis prodire nequeat, & nunquàm ecclesiæ Domino commendare quod seminatum est, in cuius solius manu est, ut nascatur, baptizetur, & saluum fiat. Imò etiamsi fortè sciant, suos fœtus non uenturos in lucẽ, (ut id ita forè facianus) neq; baptizãdos, non tamen desperent,

desperent, neque cessent eos ardenter cõmendare Domino. Oratio enim tam diuina est, ut etiam si sciremus quod precamur, nobis non datum iri, modò tamen quod precamur, sit pium & saluti non contrarium, melius fuerit precari, quàm non. Si enim nõ hoc, aliud saltem huius loco impetrabimus. Exemplum habes de Christo rogante patrem, ut transiret calix passionis à se, quem tamen præscibat non transiturum. Oratiõis fũ ma vtilitas. Mat.26

Quin neq; omnino negamus Deum secũdum suam misericordiam ineffabilem posse quorundam sanctorum infantulos sine baptismo saluos facere. Sed negamus id nobis ex scriptura constare an aliquando nunc fiat. Nam contrarium patet, aut si quando fortè fiat, nõ nisi rarissimè fieri credimus. Sed ueniamus ad alias scripturas de paruulis necessariò baptizandis loquentes, & hanc disputatiunculam absoluamus. Iohan.3

Audiuimus iam necessarium esse ut paruuli finantur uenire ad Christum, & non prohibeantur uenire, si regnum cælorũ sit futurũ ipsorum, idq; interpretati sumus non posse fieri secundũ scripturã, nisi per baptismum in fide Ecclesiæ, nunc alia aggrediamur uia, & idipsum nõ paulò efficacius iterũ demonstremus. Mat.19 Luc.18 Marc.10

Quicunque ad Christum ritè ueniunt, quemadmodum scriptura iubet ueniendum, ad eos uicissim uenit Christus, iuxta illud propheticum: Conuertimini ad me, dicit Dominus exercituum, & ego conuertar ad uos. Paruuli autem cùm non possint conuerti & uenire ad Christum per se, nisi ab alijs offerantur, (qui enim ab alijs sine propria uoluntate suum peccatum contraxerunt, per alios quoque sine propria uoluntate possunt & debent ad Christum uenire, atque remissionem Secunda probatio q̃ paruuli secũdũ præceptũ & vsum Apostolicũ sint baptizandi. Zach.1.

dant in cælo, pater, uerbum, & spiritus sanctus, & hi tres unum sunt. Vnum, inquam, non modo unitate substantiæ, sed unitate etiam operationis, qua & redẽpti sumus per Christum, & remissionẽ accipimus in Christo. Quandoquidẽ, ut ait Apostolus, Deus erat in Christo mundum reconcilians sibi. Et pater, ait Christus, in me manens, ipse facit opera. Rursus: Si quis diligit me, sermonem meum seruabit, & pater meus diligetcum, & ad eum uenemus, & mansionem apud eum faciemus. Non enim spiritus solus, quamuis cum solum Apostolus exprimat, testimonium reddit spiritui nostro, quod sumus filij Dei, sed pater uerbum & spiritus sanctus. Qui credit in filium Dei, habet testimoniũ Dei in se. Paruulos autem fideles quoq; esse, dum baptizati fuerint, suprà docuimus. Nam & hi tres testificati sunt quoniam Christus est ueritas, & per Christum in nobis operantur ad Christum uenientibus per spiritum aquam & sanguinem in baptismo peccatorum remissionem.

Tres sunt q̃ testimoniũ dãt in cælo. Tres vnum.

2. Cor. 5
Iohan. 14
Ibidem.

Rom. 8

1. Iohan. 5

Tres enim sunt (ut sequitur) qui testimoniũ dant in terra spiritus, aqua & sanguis, et hi tres unũ sunt, Vnum, inquam, non numero neque substantia, sed uirtute operationis Dei, & efficacia pro nobis merendi per Christum, eiusq; meritum nobis communicandi.

Tres sũt q̃ testimoniũ dant in terra Tres in terra vnum.

Quã itaque putãt paruulos sine aqua fieri saluos, quasi in solo sanguine Christi, hi negant Christum tres sum uenire per aquam & sanguinem, neque tres sed duos dumtaxat faciunt qui testimonium dant in terra spiritum et sanguinem. Imò & in cælo faciũt non nisi duos testes. Nam spiritum sanctum auferunt, cuius signum est aqua in terra Iohan. 7. Quin & Memo

Mẽo auferẽ aquã & spiritum sanctũ à salute parulorũ, facitq; q̃ nisi duos & in cælo & in terra, q̃ testimoniũ dẽt

apertis

apertis uerbis contra Apostolos, et contrà omnẽ scripturam abstulit spiritum sanctum à salute paruulorum. Nam putat suos paruulos non modò sine baptismo, sed etiam (quod est multò abominabilius) sine spiritu sancto fore beatos atque saluos, quod supràre futauimus abundè.

Hinc itaque constat euidentissimè quòd aqua non sit excludenda ad salutem paruulorum habendam, sed secundum præceptum Christi omnino usurpanda, ut quam & ipse Christus non minus quàm sanguinem effudit in ara crucis pro nobis oblatus Deo patri hostiã in odorem suauitatis.

Iohan.19
Eph.5

Tertia pbatio q̃ paruuli secundum p̃ceptũ Christi & usum Apostolicũ sint baptizandi.

Atque hinc est (quod est omnium argumentorum ualidissimum) cur Christus tam strictè præceperit, neque quenquam exceperit, addito suæ ueritatis iuramento, Iohan.3. Amen amen dico tibi, nisi quis natus fuerit ex aqua et spiritu, non potest introire in regnũ Dei: exprimens aquam in qua foris lauemur, & spiritum sanctum in quo intus mundemur: Sed tacens sanguinem, cuius merito intus lauemur. Nam expresso spiritu satis intelligimus hanc regenerationem fieri merito sanguinis Christi. Non enim datur spiritus cuiquam, nisi in merito eius Tit.3. Atq; ideò sequitur posteà: Sicut Moses exaltauit serpentẽ in deserto, ita exaltari oportet filium hominis, ut omnis qui credit in ipso, non pereat, sed habeat uitam æternam.

Totius passionis meritũ est ad salutẽ necessariũ

Quòd itaque Christus dicit: Nisi quis natus fuerit ex aqua & spiritu &c. perinde est atque si diceret: Nisi quis totius passionis meæ participem se fecerit, non poterit intrare regnum meum. Nam qui contemnit uel unam partẽ passionis meæ, qua ad redẽptionem

mundi

mundi usus sum, is totam passionem contempsisse censcribitur. Quicunque enim, inquit D. Iacobus, offendit in uno, factus est omnium reus. Passionis autem Christi pars est quædam non modò sanguinis, sed & aquæ effusio. Iccirco uoluit Christus aquam foris operari, & sanguinis meritum per spiritum sanctum intus, ne uideatur quicquam frustrà fecisse, quod ad remissionem peccatorum nihil omnino faciat, aut conducat. aco.2

Quemadmodum igitur tam paruulis quàm magnis est passio Christi ad salutẽ necessaria. Ita etiam utrisque tota eius passio, & totius passionis signa sunt necessaria, præsertim cùm Christus tam uiolenter præcipiat: Nisi quis natus fuerit ex aqua & spiritu &c. & neminem excipiat, ut diximus, imò & ipsos paruulos manifestè includat, ut patet ex sequentibus. Quod natum est ex carne, caro est, & quod natum est ex spiritu, spiritus est. Tam enim nati sunt paruuli ex carne, & tam sunt caro, quàm adulti, ac propterea tam est eis opus ut nascantur ex spiritu, & ut spiritus fiant, quam adultis. Paruuli manifestè sunt inclusi præcepto baptizandi. Iohan.3

Nunc si quis potest ostendere paruulos non esse natos ex carne, ei credam dicenti, non posse etiam neq; opus habere ut nascantur ex spiritu. Cum enim hæc duo simul iuncta sint, nasci ex carne, & nasci ex spiritu, quomodo ullo modo uerisimile alterum de paruulis dici, & alterum non? At constat ex Iohanne baptista, qui acceperat spiritum nondum natus, sine dubio & quosuis paruulos nasci posse ex spiritu, idq; fieri non per auditum uerbi externi, sed per influxum uerbi interni & æterni, quod caro factum est, & per spiritum sanctum in baptismo acceptionem, ut priori libro Vt ex carne nati sunt paruuli, ita debent ex spiritu nasci. Luc.1

satis

Mennonianæ blasphemiæ refutatio.

satis superq; diximus. Quòd itaque Menno ex his Christi uerbis uult colligere, primo fore regenerationem, deinde aquam adhibendam, & tertio spiritum dari, quasi nō in baptismo fiat regeneratio, sed anteà, id est uerba Christi planè corrumpere, & in aliā sententiam trahere, quàm dicta sunt. Cùm enim dicit Christus oportere nos nasci ex aquā & spiritu, quomodo posset quis inde somniare, regenerationem esse priorem aqua admota & spiritu dato? Nam in eo quod est nasci ex carne, non potest intelligi carnalis generatio ante carnem, sed ipsa carnis uiuæ acceptio est carnalis generatio. Ita etiam ex eo quod est nasci ex aqua & spiritu, nō potest intelligi spiritualis natiuitas aut regeneratio ante aquam & spiritum, sed ipsa aquæ adhibitio & per eam spiritus acceptio est spiritualis generatio. Si enim quis dixerit de carnali generatione ad similitudinem uerborum, quibus spiritualem & diuinam expressit Christus hunc in modum: Nisi quis natus fuerit ex carne & spiritu uitali, non potest intrare regnum mundi, ex huiusmodi uerbis certè nemo posset colligere primò esse carnalem natiuitatem, deinde carnem adhibendam, & tertio spiritum uitalem accipi. Imò in ipso eodem temporis puncto, quo caro est, & spiritus uitalis infunditur, simul est & ipsa carnalis generatio, quæ quidem sit uiua, & nō antè neq; pòst, ut alibi diximus.

Quòd regeneratio in baptismo fiat.

Similitudo.

Recapitulatio cum conclusione.

Nunc itaq; audisti ò Christiane lector quàm necessariū sit ut paruuli baptizentur, et ratione præcepti, & ratione spiritus accipiendi, sine quo salui esse non possunt. Primò enim refutauimus Mennonis argumentum ex Mat. 19. desumptum, quo probare nitebatur

paruulos

paruulos sine baptismo fore saluos, unde nos è contrario potius demonstrauimus eos necessariò baptizandos. Secundò refellimus quoque aliud eiusdem argumentũ ex Mat. & Marc. ultimo, quo putabat ostendi non baptizandos infantes, eò quòd non credant, unde nos potius ediuerso euicimus, si modò id Euangelicum ad pusillos quoq; trahatur, eos maximè baptizandos, & multò quidem magis baptizandos, quàm uirginem matrem cõtra literam fuisse purificandam, & Christum ipsum circuncidendum, neque fidei ignorationem paruulis quicquam obesse, præsertim cum credere ex auditu nequeant, baptizari autem possint. Nos tamen non tam inde quàm ex Iohan. 3. 1. Iohã. 5. & Matth. 19. commonstrauimus paruulos necessitate præcepti baptizandos non minus quàm adultos, multò autem magis quàm fœmellas credentes. Iohannis 3. enim non tam expresse sunt fœminæ uerbis Christi in masculino genere usurpatis concluse atque paruuli, ut iam satis dixisse putamus.

Restat igitur, ò lector, ut de antiqua Ecclesiæ Christi consuetudine, quæ uel sola satis efficax fuerit argumẽtum, nihil quicquam dubites, sed statim ubi paruuli tui in lucem hanc prodierint, fac aduoles eum eis ad ministrum Christi, atque ita eos offeras Christo baptizandos spiritu sancto & igni, hoc est, ulnis Christi ipsius & amplexibus misericorditer excipiendos, & inuisibili manuũ eius impositione benedicendos. Aut si id nequeas, ob periculum præmaturæ mortis, fac saltem agas, quicquid possis eosq; reuerenter ipse baptizes in nomine patris & filij & spiritus sancti. Ita tamen ut posteà, si superstites manserint, eos adferas ad

ministrum Christi non iam rebaptizandos, sed si forte non ritè fuerint baptizati, uel ob imperitiam, uel ob festinantiam mulierculārum, à ministro uerè baptizentur, addita conditione, si non sint baptizati, & expressa intentione non rebaptizandi. Atque hæc hactenus.

Id ipsum rursus, pusillos scilicet esse baptizandos, ostenditur ex figuris aliquot, & potissimum ex circuncisione. Cap. VI.

Si spectemus figuras, quibus longè antè adumbratus et præsignificatus est Christi baptismus, profectò ex illis etiam intellexerimus baptizādos esse pusillos, præsertim alijs scripturis consentientibus, & eas sic interpretantibus. Primò notissimum est ex 1. Pet. 3. arcam Noe, *in qua octo animæ saluæ sunt per aquam, esse umbram quandam & figuram baptismi. Nam & nos nūc similis formæ, inquit Apostol*[us]*, saluos facit baptisma.* Non autem comparat Apostolorum primus baptismū *cum arca, quasi ueritatem cum ueritate, corpus cum corpore, lucem cum luce, & spiritum cum spiritu, sed tanquam ueritatem cum figura, corpus cum umbra, lucem cum tenebris, et spiritum cum litera. In arca enim per aquam non nisi corporis salus, In baptismo autem salus animæ datur.*

Area Noe cū diluuio figuram habet baptismi.

Figura est ueritati multis partibus inferior.

Quid significet figura.

Quemadmodum igitur in arca corporaliter salui facti sunt non modò homines, qui suum seruatorem agnosce

cognoscerent, sed & iumenta, quæcunq; Deus ad eam salutem elegerat, quæ tamen non poterant suum cognoscere seruatorem. Ita etiam in baptismo accipiũt salutem animæ, quicunq; eius capaces sunt, siue suum seruatorem & redemptorem cognoscant, siue instar iumentorum nulla adhuc eius fide ex auditu nata & cognitione imbui possint, modò per electionem Dei ad baptismum ueniãt. Quales sunt paruuli, qui instar iumentorum necdum possunt Deum cognoscere quidem, sunt tamen salutis capaces nihilo minus quàm natu maiores. Vnde ait Regius propheta Dauid: Homines & iumenta saluabis Domine, quemadmodum multiplicasti misericordiam tuam Deus. Quod autem id præuiderit & prædixerit futurum in baptismo, ostendit subdens, Inebriabuntur ab ubertate domus tuæ, et torrente uoluptatis tuæ potabis eos. Quoniam apud te est fons uitæ. Vt iumẽta in arca, ita & paruuli iumẽtis adsimiles in baptismo saluant. Psal. 35

Infantes enim, quamuis speciem humanam præ se ferant, et in se habeant spiraculum uitæ immortalis, non tamen sunt intellectu & moribus admodum absimiles belua iam recens natis, iuxta id, quod alibi dixit idem propheta: Homo cùm in honore esset, non intellexit, comparatus est iumentis insipientibus & similis factus est illis. Psal. 48

Præterea quemadmodum diluuio absorpti sunt & perierunt, non modò qui propria uoluntate peccarant, & iram Dei contra se prouocarant, sed etiam innumeri paruuli, qui sua sponte nõdum peccarant, nisi quòd nati erant filij iræ. Ita etiam sine baptismo pereũt, non tantùm qui sponte sua peccarunt, sed etiam paruuli qui necdum suapte sponte sunt ullis peccatis Alia figuræ & diluuij significatio.

commaculati, nisi quòd maculam ex Adam per carnis propagationem contractam non abluerunt in sanguine Christi per baptismum.

Alia baptismi figura.

Alia figura baptismi est, quam Apostolus ostendit 1.Cor.10. *dicēs: Nolo uos ignorare fratres, quoniam patres nostri omnes sub nube fuerunt, & omnes mare transierunt, & omnes in Mose baptizati sunt in nube & in mari. Nubes itaque & mare quasi coniunctim sumpta unam efficiunt figuram baptismi. Nam baptismus duobus absoluitur, aqua & spiritu.* Iohannis.3.

Mare rubrū qd significet

Mare rubrum significat aquā baptismi, quæ cum sanguine ex latere Christi effluxit, quæ et ipsa rubra est, non naturæ quidem colore, sed uirtutis atque operationis honore, quam ex merito rubei & purpurei sanguinis Christi habet, in uirtute spiritus sancti intus agentis.

Nubes quid significet.

Nubes autem significat spiritum sanctum. Matth.17. *Quæ erat Israelitis interdiu nubes, noctu uersa erat in columnam ignis monstrans uiam, & defendens ab Ægyptijs, & de die protegens ab æstu solis, neque eos deserens, donec perduxisset Ecclesiam Dei in terram promissionis, quanquam interim multi perierint in deserto. Sic & baptismus non nisi semel accipiendus tam paruulis quam adultis, quēadmodum & illud mare non nisi semel transitum est tam à pusillis quam à magnis. Et spiritus per nubem & columnā ignis significatus non discedet unquam ab Ecclesia Christi, nam portæ inferi non præualebunt aduersus eam, donec in terram uiuētium sit deducta, quanquam interim multi mētis desiderio impio & operibus iniquis redeant in Ægyptum murmurātes, Christum tentantes, fornicantes, mammonæ aut uentri quasi idolo*

Significationis adoptatio.

Mat.16

1.Cor.10

seruientes

seruientes, & mala concupiscentes, qui & iam nunc prostrati iacent in deserto, quamuis id necdum sentiant, nimijs uoluptatibus impietatibusq; mersi atque sepulti. Quemadmodum itaque omnes, quotquot erant in Israelitica Ecclesia siue parui siue magni mare transierunt, & omnes in nube baptizati sunt, sic et nunc quotquot sunt de corpore Christi siue pusilli siue magni, baptizati sint, atq; renati ex aqua & spiritu sancto oportet. A postolo ita docente cùm inquit: 1.Cor.12. In uno spiritu omnes nos in unum corpus baptizati sumus, & omnes in uno spiritu potati sumus. Qui enim dicit omnes, is non excipit paruulos, præsertim cùm & ipsi sint spiritu sancti & salutis capaces, ut partim diximus, & partim proximo capite docemus. Sed prætermissis omnibus alijs, ueniam ad circuncisionem, contra quam suæ blasphemiæ cruentissimum strinxit gladium Menno, quàm potuit truculentissimè, sed frustrà. Contra Deum enim nulli unq; gigantes quantumuis robore confidentissimi fœlicis bus pugnarunt auspicijs. Super omnia enim uincit ueritas. Negat autem duo, quæ hactenus ab uniuersa Ecclesia Dei credita sunt, filiolos uidelicet Israel per circuncisionem participes fuisse factos pacti diuini, & insitos in oliuam Dei, deinde circuncisionem esse figuram nostri baptismi. De priore itaque eius errore prius disputemus, ac deinde de posteriori.

Vt omnes tã parui q̃ magni mare trã sierũt, ita & omnes baptizandi.

3.Esd.3

Duo errores Mẽnonis de circũcisione.

Ait autem Menno, Abraham longè ante circuncisionẽ, & paruuli Israelitici septem quoq; diebus ante quàm circunciderentur, erant in pacto Dei. Cùm omnes per liberalem gratiam & electionem Dei simus filij Dei per Christum Eph.1. & non per ulla externa

Mennonis error prior.

signa. Si enim per illud signum accepissent pactum et societatem communitatis diuinæ, ubi mansissent fœminæ. Hæ enim non habuissent pactum. Sic & nostri paruuli sunt in pacto Dei & corpore seu communitate Christi, necdum baptizati, sicut & eorum fœminæ non circunciſæ. Sic ille.

Confutatio. *Quanquàm ex superioribus, quæ diximus priori libro de efficacia baptismi, & de regeneratione & alibi, satis constet hæc Mennoniana esse impia & blasphema, hic tamen oportet, ut & aliquid de circuncisione dicamus, unde pædobaptismatis energia & necessitas magis eluceat.*

Circuncisionis efficacia. *Credimus autem circuncisionem masculis siue paruulis siue magnis, quibus solis præcepta erat, idipsum præstitisse, quod nobis nunc tribuit baptismus. Nisi quòd tunc precio redemptionis nondum exoluto, regnum cælorum morientibus aperire non potuerit, ut docuit D. Augustinus contra Iulianum ante annos plus minus mille ducentos & præter eum alij omnes, quotquot de ea scripserunt. Neq; id modò ex patribus, quos aduersarius Ecclesiæ non magni facit, plurimi factus fuerit, si quenquam eorum inueniret qui pro se faceret, quemadmodum alibi frustrà obiecit nobis Cyprianum nostrum, sed ex ipsa scriptura satis clarè patet Gen.* **Percircuncisionē participes fiebant pacti Dei.** *esi. 17. cùm dicitur: Circuncidetis carnem præpucij uestri, ut sit in signum fœderis inter me & uos. Paulò pòst: Eritq; pactum meum in carne uestra in fœdus æternum. Ecce audis ipsam circuncisionem uocari pactum Dei. Quomodo igitur in pacto Dei fuissent,* **De Abrahã responsio.** *qui signum illius pacti nondum in carne habuissent?*

Quod autem Abraham fuerat in pacto Dei longè

prius

prius quàm circumcisus esset, quid mirum? neque id arguit posteros eius quoque fuisse in pacto Dei ante circumcisionem. Circumcisio enim non erat ei præcepta prius. At posteris eius per præceptum facta erat circũcisio tam necessaria, ut sine ea in pacto Dei esse non potuerint, ut mox demonstrabo.

De fœminis Iudaicis responsio.

Neque etiam fœminæ quamuis sine circumcisione erant in pacto Dei, arguunt masculos quoq; incircumcisos fuisse in pacto Dei ante octauum diem. Nam fœminis non erat præcepta, sed potius prohibita circumcisio, ipsa rei impossibilitate, ut supra diximus.

Leuit.12

Sed quod circa ipsas erat factu possibile, ut scilicet parentes earum pro ipsis sacrificia offerrent, uel ipsas filiolas ferrent in Hierusalem benedicendas à sacerdote Domini, Postquàm impleti essent dies purgationis puerperæ & ipsarum secundum legem Mosi, uel quicquid aliud ante legem scriptam lex naturæ, Deo inspirante, faciendum suaderet, id erat ipsis loco circumcisionis, & per id in populo Dei esse censebantur.

Semper fuit aliquod externum fidei signum, per quod fideles ab infidelibꝰ distinguebãtur

Neque dubium est quin reuera fuerit aliquod externum uel sacrificium uel ceremoniale signum semper inter pios, per quod ab impijs distinguerentur, Deo sic intus docente, & ad externã quandam fidei confessionẽ extimulante, quamuis de eo non sit expressè scriptum. Inuenimus enim obtulisse Abel, ante omnem scripturam, & ante omne præceptum, de primogenitis gregis sui, & de adipibus eorũ, nimirum in testimonium & externũ quoddam fidei signũ. Obtulisse Noe, obtulisse Abraham, Isaac, Iacob, cæteros q; pios, & per sacrificia sua, sine præcepto offerendi, placuisse Deo.

Genes.4
Genes.8
Genes.12
Genes.26
Genes.28

Sic etiam non est dubium quin & remedium quod dam habuerint pro filiolis suis ante datam circuncisionem, per quod tanquàm externum testimonium fidei internæ, piorũ infantes in futuro merito Christi, ab originali peccato mundabantur, cùm interim impiorum filioli mãserint polluti, quibus scilicet nullius fidei confessio subueniebat. Impiorum enim filiolos non est credibile sine ullius operatricis fidei administriculo unquàm factos esse saluos, præsertim cùm et ipsi quemadmodum & nos, quamuis nõ peccarint propria sponte, tantisper dum essent infantes, fuerunt tamen natura filij iræ & concepti atque nati in peccatis, & propterea haud quaquã fuerint digni Deo, nisi prius per fidem alicuius foris in externis signis apparentem in Christo uenturo uiuificati atq; mundati essent.

Sed sine multis ambagibus ex ipsa scriptura conuincamus falsum esse, quod blasphemat Menno de pæruulis Israeliticis, eos septem diebus antè in pacto Dei fuisse, quàm circumciderentur. Sequitur, Genes. 17. Masculus, cuius præpucij caro circuncisa non fuerit, delebitur anima illa de populo suo. De quare sic ait Menno: Si parentes non fuissent obedientes uerbo Dei, neque circuncidissent masculos suos in die octauo, debuissent ferre ultionem Dei in suis filijs.

Menno

Filiorum in circũcisorũ animæ delebatur de populo Dei.

Sed age, ô Menno, quam ultionem tulissent? nõne eam quam exprimit scriptura dicens, quòd filiorum anima fuisset de populo Dei deleta? Quomodo ergo credibile prius fuisse in pacto Dei, quos scriptura dicit delendos, si non fuissent circuncisi die constituto? Putãsne pæruulos in hoc peccaturos fuisse, si negligẽtia aut inobediẽtia parentum non fuissent circuncisi?

Certum

Certum est quòd paruuli in hoc nõ peccassent, quibus non erat possibile id curare, ut circunciderentur, sed peccassent grauiter ipsorum parẽtes, si fuissent Deo immorigeri. Si itaque pusilli prius erãt in pacto Dei, sine dubio erant mũdi, sancti, & scripti in libro uitæ. Quomodo itaq; qui non peccassent, ob parentum suorum peccata potuissent iterum deleri? Filius enim nõ portabit iniquitatem patris. Et qui peccauerit mihi (inquit Dominus Exod. 32) Delebo cũ de libro meo. Absit autem ut dicamus, quòd iustus Dominus occidat iustum cum impio. Non hoc ipsius est, qui iudicat omnem terram. Abimelech ille, qui rapuerat uxorẽ Abrahæ, quam putabat sororem eius & non uxorem, confessus est quòd Dominus gentem ignorantẽ & iustam non interficiat, quomodo igitur nos qui Christi nomine gaudemus, tam impiè de Deo sentire possemus, ut eum putemus eos rursum extra suam Ecclesiam ejcere, & à suo pacto alienos reddere, sine ullo proprio peccato, quos prius in filios adoptionis sibi asciuisset, & in suam militiam concenturiasset, suæq; promissionis participes & hæredes fecisset?

Ezech. 18

Genes. 18

Genes. 20

Fatemur quidem Dominum Deum uisitare iniquitatem patrum in filios in tertiam & quartam generationem, aut ut loquitur Menno, parentes uleisci in filijs, sed nunquàm ita ut ob parentum peccata, filios innocentes & iustos deleat de libro uiuentium. Gratiam enim datam non aufert rursus misericors & iustus Dominus, nisi is ipsius proprio suo peccato filium Dei conculcauerit, & sanguinem testamẽti pollutum duxerit in quo sanctificatus erat, & spiritui gratiæ contumeliam fecerit. Nam dona quidem & uocatio

Exod. 20

Heb. 10

Dei eiusmodi sunt, ut illorum Deum pœnitere non posſit. Rom. 11. interprete Erasmo.

Qui semel fuerint in pacto dei, hi nō delētur nisi ob propriū peccatum.

Impoßibile est enim ut iustus Dominus puſillos, quos semel fecerat sui pacti & sui regni participes, & in merito sui filij, promißionis æternæ hæredes, iterum statuat impios, immundos, et à salutis promißione alienos, ob peccatum alienum, quanquàm flagellet sæpenumero filios uel insontes pro parentibus corporaliter quidem ac temporaliter, sed nunquàm aufes rēdo ab eis participationem sui pacti, animasq; eorum semel scriptas rursus delēdo de populo suo, citra ipsorum peccata. Vnuſquiſque enim onus suum portabit. Et anima quæ peccauerit, ipsa morietur.

Gal. 6 Ezech. 18

Quia igitur dicuntur paruuli, nisi circuncidātur, delendi de populo Dei, certum est eos non fuisse ante circunciſionem participes pacti diuini, neque fuisse membra Ecclesiæ Dei, alioqui non poſſent sine culpa sua deleri.

Gen. 17

Obiectio

Quomodo anima paruulorū necdū in libro vitæ scriptorū, dicitur delēda

Dixeris fortè, Quomodo ergo dicatur eorum anima delenda, si non erat prius in libro uitæ scripta? Delemus enim ea, quæ prius scripta erant, dum ea eradimus & expungimus. Quæ autem nunquàm scripta fuerunt, ea non dicuntur deleri.

Respondeo

Respondeo scripturam plærunq; ita loqui, ut non modò id quod scriptū semel fuit, sed etiam quod scribendū erat, dicatur deleri, si non scribatur. Vt deleri aliquādo sit idem, quod non scribi, cùm tamen sit aptū & natū scribi. Nam quod paruuli parentū inobedientia non circuncisi octauo die, delebantur, hoc est, non scribebātur, id non fiebat culpa Dei, sed sæpe uitio parentū. Deus enim qui omnes homines uult saluos fieri,

Deleri i scriptura qd sit.

1. Tim. 2

eos

eos quoq; ereuerat ut inter pios et uiuos scribi possent. Quod autem sic accipiatur aliquando uerbum delendi patet ex Psal.9.ubi ait Propheta. Increpasti gentes & perijt impius,nomen eorum delesti in æternum. Certè gentium nomen non fuerat prius scriptū, nisi fortè secundum naturam in Adam, in quo & per præuaricationem ipsius est delctum. Rursus,Psal.68 Quem tu percussisti persecuti sunt, & super dolorē uulnerum meorum addiderunt. Appone iniquitatem super iniquitatem eorum, & non intrent in iustitiam tuam Deleātur de libro uiuentium,& cum iustis non scribantur. Loquitur propheta de ijs qui Christū persecuti sunt ac crucifixerunt,neq; ad pœnitentiam conuersi sunt,interprete Petro Act.3. Quorum maxima pars longè antè fuerat delcta, quàm crucifixissent Christum. Post illud tamen sceleratissimū facinus crucifixionis Christi, tandem dicitur de ipsis,deleantur, non quasi eò usque fuissent scripti & tum primùm deleri: sed quia tum demum eorum peccata usque adeò facta sunt grauia, propter eorum duritiam & impœnitens cor, ut nunquàm sint iterum cum iustis scripti.

Hæc enim tria apud Prophetam eadem sunt, deleantur, cum iustis non scribantur, & non intrent in iustitiam tuam, atque unum exponit aliud, ad maiorem rei certitudinem, quam ipsi nunquàm putabant futuram Sapien.2.

Nunc uideamus quomodo circumcisio sit figura baptismi,de quare & Menno perperam sentit atq; docet,hunc in modum dicens: Qui ostendet circumcisionem esse figuram baptismi,is Paulum mendacē faciet, cum

Mēno negat circūcisionē esse baptismi figuram.

cùm doceat Apostolus carnalem circuncisionem esse figuram spiritualis circuncisionis Roma.2. Philip.3. Colos.2. Rursus alibi: Literalem circūcisionem dixit Apostolus esse figuram spiritualis circuncisionis, quæ à fidelibus solis fit. Nam circuncisio fiebat cultris petrinis. Petra autem est Christus. Culter est uerbū Dei. Quare si cum fideli Abrahām in pacto Dei manere uolumus, in quod sumus omnes assumpti per gratiam Eph.1. & non per ulla signa, oportet ut nostram terrenam, & carnalem natiuitatem eodem cultro circuncidamus, qui est Christus & uerbum ipsius. Qui sunt ergo circuncisi circuncisione Christi? nónne fideles? Quis est qui posuit corpus peccati per circūcisionem Christi? nónne fidelis? Quis est qui cum Christo in baptismo sepultus est? nónne fidelis? Quis est qui per fidem, quam operatur Deus, in nouā uitam resurrexit? nónne fidelis? Hi certè qui audiunt uerbum Dei, & custodiunt illud. Sic ille.

Confutatio Mēnoniani erroris.

Si ego uicißim rogem, ò Menno, uter magis fuerit circuncisus spirituali circuncisione, et alienior fuerit ab omni peccato. Iohannes baptista ne, qui adhuc in utero matris erat spiritu sancto plenus, sine ulla mali concupiscentia aut titillatione carnis, etiam si nōdum audierit uerbum Dei & custodierit illud. An potius tu uel ego, qui audierim quidem uerbum Dei & custodierim illud frigidè, non sine prurigine carnis contra spiritum nitentis, & sæpe me impellentis facere quod nolo, quid age respōdeas? Nónne qui spiritu sancto plenior sit, & minori libidine peccandi tentetur, minusq; peccet? Per spiritum enim sanctum inhabitantem sumus fideles, circuncisi spirituali circuncisione, mortui

Luc.1

Luc.11

Cal.5
Rom.7

Per spiritū sanctū circūcidimur in Christo.

mortui cum Christo atque sepulti, sancti, immaculati, & in uitam nouam resuscitati, etiamsi adhuc dormire uideamur, & nihil boni agere ante oculos hominum. Christus enim infantulus diuino spiritu plenissimus, quouis alio uerbi diuini & audiendi & custodiendi studiosissimo erat infinitis partibus melior. Sic & paruuli nostri in Christo baptizati uerè deposuerunt corpus peccati, uerè sunt sepulti cum Christo in baptismo, uerè sunt circuncisi circuncisione non manufacta, uerè in nouam uitam resurrexerunt, uerè denique sunt fideles non per auditum & custodiam uerbi Dei, sed per spiritum fidei intus in ipsis habitantem, ut proximis capitulis manifestius fiet.

Fatemur itaque cum Mennone circuncisionem literalem esse figuram circuncisionis spiritualis nō manufactæ. Sed quòd circūcisio spiritualis sit in solis huiusmodi fidelibus, qui uerbum Dei audiunt & custodiunt, etiam antequàm baptizentur, & quòd non sit ipse baptismus, id pernegamus. Qui enim id diceret, is non intelligeret, neq; quid sit baptismus, neq; quid fides ex auditu uerbi nata posit. Ostendimus enim alibi fidem ex auditu uerbi ortam, quāuis obedientissimam, non tamen esse uitam & Deo gratam ex uiribus animi nostri, sed fieri per spiritum sanctū in charitate uitam. Non est itaq; spiritualis circuncisio in audiendo et obediēdo quasi in nobis sita, sed in pace ad Deū, quæ exuperat omnem sensum, per spiritum sanctum cordibus infusa, quem spiritum dat Deus in baptismo Act. 2. Ostendimus præterea non esse baptismū Christi, id tantùm, quod foris uidetur, qualis est baptismus manuum pedum aut urceorum, sed esse uirtutem operationis

Circuncisio est figura baptismi. Luc. 11

Obedientia nostra nō est salutis effectrix, sed Christus a spiritu ei

Baptismus amplius q dā q̄ quod ris cernitu

rationis Dei intus per spiritum sanctum in merito sanguinis Christi purgationem peccatorum facientis, & omnia in animum nostrum instillantis, quæ sint nobis ad salutem necessaria, modò ipsi non præcludamus diuino lumini cordis nostri fenestras.

Baptismꝰ est circuncisio spiritualis.

Constat itaq; cùm baptismus Christi sit omnino spiritualis, per quē fit remissio & datur spiritus sanctus, baptismum enim esse circuncisionem spiritualē iuxta Apostolum dicentē, 2. Cor. 3. ipsos nouū testamenti ministros, esse à Deo factos ministros nō litera sed spiritus, ac proinde baptisma ab eis administratū non esse quippiā literale, sed spirituale. Et, Col 2 Circumcisi estis circuncisione non manufacta, in expoliationē corporis carnis, sed in circuncisionē Christi, consepulti ei in baptismo, per quem (ut transtulit Erasmus iuxta hebraicam phrasim) & resurrexistis per fidem operationis Dei. Ecce manifestè uocat ipsum baptismum circuncisionem spiritualem, ut in quo & per quem sepelimur, & resurgimus cum Christo per fidem, quam Deus ipse operatur in nobis, siue ea ex auditu uerbi prius acceperit seminarium, & posteà in baptismo uiuum incrementum, quemadmodum contingit in adultis, siue ea per solum spiritum sanctum sine auditu uerbi inspiretur atque ingeneretur, quemadmodum in paruulis, per quam & ipsi iam uiuant Deo, sintq; & dicantur fideles, ut alibi docuimus.

5. Cor. 3

Circuncisio spiritualis aliquādo dicitur vita christo digna.

Cæterum hisce iam dictis non aduersatur quod Apostolus alibi ut Rom. 2. & Philip. 3. uidetur circuncisionem spiritualē uocare huiusce modi uitam, in qua, non carnaliter, sed spiritu seruimus Deo, & gloriamur in Christo, non in carne fiduciam habentes. Nam

talis

talis uita Christo digna, non est in nobis ante baptis
smum, & ante acceptum in baptismo spiritum sanctũ,
sed ea incipit esse in nobis per baptismum. Quis enim
posset spiritu seruire Deo, sine spiritu sancto inhabi
tante, quem & ipse Menno nos fatetur accipere in
baptismo Act. 2. Tit. 3. 1. Cor. 12?

Quemadmodum enim quamuis reuera confitet in baptismo nos mori peccato per Christum, et per Christum nos iustificari, præcipitur uthilominus nobis iam iustificatis in baptismo, ut post baptismum nunquàm non mortificemus membra nostra, quæ sunt super terram, utq; iustificati iustificemur adhuc, & sanctificati sanctificemur adhuc, secundum quod et dixit Eccle siasticus 18. Ne uereris usque ad mortem iustificari, quoniam merces Dei manet in æternum, cò quòd peccatum in baptismo non sit ita penitus excisum & eradicatum, quin subinde repullulet. Nam concupiscentia manet, cum qua & semper depugnandum, iuxta dictum Iob: Militia est uita hominis super terram. Ita etiam quamuis reuera simus per Christum in baptismo circuncisi cultro petrino. Ea tamen circuncisio debet per totam uitam nostrã iterum atq; iterum quasi per nos fieri, uirtute tamen eiusdem spiritus sancti sesmel in baptismo accepti, per quem iustificati eramus. Rom. 6 Coloss. 3 Apoc. 22 Iob. 7

Nam quemadmodum duplex inuenitur iustificatio in scriptura. Altera qua ex iniustis constituimur iusti, quæ fit à Deo solo, sine operibus nostris quasi ad eam faciendam aut merendam condignis, aut sufficientibus, sed non sine præuia fide & pœnitentia, in ijs, quorum propria impietas spiritum sanctum contristauerat, de qua iustificatione Iohan. 3. 4. et. 7. Ro. 3. 5. & 8. 1. Corin. 6. & 12. 2. Corinth. 3. Eph. 1. Tit. 3. Duplex iustificatio. Act. 8

Altera iustificatio.

Hebr.8.& alibi sæpe. Altera autem iustificatio quæ ex iustis cõstituimur iustiores, quæ fit nõ à solo Deo, neq; sola fide, sed & operibus nostris per gratiã Christi meritorijs, quæq; in hoc mundo semper durare debet: de qua & sæpissimè scriptũ est Iacob.2. Apo.22. 2.Cor.7 et 9.1.Cor.9.1.Thess.4.2.Thess.2.1.Tim. 2.1.Pet.3. 1.Iohan.3.& alibi sæpe.

Mat.5.6

Circuncisio spiritualis duplex.

Sic etiam circuncisio spiritualis duplex est. Altera quæ fit à Deo sine nobis, nisi præuia fide & pœnitentia, quibus ea est posibilis, per quam ex peccatoribus & impijs constituimur iusti & sancti in Christo, siue per baptismum, siue in relapsis per pœnitentiam, de qua Coloss.2. & Deut.30. Circũcidet Dominus Deus tuus cor tuum, ut diligas Dominũ Deum tuum ex toto corde & posis uiuere. Altera est, quæ per totam hanc uitã debet à nobis fieri, de qua Philip.3. & Deutero.10. Circuncidite præpuciũ cordis uestri, & cervicem uestram ne indureris amplius. Hier.4. Circuncidimini Domino, & auferte præpucia cordium uestrorum uiri Iuda & Hierusalem. Act.7. Dura cervice & incircuncisi cordibus & auribus, uos semper spiritui sancto restitistis.

Altera circũcisio spiritualis.

1.Cor.9

Hac circuncisione seipsum circuncidebat Apostolus, cùm de se diceret: Ego sic curro non quasi in incertum, sic pugno non quasi aerem uerberãs, sed castigo corpus meum, & in seruitutem redigo. Hac circuncisione seipsos circuncidunt, qui intrant per angustã portam, quiq; abnegantes impietatem & secularia

Mat.7

Tit.2

desideria sobriè, iustè & piè uiuunt in hoc seculo: denique qui carnem suam crucifigunt cum uicijs & concupiscentijs.

Gal.5

Quare

Quare constat primam, ueram, uiuificã et à Deo solo factam circuncisionẽ, per quam incipimus esse Christiani, fieri in baptismo per spiritum sanctum in sanguine Christi, non ex operibus iustitiæ, quæ fecerimus nos, sed secũdum eius misericordiam, secundum quam nos saluos facit per lauacrum regenerationis & renouationis spiritus sancti Tit.3

Tit.3

Vt autem id ipsum paulò apertius & crassius dicam, hoc ex te rogo, ò Menno, an putes figuras & cæremonias legales antè impletas fuisse, quàm uenisset Christus, an potius ab ipso Christo implendas? Non fit mihi uerisimile te tam stupidum & tam cæcum esse, ut credas ante Christum fuisse ueteres figuras adimpletas, & iam tum ueritatẽ figurarum fuisse factam. Quia lex per Mosen data est, gratia autem et ueritas per Iesum Christum facta est. Et umbram habuit lex futurorum bonorum (non autem tunc præsentiũ) non ipsam imaginem rerum.

Veritas figurarũ nõ ante Christũ, sed per Christũ est facta.

Iohan.1 Heb.10

At si circuncisio carnalis est figura spiritualis circuncisionis, ita ut spiritualis circuncisio non sit nisi fides in Christum, & custodia uerbi diuini, quemadmodum tu interpretaris, cùm multi fuerint ante Christũ & prophetæ & uiri sancti ac mulieres, qui uerè crediderunt in Christum, & spiritu seruiebant Deo, sequitur secundum te quòd ante Christũ circuncisionis legalis ueritas fuerit facta & adimpleta, et quòd lex umbram habuerit præsentium bonorum, & ipsam imaginem rerum ab ipsis qui sub lege erant adimpletarum. Quin & simile iudicium fuerit de multis alijs figuris, ut ne dicam de omnibus, si in talẽ sensum dum taxat rapiantur.

Oſtẽditur q̃ circuncisio ꝑtereà aliud quiddã signi ficet à solo chriſto adimpletũ, q̃ vitã Deo dignam

Mors Christi iuxta Mē nonē ita est figuralis, vt circuncisio Iudaica.
1.Pet.2
1.Iohan.2

Imò & ipsa mors Christi perinde erit figuralis atq; circuncisio Iudaica. Vt enim circūcisio significat iuxta te nihil aliud quàm spiritualem circūcisionem, secundum quam, carnem nostram domamus sub uerbo Dei, & spiritu seruimus Deo. Ita et mors Christi significat spiritualem mortificationem, secundū quam carnem nostrā crucifigimus cum uitijs & cōcupiscentijs.

Duplex significatio figurarum.

Oportet igitur, quantum huic loco satis est, figurarum legalium duplicem intelligere significationē. Alteram cōmunem, quam uoces Ethicam seu moralē. Alteram uerò propriam, quam appelles allegoricam, ut exempli causſa. Agni paſcalis oblatio & holocaustomata Iudaica ſignificant moraliter myſticam oblationem noſtri, ſecundū quam exhibeamus corpora noſtra hoſtiam uiuentem, ſanctam & Deo placentem, & mortificemus membra noſtra ſuper terrā, ac toto corde, tota anima, omnibusq; uiribus amore diuino inflammemur. Quam ſignificationē etiam ſub lege multi impleuerunt. Sed ea non erat propria ueritas figuræ legalis. Allegoricos uerò ſignificat ſacrificium illud, ſecundum quod Chriſtus ipſe dilexit nos, & tradidit ſemetipſum pro nobis oblationē & hoſtiam Deo in odorem ſuauitatis. Quæ ſignificatio per ſolum Chriſtum adimpleta eſt. Atque hæc erat propria figuræ legalis ueritas. Atque tum demum figura ceſſit, cùm ueritas per Chriſtū facta eſſet, & in locū figuræ ſucceſſiſſet.

Agni paſcalis ſignificatio.
Rom.12
Coloſſ.1
Mat.22

Allegorica ſignificatio.
Eph.5

Omnia Chriſti geſta ſunt ſignificatiua

Priori modo ſignificandi, non modò legalia, ſed & omnia Chriſti geſta ſignificant moraliter ſimile quiddam myſticè à nobis agendū. Quia enim Chriſtus mortuus eſt & reſurrexit, ideò ad eius figuram ſeu exemplum & nobis ſpiritualiter moriendum atque ad nos

Rom.6

uitatem

uitatem uitæ resurgendum. Quia Christus extra portam passus est, ideò exeundum & nobis ad eum extra castra, & improperium eius portandum. Hebr.13

Similiter circuncisio carnalis habet significationē unam moralē, de qua Ro 2. Philip.3. Act.7. Deut.10. & 30. Hier.4. & 6. & alibi sæpe. Quæ significatio non modè impletur nunc à nobis Christianis, sed etiam à multis & sub lege et ante legem adimpleta est. Cæterum ea significatio non est propria, sed cōmunis & legi naturæ & Mosaicæ & Euāgelicæ. Nam ad eum modum mors & Christi & Abel & uitulorum legalium nostri mortificationem significat. Circuncisiōnis significatio ethica. Mors Christi habet ethicam significationem.

Alteram habet significationem allegoricam, quæ & propria est & à solo Christo adimpleta. Is est baptismus à Christo institutus, & in locum circuncisionis substitutus. Nam exoriente ueritatis die, figurarum nox cesserit oportet. Vides igitur quomodo baptismi propria et uera umbra ac figura fuerit circuncisio legalis, iuxta Apostolum Colos.2. ita ut quemadmodum totus Israel per circuncisionem erat in pactum Dei assumptus, sic & nos omnes siue parui siue magni per baptismū in filios adoptionis regeneremur Circuncisiōnis significatio allegorica. Rom.13

Quod igitur Menno dicit nos in gratiam Dei assumptos per electionem Dei, id omnino fatemur. Sed quòd inde putat consequens esse, nos non esse per ulla signa in gratiam assumptos id negamus. Nam & Iudæos per gratiam Dei, & nullo modo sine gratia aut sine electione, quantumuis per signa, non minus q̄ nos, in filios Dei fuisse assumptos credamus oportet, quandoquidem unus est Deus, qui iustificat circuncisionem ex fide, & præpucium per fidem. Neq; nostra Signa nō excludunt electionem Dei Rom.3

signa magis q̃ illorũ excludũt gratiã et electionẽ Dei

Signa enim à Deo sic instituta sunt, ut sint electionis signa, et media quædam, quibus secundum suum beneplacitum electionem suam impleat Deus. Quemadmodum enim meritum Christi, per quod sumus reconciliati Deo, nõ excludit meran & liberam electionem Dei. Ita etiam signa & passionis Christi & nostræ fidei, cùm sint à Deo instituta in hoc, ut per ea sanguinis Christi fiamus participes, non excludunt liberam electionem & gratiam Dei, sed uerius comprehenduntur sub ea. Nemo enim potest uenire ad baptismũ, imò nemo potest nosse baptismum & baptismi uerum authorem, nisi quem ad hoc elegerit Deus.

Signa à Christo instituta sunt electionis signa & salutis efficacia merito & operatione Christi.

Nam quantũ spectat ad paruulos, hi multis & manifestis modis subsunt electioni diuinæ, priusquàm uenire queant ad baptismum, & sanguinis Christi participes fieri. Nisi enim Deus paruulos adhuc maternis conclusos uinculis, nasci permittat, & nisi, ubi iam nati fuerint, parentibus aut amicis inspiret obedientiam eos baptizandi, perfacilè fieri potest, ut moriantur sine baptismo, neque quicquam discrepent ab impiorum et infidelium infantibus. Nónne hæc sunt electionis Dei? Est prætereà & illud manifestæ electionis, quòd nos fecerit Deus nasci à parentibus Christianis, qui cõstitutionis diuinæ notitiam habuerint, nosq; ad Christum attulerint ab ipso manibus impositis benedicendos, cùm interim tam multi multorum infidelium innocẽtes paruuli, ad hanc electionẽ et gratiã uenire non possint, cò q̃ non habeãt, qui eos ad Christũ ferãt.

Paruuli baptizãdi subsunt electioni Dei.

Mat. 19

Vt circuncisio legalis fiebat cultro petrino: Ita & circuncisio spiritualis fit gladio uerbi diuini.

Prætereà q̃ Menno contendit circuncisionem spiritualem fieri non in baptismo, sed per uerbũ Dei audi-

tum,

tum, ex similitudine sumpta de petra seu petrino cultro, quo fiebat circuncisio carnalis. Id et magis aduersatur. Nobis uerò suffragatur & adminiculatur. Is enim culter quo circuncidebantur, non erat diuersum quid & re distinctum ab ipsa petra. Nam petra erat culter, & culter non erat nisi acuta petra Exod. 4. Sic & nunc culter quo spiritualiter circuncidimur, non est solum uerbū doctrinæ Euangelicæ, quanquàm id ad circuncisionē spiritualem in natu grandibus necessariò adiuuet. Verbum enim doctrinæ potest esse sine Christo. Quid enim profuit Pharisæis sæpe audisse uerbum Dei, ex ore ipsius Christi? Imò quid & nunc prodest tertio Dauidi, Luthero, Bullingero, Regi Monasterienſium, et eiusdem farinæ alijs, quòd frequenter uerbum Dei lectitent, illudq; memoriter teneant, cùm à spiritu Christi sint alieni, uel ipso Mente nonne iudice? Verbi enim diuini non nisi literā ore humano proferre, & auribus haurire possumus. Spiritū aūt uiuificātē Christus ipse mystica inspiratione ingeneret oportet. Culter igitur petrinus cùm non sit nisi acuta petra, Petra aūt sit Christus, oportet ut culter petrinus sit nō modò uerbū Dei auribꝰ audibile, quod spiritu uacuū esse potest, sed uerbū Dei uiuū & efficax & penetrabilius omni gladio ancipiti, quod et in principio erat apud Deū eratq; Deus, & tandē in plenitudine temporis factum est caro, & habitauit in nobis, de cuius plenitudine nos omnes (tā paruuli quàm adulti) accepimus gratiam, pro gratia, quotquot uenimus ad ipsum. Ipse enim Christus Iesus secūdum suā promissionem per baptismum in uerbo consecrationis & inuocationis inuisibiliter assistit, et tanquàm sacer-

Culter petrinus quid significet. 1. Cor. 10 Heb. 4 Iohan. 1

Psal. 109

dos in æternũ benedicit, conſecrat & circuncidit eos qui baptizantur, intus ab omni peccatorũ macula, infundens ſimul ſpiritũ promiſſionis ſanctum, cum omni gratia ad ſalutẽ neceſſaria, ut ſæpe diximus.

Baptiſmus eſt circunciſio ſpiritualis.

Perſuaſiſſimũ itaq; omnibus eſſe puto q̃ circũciſio ſit figura noſtri baptiſmi, quippe in cuius locũ baptiſmus ſucceſſerit, tanq̃ qui non modo eandẽ, ſed multò etiã maiorẽ & ampliorẽ uim habeat, omnes uidelicet ſiue maſculos ſiue fœmellas, ſiue puſillos ſiue maiuſculos pacti & promiſſionis diuinæ per Chriſtũ tanq̃ per cultrum petrinũ participes faciendi. Quẽadmodum enim tunc, ut probauimus, nulli maſculi erãt in pacto Dei, niſi prius circunciſi. Ita & nunc nulli ſiue magni ſiue parui ſunt mẽbra corporis Chriſti, niſi prius uno

1.Cor.12 ſpiritu ſint in unũ corpus baptizati, & in uno ſpiritu potati. Quod enim tunc dicebatur de ſolis maſculis, quibus nimirum ſolis erat & præcepta & poßibilis

Gene.17 circunciſio. Maſculus cuius præpucij caro circunciſa nõ fuerit, delebitur anima illa de populo ſuo. Idipſum & nunc dicitur, paulò aliſs quidem uerbis, eandem tamen ſententiam declarantibus, de omnibus tam maſculis quàm fœmellis, tam puſillis quàm magnis. Niſi quis

Iohan.3 renatus fuerit ex aqua et ſpiritu ſancto, non poteſt intrare in regnum Dei. Nam non intrare regnum Dei, & deleri de populo Dei, re & ſenſu ſunt eadem, ſed uerbis diuerſa.

Id ipſum denuo, paruulos uidelicet baptizandos eſſe, oſtenditur ex fructu baptiſmi, cuius ſunt infantes non minus capaces, q̃ qui ſunt natu grandes. Cap. VII.

Quartò

Vertò & postremò, quemadmodum supra polliciti sumus, restat ut ostendamus pusillos esse fructus baptismi capaces. Ex quo uel solo ritè demonstrato, ipsius etiam Mennonis iudicio, clarum & demonstratum euaserit, paruulos in Christo uerè baptizãdos. Ob id enim solum concedit Menno, & rectè quidem, fœminas ad cœnam Domini admittendas, quòd illius fructus sint capaces, quamuis nusquam expressè sit scriptum eas ad cœnam pertinere, præsertim cùm neque fuerint in ultima cœna.

Primò igitur proponamus Mennoni sua ipsius uerba, ex quibus ut lit nolit fateri cogatur paruulos tam necessariò baptizãdos, quàm mulieres ad cœnam Domini admittendas. Nam aduersarijs suis, quos in libello suo introducit pædobaptismo hoc argumento defendentes ac constabilientes. Fœminæ non præcipiuntur à Christo expressè ad dominicam cœnam admittendæ, neq; fuerunt in ultima cœna, & tamẽ non sunt excludendæ, sic neq; paruuli à baptismo. Respondet Menno in hunc modum: Cœna duo repræsentat, mortem scilicet Christi, & fraternã charitatem. Quorum utriusque tam credentes fœminæ quàm uiri possunt esse participes. At effectus baptismi non possunt paruuli esse participes. Sic ille.

Fœminæ nõ expressè ad cœnã Domini admittuntur, nõ tamẽ ab ea excludendæ eò q̃ fructꝰ illius sint capaces. Sic & paruuli ad baptismum.

Menno.

Respondemus itaque & nos: Quia tam non credentes paruuli, quàm credentes adulti sunt effectus seu fructus baptismi capaces, ut in sequentibus manifestum faciemus, sequitur secundum Mennonis senten-

tiam, paruulos non minus baptizandos, quàm fœminas ad cœnam Domini admittendas.

Fœminæ nõ expreſsè cõtinentur ſub præcepto baptiſmi, baptizandę tamen eò q; ſint fructꝰ baptiſmi capaces. Sic & puſilli.

Dicam amplius, Quamuis fœminæ etiam adultæ & credentes non ſint expreſsè baptizari iuſſæ, præſertim cùm ſcriptura de baptiſmo ſemper loquatur in genere maſculino: Qui crediderit & baptizatus fuerit, ſaluus erit, quia tamen ex alijs ſcripturæ locis intelliguntur ſalutis & fructus baptiſmi non minus capaces quàm uiri, ideò eas non minus quàm uiros baptizauit Philippus Act. 8. & baptizãdas docuit, etiã ſi figura baptiſmi circunciſio id non præſignificet. Sic quamuis paruuli non expreſsè admitterentur ad baptiſmum, quia tamen ex alijs ſcripturis intelliguntur reuera fructus baptiſmalis & ſalutis non minus capaces quàm maiores natu, ideò credimus rectè & docemus eos non minus baptizandos quàm adultos, præſertim cùm et figuræ multæ id ſatis præſignificarint, cumq; expreßius ſint baptizari à Chriſto iußi, quàm ipſæ fœminæ, ut & alibi diximus.

Pusilli sunt capaces fidei per ſpiritum ſanctũ cordibus infuſæ.

Videamus igitur an paruuli reuera fructus baptiſmi ſint capaces, quanq̃ id pijs & candidis lectoribus ex ſuperioribus ſatis oſtenſum eſſe credamus. Suprà enim capite tertio huius poſterioris libri ex ſcripturis demonſtrauimus puſillos eſſe per baptiſmum capaces fidei, non quidem fidei ex auditu uerbi natæ, ſed fidei per ſpiritum ſanctum cordibus eorum infuſæ.

Paruuli ſunt capaces remiſsiõis peccatorũ & ſpirituſſancti. Marc. 10

Id igitur hic breuitatis gratia non repetemus. Oſtendimus præterea capite ſecundo capaces eſſe puſillos ſpirituſſancti, ac proinde & remißionis peccatorum, qui quidem duo fructus attribuuntur baptiſmo Act. 2. Si enim paruulorum ad Chriſtum ueniẽtium eſt regnum cælorum,

cælorum, sine dubio & ipsorũ est remißio peccatorũ. Non enim intrabit in eã ciuitatẽ aliquid coinquinatũ. Apoc. 21

Sed age, ò Menno, quæ est ista tam cæca atq; stupenda absurditas, ut neges paruulos baptismi fructus capaces, quos tamen concedis & salutis & passionis Christi capaces? An baptismi fructus secundum te dicendus fuerit non spectare ad salutem neque ad meritum sanguinis Christi pertinere? Si enim quispiam dicatur salutis capax, & non fructus baptismi, necesse est salutem esse separatam & alienam à fructibus baptismi. At si fructus baptismi & salus, uel eadẽ sunt, uel inseparabili nexu inter se cohærent (quis enim habeat remißionem peccatorum, & acceperit spiritum sanctum, qui sunt duo fructus baptismi, & non habeat salutem? aut quis salutẽ, sine remißione peccatorũ?) necesse est ut si huius, etiam illius sis capax. Quomodo enim fieri posset, ut si diuitiæ et opes uel sint eædem, uel inseparabiliter connexæ, sis diuitiarum capax & non opum? Dicam conuenientius & magis appositè huic loco. Quomodo fieri posset, ut si salus & uita æterna sint eadem, sis capax uitæ æternæ sed non salutis? aut salutis quidem, sed non uitæ æternæ? Paruuli sunt capaces salutis, ergo & fructus baptismi.

Nam cùm constet paruulos esse fructus passionis Christi capaces, iuxta illud Euangelicũ, de quo disputauimus longè lateq; suprà, quod paruulorũ ad Christum uenientium sit regnum cælorum, quid mirum si dicantur & fructus baptismi capaces? Baptismus enim nullum potest adferre fructum, quem non meruerit passio Christi. Neq; quisquam salutem assequi potest, sine fructu passionis Christi. Si igitur passionis et sanguinis Christi possunt esse participes paruuli, mo- Luc. 18

dò ritè ueniant ad Christum, sine dubio & baptismi.

Mat.25

Quod enim Christus nobis meruit sua passione, id nobis communicat in baptismo, secundum mensuram dos nationis suæ. Atq; hic est uerus fructus baptismi ab ipso Christo expressus Iohan.3. dum inquit: Nisi quis natus fuerit ex aqua & spiritu, non potest intrare in regnum Dei. Vnde colligimus quòd si quis natus fuerit ex aqua & spiritu sancto intrabit in regnum Dei, hoc est, ut alibi dixit: Si quis baptizatus fuerit in spiritu sancto & igni saluus erit. Intrare enim regnum Dei & saluum esse eadem sunt. Salui autem fieri, & intrare in regnum Dei, sine dubio tam possunt paruuli quàm adulti, si modo ad Christum ueniant, & non prohibeantur ad eum uenire, possunt itaq; & fructus baptismalis fieri participes non minus paruuli q̃ adulti.

Fructus baptismi est intrare regnũ Dei, & saluũ fieri, quẽ & paruuli sine dubio accipere possũt. Mat.19

Qui habet salutẽ, ei nihil deest, q̃d sit ad salutẽ necessarium Sap.7

Qui autem habet salutem, quam paruuli in Christo habere possunt, is habeat oportet etiam omnia sibi ad salutem necessaria, iuxta illud: Venerunt mihi omnia bona pariter cum illa. Alioqui si adhuc quicquam ad salutem necessarium in eo desideres, nondum habet salutem, neq; dignus est, qui intret regnum Dei. Imò uerò qui habet spiritum sanctum, cuius & paruulos nostros non minus capaces esse credimus, quàm ipsum Iohannem Baptistam, ut sæpe diximus, quid ei deesse potest & ad salutem, & ad sanguinis Christi participationem, & ad fructus baptismi percipiẽdos? Nam qui spiritum habet, is simul habeat necesse est, & patrem & filium, & fidem & spem & charitatem, denique omnia quæ sint sibi ad salutem necessaria.

Luc.1

Qui habet spiritũ sanctũ, is simul omnia habet sibi ad salutẽ necessaria

Nõ oib⁹ omnia aut æquè multa sunt ad salutẽ necessaria.

Porrò non esse omnibus ex æquo omnia, uel æquè multa ad salutẽ necessaria, quis est qui ignoret? Christo

sto enim ipsi nostræ salutis authori nostróque capiti maior erat necessaria diuinitatis possessio, & sanctitatis perfectio, quàm eius matri ac nobis eius mẽbris. Coloss.2

Atque matri eius maior erat puritatis, humilitatis & pietatis necessaria integritas quàm matri meæ. Neq; necesse est, ut ego, si sim saluus futurus, quod faxit Deus, tam sim omnibus omnium uirtutum numeris absolutus, quàm Petrus & Paulus apostoli, aut ipse Ioannes, quo non erat maior inter natos mulierũ. Nam Luc.1 Mat.11 Mat.25

uni data sunt quinq; talenta, alij autem duo, alij uerò unum, unicuiq; secũdum propriam uirtutem, aut ut loquitur Apostolus secũdũ mensurã donationis Christi. Eph.4

Atq; hinc est cur, quamuis uerè secundum scripturam dixerimus, paruulos nostros et remissionis, & spiritus sancti, & fidei infusæ per baptismum esse capaces, confessionem tamen fidei, atq; manifestationem spiritus fateamur nondum ipsis esse neq; possibilem neq; necessariam. Nimirum sine qua & ipse Christus Iesus iam recens uel conceptus uel natus, non minoris erat dignitatis apud patrem, quàm postea cùm esset annorum triginta. Verbum enim ubi primùm caro factum esset, plenum erat gratia & ueritate, neque potuit in eo ipsa spiritus sancti gratia crescere, sed crescere potuit, atq; adeò creuit indies magis ac magis manifestatio spiritus ad utilitatem Ecclesiæ. Manifestatio spiritus nõdũ est paruulis ad salutẽ necessaria 1.Cor.12 Iohan.1 Luc.2 Fallax iudiciũ, quo cũ Mẽnone qs iudicet, non esse spiritũ sanctũ, vbi nulli eius appareant fructus.

Quemadmodum igitur quamuis in Christo adhuc infantulo non apparebat diuinitas, neq; spiritus sancti corporaliter (ut sic dicam cum Apostolo) inhabitãtis gratia eluceſcebat, sed nil nisi infirmitas humana, & impotentia loquendi, ambulandi, atque uiribus humanis utendi, id non arguebat Christum tunc temporis Coloss.2

minus

minus fuisse Deum, quàm posteà dum mare pedibus calcaret, & uerbo præcepti sui quosuis morbos deo pelleret. Ita etiam quamuis in puerulis nostris iam baptizatis non appareant ulli fructus fidei & spiritus sancti, id non arguit eos esse infideles, & alienos à spiritu sancto, quèadmodū Mēno blasphemat dicēs:

Iohan.6 Mat.8

Mennonis blasphemia.

Paruuli nec sciunt spiritum sanctum, nec patrem, nec Christum, nec ueritatem nec mendacium, nec iustitiam nec peccatum, nec bonum nec malū, nec dextrum nec sinistrum Deut.1. & ubi adoleuerint nisi erudiantur, nunquàm scient quicquā de Christo. At ubi fides, ibidem etiam esse oportet omnia ad salutem necessaria, notitiam scilicet boni & mali, timorem Dommi, charitatem Dei & proximi, obedientiam, desiderium iustitiæ. Nō enim potest non arbor bona bonos fructus parere. Rursus: Scio, inquit, paruulos habere spiritum uitalē, sed iustificantē spiritum & innouantē non habēt: deberet enim in suis fructibus certò agnosci, cū ocioſus, dormiens et sine fructu esse nequeat. Sic ille.

Confutatio.

Quid est hoc aliud, quàm si diceret: Video & scio Christum infantem habere humanam naturam, sed diuinam naturam non habet, deberet enim in suis fructibus certò agnosci, cùm ociosa, dormiens, et sine fructu esse nequeat? Quomodo enim diuinitas iaceret sepulta in corpore, sui adhuc impote, & nullam suæ omnipotentiæ uim ostenderet? Apagesis cum istae impia blasphemia. Vin' tu oculis carneis, ijsq; ad diuinam lucem perlustrandam uel talpa cæcioribus, uel nyctis corace obtusioribus spiritū Dei uidere, & opera eius mirabilia dignoscere et penetrare? Eccle.11. Quomodo ignoras quæ sit uia spiritus, & qua ratione cōpingantur

pinguntur ossa in uentre prægnantis, sic nescis opera Dei, qui fabricator est omnium.

Siccine putas statim ab infantia spiritum Dei operari in paruulis, qualia operatur in uiris aut senibus? Cùm essem paruulus, inquit Apostolus, loquebar ut paruulus, sapiebam ut paruulus, cogitabam ut paruulus: quando autem factus sum uir, euacuaui quæ erant paruuli. Nónne Sara uidit filiũ ancillæ qui natus erat secundum carnem, ludere cum filio suo Isaac, qui natus erat secundum repromißionem? Quomodo potuisses tũc agnoscere ex fructibus uter eorum esset filius adoptionis? At putandus ue est Isaac adhuc lusisse instar pueruli cùm esset annorum 30. aut 40? Aut nunquid cùm luderet, & nihil dignum spiritu sancto faceret, putandus est fuisse alienus à spiritu sancto, & à promißione? Absit. Nam & ipse Iesus infans quamuis nullam dum sapientiam ostenderet, erat tamen nihilo minus tunc tẽporis, quàm posteà, cùm esset 33. annorũ, sapientia patris. Eratq; spiritus in eo haud quaquã otiosus, sed tamen oculis hominũ non manifestus.

In paruulis nõ operatur spiritus sanctus qualia in magnis. 1. Cor. 13

Genes. 21

Gal. 4

Quin & Christi corpus, cùm esset mortuum, et positum in sepulchro, non erat profectò cadauer, qualia sunt nostra corpora iam mortua. Quamuis enim exuisset uitam humanam, sed non diuinitatẽ, quæ nimirum quod semel assumpserat, id nunquàm posteà reliquit. Id quod angelus sensisse uidetur, cùm diceret: Venite et uidete locum, ubi positus erat Dominus. Vbicunq; enim Christi uel corpus uel anima erat, ibidem & angelorum Dominus æterni patris filius erat. Sed quid agebat diuinitas in corpore tunc dormiente? dormiebat ne? Quid uerò agebat diuinitas Christi in utero

Corp' Christi in sepulchro mortuũ, erat adhuc vt prius diuinitate verbi indutum, quis id non ostenderit ex fructibus.

Mat. 28

uirginis

uirginis matris per nouem mẽses? dormiebat ne? Imò uerò quid agebat Deus, priusquàm mundus esset creatus? Otiosus ne erat, & ueterno pressus? Absit blasphemia. Sap. 9. Sensum tuũ quis sciet, nisi tu dederis sapientiã, et miseris spiritum sanctum tuum de cælis.

Blasphemũ est dicere spiritũ sanctũ nusq̃ esse, q̃ vbi ex fructibus suis esse videatur.

Vides itaq; ò Menno, quàm stultè, absurdè & impiè locutus sis contra spiritum sanctum, quasi is nusq̃ sit, nisi ubi ex fructibus suis esse certò cognoscatur, aut uideatur oculis hominũ. Credis ne Baptistam esse reuera natum instar aliorum hominum, ut fuerit et ad ambulandum & ad loquendum, & ad spirituales fructus impar, utq̃ non magis norit dextrum uel sinistrũ, bonum uel malum, quàm alij homines? An propterea non habuerit spiritum sanctum, quo eum Angelus plenũ fore, adhuc ex utero matris suæ prædixerat, quòd nullos fructus oculis humanis conspicuos in spiritu sancto infans edere potuerit? Absit blasphemia.

Luc. 1

Sæpe ex fructibus creditur spirituſſanctus esse, vbi tamẽ reuera non est. 2. Cor. 11 Eccle. 8

Imò quemadmodum nunc ostendimus spiritum sanctum sæpenumero reuera esse, ubi tamẽ non uideatur esse. Ita e contrario sæpe fit, ut ubi non sit spirituſſanctus, ibi tamen esse putetur. Ipse enim sathanas transfigurat se in angelum lucis. Vidi, inquit Ecclesiastes, impios sepultos, qui etiam cùm adhuc uiuerent, in loco sancto erant, & laudabantur in ciuitate quasi iustorum operum. Paulò pòst: Sunt iusti quibus multa proueniunt, quasi opera egerint impiorum. Et sunt impij, qui ita securi sunt, quasi iustorum facta habeãt.

Prouer. 14. Prou. 30

Est uia quæ uidetur homini iusta, nouissima autẽ eius deducũt ad mortem. Et alibi: Est generatio quæ sibi uidetur mũda, et tamẽ nõ est lota à sordibus.

Tales sunt hodie Memnoniani, qui iactant sese habere

bere spiritum sanctum, se esse sanctos & innocentes, eò quòd uideantur & sibi et aliorum oculis hominum hallucinantibus uestes quasdam habere ouinas, ut dare multas elecmosynas, easq; suæ sectæ hominibus, uelle omnibus prodesse consilio doctrina, consolatione, atq; auxilio, carnem suam crucifigere, ebrietatem uitare, persecutionem pati, imò neque ob grauissimam mortem uelle uel latum unguem discedere à sua hæresi, quam scilicet sibi persuadent esse germanam Christi fidem. Permittit enim spiritus immundus, ut cautius per eos, quos habet occupatos, decipiat & ipsos & alios, multa eos agere in speciem quidem bona ac laudabilia, sed citra ueram fidem non magni momenti, ita ut uestes ouinas quidem uideas, sed cor lupinum non item. Imò ut plerunq; & ipsi ignorent se aliquid lupinum habere in corde, sed omnino iudicent se esse ueros filios Dei, sese q; remissionem peccatorum sentire in cordibus suis, quasi ex testimonio spiritus sancti in cordibus ipsorum eos clamare facientis abba pater, sed, pròh dolor, potius ex testimonio spiritus maligni in corda eorum se insinuantis, & transfiguratis se in angelum lucis, atq; dantis intus mendax testimonium probitatis. Quemadmodum enim spiritus sanctus in cordibus iustorum reddit testimonium ipsis, quòd sint filij Dei, reddit, inquam, testimonium non euidẽs neq; penitus certum, sed secundum rationem fidei, quæ est argumentum rerum non apparentium, & secundum rationem spei, qua quæ non uidemus speramus, adeò ut nemo citra peculiarem reuelationem sibi diuinitus factam, debeat certò affirmare ex solo testimonio suæ conscientiæ, se nũc esse innocentem, iustum & spiritu sancto

Decipiũtur Mẽnoniani specie quadã recti ac pietatis, cui⁹ tamen abnegarũt virtutẽ.

Mat.7

Rom.8

2.Cor.11

Spirituſſanctꝰ reddit testimoniũ in cordibus nostris q sumꝰ filij Dei. Idipsum & spiritus malignus imitatꝰ. Heb.11

Rom.8

sancto plenum, & sine dubio saluum futurum, iuxta
Pro.20 *scripturam dicentem: Quis potest dicere mundum est*
Psal.18 *cor meum? purus sum à peccato? Delicta quis intelli-*
Luc.17 *git? Cùm feceritis omnia quæ præcepta sunt uobis, dic-*
Eccle.9 *cite serui inutiles sumus. Nescit homo utrum amore*
Eccle.7 *an odio dignus sit, sed omnia in futurum seruãtur in-*
certa. Non te iustifices ante Deum, quoniam agnitor
Iob.9 *cordis est ipse. Si iustificare me uoluero, inquit Iob,*
os meum condemnabit me, si innocentẽ ostendero, pra-
uum me cõprobabit. Etiamsi simplex fuero, hoc ipsum
ignorabit anima mea. Quemadmodum, inquam, spiri-
tus sanctus reddit testimonium iustis, uerum quidem,
Psal.2 *sed non cuidens, cæterum cum timore ac tremore con-*
Pro.28 *iunctum. Beatus enim homo, qui semper est pauidus.*
Ita ediuersò spiritus malignus reddit plerũq; iniustis
testimonium falsum, quod & ipsi sint filij Dei, eosq;
ita excæcat ut nullius sibi sint cõscij peccati, utq; gra-
uissima peccata, benefacta iudicent, & se extollant su-
2.Thess.2 *pra omne id quod dicitur Deus, ponentes nimirum se*
metipsos suorum cordium certos censores atq; iudi-
ces ex sui & maligni spiritus testimonio, quasi ex spi-
Act.1 *ritu sancti sufragio, cùm solus Deus, & non Menno*
Psal.7 *neq; Bucerus sit scrutator cordium & renum.*
Hier.17

Vt autẽ hæc missa faciamus, de quibus abundè dis-
serimus prioris libri cap. 9. & redeamus unde digressi
Nõ semper in magnis cognoscitur spiritus sanctꝰ ex fructibus quantũnis bonis. *sumus, hoc dicimus, quòd quemadmodum in natu gra-*
dibus, non semper neq; certò ex fructibus agnoscitur
spiritus sanctus ipsos inhabitans, quorum tamen uni-
cuiq; data est manifestatio spiritus ad utilitatem, ad
1.Cor.12 *utilitatem inquã, non semper propriam & suam ipso-*
rum, sed Ecclesiæ. Deus enim mandauit unicuique

de

de proximo suo. Ita in paruulis uix unquàm ex fructi bus cognoscitur spiritus sancti gratia præsens, utpote quibus nondum est mandatum quicquam de proximo, quibusq; necdum est neq; necessaria neq; possibilis manifestatio spiritus ad utilitatem. Id quod satis superq; tum ex Christi infantis, tum ex Iohannis baptistæ & Hieremiæ in uteris maternis sanctificorum pueritia, sancta quidem illa, cæterũ hominibus ignota neq; sanctitate cõspicua satis manifestum nunc esse putamus. Ecclc.17

Sed inquis, ò Menno, non potest non arbor bona bonos fructus parere, atque inde putas persuasum fore omnibus, quod ubicunque sit fides et spiritus sanctus, ibidem etiam sint omnia ad salutem necessaria, notitia scilicet boni & mali, timor Domini, charitas Deî & proximi, obedientia, desiderium iustitiæ. Mẽnonis impia obiectio

Cõcedimus q; ubicunq; sit fides et spiritus sanctus, ibidẽ sint etiam omnia ad salutẽ necessaria, sed quòd inde consequatur nusquàm esse fidem & spiritum sanctum, nisi ubi sit notitia boni & mali, ac desideriũ iustitiæ, quasi cùm paruuli nesciant bonũ et malum, sinistrum & dextrum, ibid non habeant spiritũ sanctum, neq; fidem neq; charitatem per spiritum sanctum sibi infusas, id pernegamus. Iam enim ostendimus omnia ad salutem necessaria esse quidem in paruulis baptizatis, sed non esse ipsis ad salutem necessaria, quanta & quot adultis. Quanto enim tempore hæres paruulus est, nihil differt à seruo, sed sub tutoribus & actoribus est usque ad præfinitum tempus à patre. Responsio Gal.4

Concedimus præterea sententiam hanc Euangelicam, q; arbor si bona sit, bonos fructus pariat, Euangelico quidem, sed non impio et hæretico sensu, in quem

tu eam torques ac deprauas. Euangelium enim, ea sententia usum loquitur nō de paruulis, sed de natu grandibus, ut de pseudoprophetis Mat. 7. et de Phārisæis qui in spiritum sanctum blasphemabant Matthæi 12. ex fructibus ipsorum cognoscendis.

Quomodo omnis arbor bona bonos fructus faciat.

Si quis tamen cōtendat hanc sententiam: Omnis arbor bona bonos fructus facit, esse in uniuersum de omnibus accipiendam, non admodum refragabor. Sed inde non esse consequens, quòd omnes homines tam paruuli quàm magni sint ex operibus suis pensitandi atque æstimandi, patet tum ex dictis, tum ex dicendis. Hoc enim euangelium (ut diximus) non loquitur de cognitione paruulorum, qui quamuis habeant fructus, non tamen conspicuos & manifestos. Imò neq; docet euangelium omnes natu grandes tam bonos quàm malos certo & euidenter ex fructibus cognoscendos, sed secundum rationem fidei, ut alibi latè docuimus.

Perlustremus autem similitudinem hanc euangelicam oculis paulò perspicacioribus, adminiculante spiritu sancti gratia, & discutiamus, an aliquid faciat pro Memnone.

Ex terrenis & uisibilib⁹ rebus sumit Christus similitudines ad cœlestia & inuisibilia nobis declarand.

Nostræ fidei nostræq; salutis author Christus Iesus, optimus formandæ atq; docendæ ruditatis nostræ artifex, ut ad inuisibilia mentem intelligendo nos perduceret, terrenis ac sensibilibus assuetos, sæpe exrebus uisibilibus parabolas atq; cōparationes nobis magis notas mutuatur. Vnde & hic Metaphoricè hominem uocat arborem, bonum bonam, & malum malam, hominisq; opera uocat quasi arboreos fructus. Nam quod dicit,

Arbor quid significet.

Fructus qd significent.

Omnis arbor bona, bonos fructus facit, perinde est atque si diceret. Omnis homo bonus bona opera facit.

Quemad-

Quemadmodum igitur non omnes arbores bonæ, quosuis bonos fructus pariunt. Nux enim nuces et nõ ficus parit. Pyra pyrus & non uuas. Sic etiam non omnes homines boni, omnia atq; eadem faciunt bona opera. Alius enim Marthæ, alius Magdalenæ partibus fungitur, quanquam nemo sit qui non aliquando Magdalenæ ad pedes Domini sedentis & uerbum eius audientis munere fungi debeat, qui modo aures audiendi habeat, iuxta illud. Vacate & uidete quoniam ego sum Deus. Alij quidem per spiritum datur sermo sapientiæ, alij sermo scientiæ, alij fides, alij gratia sanitatum, alij operatio uirtutum &c. Astat enim regina à dextris Christi regis in uestitu deaurato, circundata uarietate.

Non omnes boni homines quosuis & omnes bonos fructus pariunt. Luc.10

Psal.45

1.Cor.12

Psal.44

Prætrea quemadmodum arbores bonæ, non statim ubi primũ ex terra erumpere ac fruticare ceperint, fructus bonos pariunt, sed tenellæ adhuc non nisi folia uiriditatis & uitæ argumenta producunt, imò & in hyeme ne folia quidem proferunt, sed uix ullum edunt uiriditatis signum. Ita & homines boni ac spiritu sancto pleni non semper neq; omnes faciunt bona opera hominibus conspicua, sed teneris adhuc unguiculis uix ulli uitæ spiritualis indicium faciunt. Quum & monstrosum atque prodigiosum fuerit si arbuscula recens enata fructibus ita exuberet, ut ea quæ iustum robur collegerit, & ad maturos annos adoleuerit. Si enim Christus adhuc infans sapientiã ostentasset, quantã tricenarius, quis uerũ hominẽ credidisset?

Arbor tenella nondũ parit fructus. Sic quodammodo & paruuli.

Paruuli habent fructũ à spiritu inhabitante ꝓductos, sed nondum cõspicuos.

In paruulis itaq; baptizatis non est otiosus, neque sterilis spiritus sanctus, sed profert salutis fructus nõ quidem oculis hominum conspicuos, attamen uberes et

uiuificos. Nam mundat eos, regenerat, uiuificat, iustificat, in filios adoptat, atq; menarrabili modo tanquã uiua Dei templa inhabitat, & spiritualibus indies auctibus ac incrementis promouet ac crescere facit magis magisq;. Crescente enim corpore crescunt & omnia eius membra, quæ modò uiua sunt, & cum capite eiusdem spiritus participio gaudent, non modò ea, quæ ipsa net alimentũ sumunt, sed & ea, quæ cum nec edere nec bibere ipsa possint, ab alijs nutrimentũ pertunt. Ad augmentum enim corporis Christi, de quo Ephes. 4. paruuli iam baptizati & concorporales facti, augentur & ipsi, sine proprijs operibus, sed uirtute atq; operatione spiritus sancti inhabitantis, non aliter quàm fœtus in utero materno adhuc conclusus ex nutrimento matris capit nutrimentum, alia ratione, quàm ubi in hanc lucẽ prodierit, Iuxta scripturas

Psal. 118 *dicentes: Particeps ego sum omnium timentium te, et*

Eph. 3 *custodientium mandata tua. Ne deficiatis in tribulas*

Colloss. 1 *tionibus meis pro uobis. Nunc gaudeo in passionibus meis pro uobis, & adimpleo ea quæ desunt passionũ Christi in carne mea, pro corpore eius, quæ est eccles*

2. Cor. 12 *sia. Ego libentissimè me impendam, et superimpendar ipse pro animabus uestris. Non enim sibi modò manducat & bibit os, oculus uidet, auris audit, pedes ambulant, sed & ceteris omnibus membris in idem corpus eiusdem spiritus glutino connexis. Nisi enim credis disset Israel suos infantulos circuncisos habere spiritum sanctum eumq; minimè ociosum, nequaquam sacerdotes eorum, cum in rebus afflictis cum populo ieiunando & orando atq; in cilicio & cinere se humiliando obnixè clamarent ad Dominum, suos quoq; infantes*

fantes proſtraſſent contra faciem templi Domini. Iudith 4. Quod quidem, quantum ponderis habeat ad hanc rem, de qua loquimur, tibi accuratius penſicus landum relinquo.

Cæterùm ne quicquã intentatũ relinquamus, quod utile eſſe putemus ad hoc, ut Menno ſuum errorem agnoſcat, cõuertatur atq; uiuat, pergem⁹ porrò id paulò latius perſequi quod cum hac in re tranſuerſum egit & mentis impotem reddidit. Putat enim & illud eſſe euidens argumentum paruulos baptizatos non habere ſpiritũ ſanctũ, quod non modò quando adhuc puſilli ſunt, & rationis expertes, ſed etiã poſtea, quãdo iam adoleſcentiores facti ſunt, & ad uſum rationis peruenerũt, ſint & maneant ſtupidi & penitus ignari rerum diuinarũ, neq; ſciant quicquã de Chriſto, aut quæ ſit uita chriſtiana, quæue ſalus nobis per Chriſtũ facta, atq; ita plærunq; grandeſcãt & in uiros euadant, ut Iudæorũ aut Turcarũ multi ſciant magis quid ſit piũ, quidue impiũ, q̃ chriſtianorũ plurimi, niſi fortè ab ineunte ætate ſtatim humanæ doctrinæ adminiculo fideliter erudiantur, quaſi oporteat, ut ſi habuerint ſpiritũ ſanctum, is eos nequaquã paſſurus ſit, uel citra doctrinã humanã, eſſe rerum chriſtianarum penitus rudes atque ignaros. Mennonis obiectio.

Reſpondemus ad hæc, quicquid fieri poteſt humana opera, id Deum uelle hominũ adminiculo fieri neq; id à ſolo Deo ſine humano auxilio petendum, ſed (ut dici ſolet) cum Minerua manũ quoq; mouẽdam. Nam ſi quis inops & egenus ociosis manibus & faucibus hiantibus epulas ſibi diuinitus expectet, cum poſſit ipſe ſibi uel laborando uel mendicando alicundè pa- Quicquid humana opera fieri poteſt, id nõ à ſolo deo poſtulandũ ſine humano adminiculo

rare uictũ, is merito permittatur fame atq; inedia cõ tabescere ac perire. De qua quidem re habemus pulcherrimam significationem. Act 17. Vbi Paulus Apostolus, cum nautæ timerent naufragium, & quærerẽt fugere de naui, missa scapha in mare, sub obtentu quasi meiperent à prora anchoras extendere, dixit Centurioni & militibus, Nisi hi in naui manserint, uos salui fieri non potestis. Quid uerò ais ò Paule? Poterat ne Deus solus uos eripere incolumes atque saluos ex marinis fluctibus ac periculis, etiamsi aufugissent nautæ? Siccine erat potentia Dei alligata nautis, ut sis ne his uos seruare aut periculis eximere non potuerit? Imò potuit, sed quod humana adminiculante opera fieri & potuit & debuit, id solus præstare noluit, ut doceret nos, ne Deum unquam tentemus.

Mat. 4
1. Cor 10
Deut. 6

Sic etiã, ut non lõgius digrediar ab instituto, in lege Dei cognoscenda contingit, ut frustrà à Deo solo, si quid dubites quod ad salutem neeessario spectet, doceri uelis, contemptis aut neglectis hominibus, si quos illius rei magistros inuenire queas. Quemadmodum enim ait D. Iohannes. Qui non diligit fratrẽ suũ quem uidet, Deum quem non uidet, quomodo potest diligere? Sic & ego rectè dixero. Qui non consulit fratrem suum quem uidet, Deum quem nõ uidet, quos modo potest consulere?

Ab hominibus erudiri debemus.

1. Iohan. 4

Quis hominũ sit consulendus in rebus diuinis.

Sed quem fratrem (inquis) consulet, si quis quispiam in diuinis rebus dubitet? Respondeat Malachias Propheta cap. 2. Labia sacerdotes custodiunt scientiam, & legem requirent ex ore eius, quia angelus Domini exercituũ est Atq; hinc est cur cũ Saulus prostratus esset, & cognito Domino dixisset: Domine

ne quid me uis facere? non statim à Domino condidi- Act.9
cerit, quid sibi facto opus esset, sed missus sit ad Ana- Saulus.
niam erudiendus, cùm tamen potuisset ipse Christus Iesus præsens præsentem multo facilius, fœlicius ac plenius uel unico uerbo, imò potius uel unica inspiratione docuisse, quæcunque fuissent ei scitu & factu necessaria, quàm sexcenti Ananiæ. Similiter Act.10. cùm Cornelius centurio, uir religiosus & timens deũ Cornelius Centurio.
cum omni domo sua faceret multas eleemosynas plebi, & deprecaretur Deũ semper, missus est ad ipsum angelus de cælo, nõ ut eum ad plenum doceret, & absolutum Theologum redderet, ac monstraret, qua uia & ipse, & omnes alij, quos ipse uicißim esset eadem eruditurus, salui forent (erat enim uir gentilis & uera Dei cognitione non imbutus) sed ut ei ostenderet, quo uti deberet magistro ad pleniorem Dei notitiam hauriendam.

Simile quiddam habemus præterea Actor. octauo Eunuchus.
de uiro quodam Æthiope Eunucho, qui cùm reuerteretur ab Hierosolymis, & sederet in curru legens Esaiam Prophetã, neque intelligens, atq; quantum in ipso erat, quæreret Deum ex toto corde suo, inuenit misericordiam apud eum, qui neminem salutis ex toto animo uerè cupidũ destituit. Iußit enim Deus Philippo, ut is propius accederet ac doceret, quæ essent fidei & salutis elementa. Quo facto tum demum rursus rapuit Philippum spiritus, nec uidit eum Eunuchus amplius.

Hic merito quis miretur quid opus fuerit tãto negocio, ut Saulus qui magistrorũ summũ habebat præ- Res admiratione digna
sentem mitteretur ad Ananiã, & Cornelius ad Petrũ,

qui tamen & ipse habebat præsentem angelum Domini Petro longè diuiniorẽ & cœlestium rerum multò experientiorẽ. Quidue opus fuerit tãto molimine ut Philippus ad Eunuchũ erudiendũ accederet, & inde rursus à spiritu abriperetur, ac per aëra longiusculè deportaretur in Azotum. Aut cur Deus ipse sine ullis ambagibus hos, quos prædestinarat conformes futuros imaginis filij sui, per se non docuerit, id quod ei fuerat facillimum, cum sit omnipotens & creator & inspector, & mutator cordium.

Rom. 8

Condẽnantur hæretici qui se iactitãt à spiritu sancto sine humano magisterio sacris superq; doceri.

Hinc igitur & ex id genus alijs multis scripturarum rationibus, quas breuitatis caussa prætereo, erezdimus atq; docemus, quantũ huic loco satis est propterea id ita factum esse à Deo, ne ecclesia unquã decipe retur ab hæreticis, se à spiritu sancto doctos iactitantibus: quemadmodũ nunc passim fieri uidemus à multis, qui eum uix norint literam scripturæ uel patria lingua sonare aut legere, tantum tamen sibi arrogant et tribuũt eruditionis sacræ, ut omnes doctos quotquot uel nunc sunt, uel ante nos fuerunt multis abhinc seculis, præ se quasi nihili homines, nulliusq; diuinæ cognitionis ignaros contemnant. Quos si interroges unde tantum diuinæ scientiæ hauserint, confidentissimè respondebunt, se ab ipso Christo & à spiritu sancto satis superq; eruditos, neq; Christum opus habere humana doctrina, quippe qui & ipse sine humano magisterio suos Apostolos quamuis rudissimos, omnibus muneris absolutissimos reddiderat Theologos.

Impia persuasio hæreticorum.

Confutatio prima.

Sed heu nõ uident neq; animaduertere uolunt, quæ est eorum obstinata cæcitas, quot annos usi sint Apostoli Christo magistro, & quàm difficile fuerit Chris

sto

sto quantumuis omnipotentissimo (non enim omnipotentiæ suæ uim efficacem adhibere uult Deus ubiq; ea enim posset omnes ubiq; homines ad se pertrahere & saluos reddere, sed disponit omnia suauiter. Appo suitq; tibi aquam & ignem, ad quod uolueris porrige manum tuam) rudes illos piscatores & uerbis multis ultrò citroq; diu cum ipsis habitis, & miraculis editis, & transfiguratione cum patris uoce & resurrectione ostensa, reddere Theologos. Sap.8 Eccles.15 Mat.17 Luc.24

Deniq; non uident quòd cùm Christus ascendisset ad patrem, & dedisset Petro negocium suas pascendi oues, ipsemet nolucrit amplius sine humana doctrina quoslibet passim ad plenum docere, iuxta illud, Me oportet operari opera eius qui misit me, donec dies est. Venit nox, quando nemo potest operari. Quandiu sum in mundo, lux sum mundi, sed dederit pastores et doctores, quos & tanq; seipsum audiendos, & tanq; angelos Dei accipiendos præceperit, et in omni honore habendos. At cuius nimirũ rei maiorẽ necessitatẽ ostendendã præceperit Deus nõ tantũ Saulo prostrato ut ad Ananiã erudiẽdus iret, sed & Paulo gentiũ doctori per reuelationẽ, postquàm is iam quatuordecim annos euangeliũ salutis in multis locis prædicasset, ut iterũ ascenderet Hierosolymã cũ Barnaba, assumpto & Tito, & eõferret eum Apostolis euangeliũ quod prædicasset in gentibus, ne fortè inuanũ curreret aut cucurrisset. Non quasi Paulus tunc temporis lubricæ adhuc & ambiguæ esset fidei, ita ut Apostolica admonitione opꝰ ei fuerit. Sed ut nos instrueremur, ne quisquam nostrũ eo temeritatis unquã ueniat, ut sibi persuadeat, se tam prouectæ & absolutæ fidei atq; erudi Confutatio altera. Marc.16 Io.21 Io.9 Eph.4 Luc.10 Gal.4 Phil.2 Act.9 Gal.2

tionis esse, quasi à spiritu sancto infuse, ut nullius hominis admonitione opus habeat.

Nunc idipsum ostēdit de paruulis. Tit.)

Paruuli itaq; (ut ad rem propius ueniamus) quàm diu sunt rationis expertes, necdum doctrinæ humanæ adminiculo habēt opus, sed spiritus sanctus in ipsis operatur per lauacrum regenerationis, quicquid sit ipsis tunc ad salutē necessariū. Cæterū ubi primùm solutis ingenij unculis posse meeperint sapere & intelligere, quæ ad ampliorem salutem spectent, tum demum quamuis eos reddat spiritus sanctus, si modò eum non omnino contristent, multò docciliores, & ad fidem ex auditu percipiendam habiliores, q̄ si neque baptizati neq; spiritus sancti participes fuissent, non tamē persgit spiritus ueritatis solus ea omnia intus docere, quæ restent docenda, quæq; tunc incipiant esse & scitu et factu necessaria. Sed mittit eos eum Saulo ad Ananiā aliquem, aut cum Cornelio ad Simonē Petrum, hoc est, ad ministrū uerbi diuini. Non enim sine caussa ipse dedit quosdam quidem Apostolos, quosdā Euangelistas, quosdā uerò pastores atq; doctores Eph. 4. Dedisset autem frustra, si sine illis à solo spiritu sancto abundè in omnibus semper instrueremur. Multò enim grauioris est flagitij uiuam uocē quàm mutos magistros contemnere, si modo utriusq; copia esse queat.

Spiritussanctus reddit paruulos diuinarū rerū dociliores.

Necessariò paruuli, q̄uis spiritu sancto pleni uerbum Dei audiredebēt alioqui contristarent atque iterū expellerēt spiritum.

Si igitur, cùm adoleuerint paruuli, & audiēdo uerbo maturi euaserint, tunc neglexerint uel contempserint audire uerbum Dei & custodire illud, iuxta Domini præceptum: Qui habet aures audiendi audiat. Et qui ex Deo est, uerba Dei audit: certè contristarēt atq; expellerent spiritum sanctum, quem prius habuerant. Sin dederint se uerbo Dei audiendo et custodiendo

Luc. 11 Iohan. 8

do sedulos, spiritus in ipsis intus docere & eos ad altiora indies prouehere pergeret. Iuuenes itaque iam grandiusculos factos & participes rationis, certum est, si rerum diuinarum omnino sint & esse pergant ignari, spiritu sancto iterum esse destitutos, quem ab incunte ætate prius in baptismo per Christum acceperant.

Sunt itaq; iuuenculi, ubi adolescētiores paulò euaserint, & audiendo uerbo apti esse inceperint, à parentibus non modò suauiter cohortandi, ut audire uelint & obsequi, sed etiam si natura duriusculi & negligentiusculi fuerint, acrioribus aliquando stimulis excitandi atq; impellendi, iuxta scripturas dicentes: Qui parcit uirgæ, odit filium suum, qui autem diligit illum instanter erudit. Item: Noli subtrahere à puero disciplinam, si enim percusseris eum uirga, non morietur. Tu uirga percuties eum, & animam eius de inferno liberabis. Rursus: Virga atque correctio tribuit sapientiam. Puer autem qui dimittitur uoluntati suæ, confundit matrem suam. Et alibi: Filij tibi sunt, erudi illos, & curua illos à pueritia illorum.

Quis filium quē non corripit pater? Heb.12

Prou.13

Pro.23

Pro.29

Eccle.7

Ea enim est pronitas & infirmitas naturæ humanæ, ut non modò paruuli facilè possint, cùm ad annos prætextatos uenerint, spiritum sanctum cōtristare, quem acceperant in die redemptionis suæ, nisi fideliter & cum omni cura in timore Domini educētur, sed etiam ut & nos ipsi, qui multis iamdudum abundamus in spiritu sancto operibus bonis (utor prima persona pro quauis, ne quis me laudis propriæ buccinatorem uos citet) & manifestamus quotidie spiritum ad utilitatem Ecclesiæ, nisi sobrij simus & aduigilemus, faciles simus

Oēs sumus proni & faciles ad malū, nedum paruuli.

Eph.4

1.Cor.12

simus ad lapsum: præsertim cùm aduersarius noster
1.Pet.5 diabolus circũcat, quærens quẽ deuoret. Petrus enim
Mat.16 Apostolorum primus, qui audierat: Beatus es Simon
Mat.17 bariona, non ita multò pòst longe diuersum audiuit:
Vade post me sathana, scandalum es mihi: non enim sá
pis quæ Dei sunt. Quod tamen minimi erat facinoris,
Luc.22 præ illo quod posteà designauit, cùm Dominũ Deum
Rom.8 suum ter negaret. Quid igitur mirum, cùm & illi
qui primitias spiritus habituri erãt, & lumina totius
Mat.5 mundi futuri, quiq; iam tum ex parte spiritum habe
bant, labi potuerant, non modò ad tempus, ut Petrus:
Iohan.13 sed aliquãdo in perpetuũ, ut Iudas, ut Nicolaus unus
Apoc.2 ex septem, ut Salomon, (nisi forsan is ad sanam mens
3.Reg.11 tem redierit, quod scriptũ non sit) ut Lucifer: quid,
Esa.14 inquam, mirum, si & paruuli nostri quamuis spiritum
habeant, ad malum tamen semper sint proni, & plæ
runq; in perpetuam peruersitatem demergantur, ut
nihilo meliores euadant uel Turcis, uel quibusuis in
fidelibus? atque eam ob rem assidua & uigili informa
tione, admonitione atq; calcaribus & extimulatione
Luc.1 opus habeant? Neq; sit mihi dubium, quin & ipse Bap
tista, quantumuis ante omnes cæremonias spiritu sanc
to plenus, secundum peculiare priuilegium, quando
incipiebat rationis fieri capax, sit à suis parentibus ab
ipsis statim crepundijs aut ab ineunte pueritia, forma
Hebr.5 tus & institutus, quæ sint elementa exordij sermonum
Dei, præsertim cùm posteà factus annorum triginta
Iohan.1 ipse fateatur se nescisse Christum, donec sibi dictum
esset ab eo, qui se miserat baptizare: Super quem uis
deris spiritum descendentem, & manentẽ super eum,
hic est qui baptizat in spiritu sancto Iohan.1.

Neq;

Neq; hæc dixerim, quòd credam Iohanni baptistæ tanta fuisse opus institutione humana, quanta nostris paruulis, sed fuisse opus saltem non nulla. Neq; parentes eius, docendo eum, iniuriam aut contumeliam fecisse spiritui sancto, quasi quos pœnituisset internæ eius doctrinæ, quam sciebant spiritum sanctum intus habitantem illi inspirare, sed per hoc eos fecisse rem spiritui sancto gratißimam, quòd bonorum & iustorum parentum officio sint functi, quemadmodum & fecerat Thobias, accuratè & sedulò filium suum in omni timore Domini eruiendo, adolescentulum alios qui probum, pium, spiritu sancto plenũ atq; comitatu angelico dignum. Vnde ait scriptura: Qui elucidant me, uitam æternã habebunt. Et alibi, Qui ad iustitiam eruiunt multos, quasi stellæ erunt in perpetuas æternitates. Quòd igitur paruuli, ubi ad rationis usum peruenerint, sine doctrina humana sint rerum diuinarum omnino rudes, id non est argumento non habuisse eos spiritum sanctũ. Ea enim ruditas non modò in paruulis, sed & in Nicodemo legis doctore, uiro pio, & piè de Christo sentiẽte, cæterum Christianæ fidei prouisione illius temporis adhuc ignaro, magna ex parte emicuit, imò et in ipsis iam electis Apostolis, iamq; aliquandiu cum Christo uersatis, & prædicantibus atq; baptizantibus, sine dubio et baptizatis ac spiritu sancto ex parte aliqua plenis, secundum mensuram illius temporis. Hinc enim est illa uox post cœnam: Ostende nobis patrem, & sufficit nobis. Nescimus quò uadis, & quomodo possumus uiam scire? Quid factum est, quia manifestaturus es nobis teipsum & non mundo? Et prius: Absit à te Domine, nõ erit tibi hoc. Et cùm dixisset

Thob.4
Thob.5
Eccle.24
Dan.12
Ruditas paruulorũ non arguit spiritum sanctũ non esse in ipsis.
Iohan.3
Mat.10
Luc.10
Iohan.4
Iohan.14
Mat.17

Mat.15 dixisset Christus: Nõ quod mirar in os coinquinat hominem, ac respondisset Petrus: Edissere nobis parabolam istam, audyt: Adhuc et nos sine intellectu estis? Et alibi: Nõ sapis ea, quæ Dei sunt, sed ea quæ hominum.

Mat.19 Quid igitur mirum, q̃ paruul: nostri antecẽ instruantur, non sapiãt & ipsi, quæ Dei sunt, sed dũtaxat, quæ hominũ, dociles tamen Dei, imo & eo docciliores, quo spiritu sancto pleniores? Quis enim dubitat, quin Baptista fuerit diuinarũ rerum docilior, q̃ inpd lium & impiorum filiolis? Nunc ita ij putamus ostensum sat Epilogus. tis, quomodo paruuli reuera sint perceptiles atq; capaces in baptismo spiritus sancti, cum quo & ipsis pariter ueniant omnia ad salutem necessaria, quauis ea cutitibus hominũ oculis non conspicua, ita ut totius fructus baptismi uerè sint capaces non minus, quam qui sunt natu maiores, quiq; fideles baptizãtur, quam quam fateamur non tanta neq; tot paruulis esse ad salutem & possibilia & necessaria, quot maiusculis. Nihil itaq; restat, neq; quicquam amplius ad hanc disputatiunculam absoluẽdam desiderari puto, quàm ut ceteris obiectionibus Mennonianis satisfaciam quoq;, quibus præterea nititur pædobaptismã expugnare, sed irritis conatibus. Quod ubi quam potero paucissimis expediero uerbis, tum demum huic commentatiunculæ supremum fastigium imposuero.

De eo quod dicitur Act. 2. Pœnitentiam agite, & baptizetur vnusquisque vestrum &c. Cap. VIII.

Etsi

Tsi multis in locis dogmata Ecclesiastica uarijs oppugnet argumentis Menno, quèadmodum ex superioribus auditũ est, nusquam tamen ita sese præbet infestum, nusquàm ita densis pugnat argumentis, atq; hoc in loco, ubi docuimus paruulos sine dubio fructus baptismi esse susceptiles, rò q; uideret hoc argumentũ uel solum, quod ex capacitate fructuũ sumitur, esse satis efficax ad pædobaptistica asserẽdũ atq; cõstabiliendũ.

Nititur autem demonstrare paruulos non esse fructus baptismalis perceptiles, partim ex eo quod non eluceant ex illis aliqui fructus nouæ uitæ, de quo iam satis diximus, partim deniq; ex eo quod constet, uel ex peritia iudicc, eos non posse omnem fructum, qui in sacris literis inuenitur baptismo attributus, percipere, quasi sit consequès. Vt si quis non omnem fructum susceipiat, is neq; ullum percipiat, neq; sit ideo baptizandus, aut si baptizetur, inutiliter & frustrà baptizetur. Quod nutiq; est consequens. Non enim si quis non omnia diuinæ cognitionis mysteria intelligere et penetrare queat, cõtinuò erit impius, et ab omni Christiana fide alienus habendus. Apostolis enim datum est nosse mysteria regni cælorum, cæteris autem non nisi in parabolis. Neque contingit omnibus cum Paulo ad tertium cælum rapi, & audire arcana uerba, quæ non liceat homini loqui. Fatemur autẽ, ut diximus, non ita omnem baptismi fructum infantes percipere, ut adultos, susceipere tamen omnem sibi necessariũ non minus quàm adultos omnem sibi utilem & necessarium, neq; esse

Hoc modo argumentatẽ Mẽno mẽdaciter. Paruulnõ possũt oẽm fructũ baptismi percipere, ergo nullũ, quasi quis dicat: Menno non habet omne caput, ergo nullum caput habet. Mat. 13 2. Cor. 12

esse pusillis ad salutem necessaria, quot natu grandibus, præsertim cum his sit necessaria manifestatio spiritus ad utilitatem, illis non item.

1.Cor.12 Eccle.17

Frustrà itaq; adfert Menno varias Apostolorũ sententias de baptismo adultorum præcipuè dictas, per quas pædobaptismã conuellere tentet, ac probet parẽ uulis non esse frugiferũ baptismã, eò quòd unius aut alterius fructus non uideantur capaces, quasi si non huius, neq; etiam ullius, quod est argumentum absurdissimũ. Nam & Christus ipse uerè & non inutiliter baptizatus est (an autem Christus suo, an duntaxat Iohannis baptismo tinctus sit, id non puto hic necessariò discutiendum, cùm sit mihi res cum eo, qui inter Iohannis & Christi baptismã nullum agnoscit discrimen: ut alibi improbauimus) quarũ neutiquam erat capax omnium fructuum, quos scriptura adligat baptismo. Si enim de Iohannis baptismo loquaris Non erat Christus capax pœnitentiæ in remissionẽ suorum peccatorum, cuius gratia is baptismus administrabatur. Sin de ipsius Christi baptismate loquaris, non poterat Christus accipere peccatorum remissionem, qui semper fuerat plenus gratia & ueritate. Neq; poterat mori suis peccatis, quippe in quibus nunquã uixerat. Neq; poterat resurgere ad nouitatem uitæ, ut qui nunquam eciderat in uetustatem peccati. Neq; poterat renasci ex spiritu ut spiritus fieret, nimirum qui nunquã ita natus fuerat ex carne ut caro fuerit. De niq; non poterat circuncidi circuncisione non manus facta in expoliationẽ corporis carnis, in quo semper inhabitarat omnis plenitudo diuinitatis corporaliter. Neq; poterat inducere Christũ, quasi qui eo aliquando nudus

Christus baptizatus est, nec tamẽ omniũ fructuũ baptismi capax fuit.

Luc.3

Iohan.1 Rom.6

Iohan.3

Coloss.2

Gal.3

nudus et uacuus fuerit. Neq; poterat accipere spiritũ promissionis, quasi quem prius non habuerit, sed eius duntaxat maiorem accepit manifestationem ad utilitatem sui corporis, quæ est Ecclesia Dei uiui, dicente patre, Hic est filius meus dilectus, in quo mihi bene cõplacui. Quia igitur constat Christum non inutiliter baptizatum, quãuis modica fluxerit ei utilitas indè. Multò magis ad imitationem Christi exprimendã, utiliter baptizantur nostri paruuli, quibus inde non modica salutis necessitas nedũ utilitas dependet, quãuis sint alioqui non quorũuis baptismi fructuum capaces. Singulas itaq; Mẽnonis nugas, quæ restant, quanta possumus breuitate maxima percurramus, easq; ineptas planè, impias & blasphemas ostendamus. Act.2 Mat.3

Primò ex Act.2. ubi dicitur: His auditis cõpuncti sunt corde, & dixerunt ad Petrũ, & ad reliquos Apostolos: Quid faciemus uiri fratres. Petrus autem ad illos: Pœnitentiam, inquit, agite, & baptizetur unusquisq; uestrum in nomine Iesu Christi in remissionem peccatorum uestrorum, & accipietis donum spiritus sancti. Ostendere nititur Mẽno, non esse nouam generationẽ, nisi in credentibus, neq; esse baptizandos, nisi qui audito uerbo compunguntur corde, quiq; ex fide possunt dicere: Quid faciemus uiri fratres? quibus & respõdeatur primò, ut agãt pœnitentiã, deinde ut baptizẽtur. Quæ omnia, inquit, nõ quadrãt in paruulos. Mennonis blasphemia.

Respondemus, ut iam diximus, neque hæc omnia cadere in Christum, Is enim non potuit fieri compuncto corde, neq; potuit pœnitentiam agere pro suis peccatis. Imò neq; potuit credere, ut nos dicimur credere, quæ nõ uidemus. Non tamẽ inutiliter est baptizatus. Refutatio. Hebr.11

Imò neq; hæc omnia cadũt in Iohannẽ Baptistam, neq; in uirginẽ matrem, nec forsan in quosdã alios, iustos, sanctos, & pios, qualis fuerat Simeon ille iustus, qualis Anna prophetissa filia Phanuel, quales & parẽtes Baptistæ incedentes in omnibus iustificationibus Domini sine querela. Non est enim ueri similc ad unum omnes fuisse tũc temporis iniustos, atq; impios, quibus opus fuisset, si ad baptismum uenissent, fieri compuncto corde, & pœnitentiam agere. Non enim posuit Deus iustorum (ut rectè confessus est Manasses) pœnitentiam iustis Abraham, Isaac, & Iacob, his qui non peccauerunt sibi.

Luc. 2

Luc. 1

Sic igitur & paruuli nostri necdum possunt audito uerbo, neque debent fieri compunctis cordibus, neque possunt necdum debent credere & pœnitentiam agere: quod autem non possunt id ab eis non exigitur, neque id non præstitum, eis quicquam obest. Quia tamen possunt hunc baptismi percipere fructum hic expressum, scilicet, remissionem peccatorũ & spiritum sanctũ, ideo utiliter, imò necessariò sunt baptizandi.

Si quis Menonẽ imitetur, is cõtra scripturam probauerit paruulos nõ esse salutis capaces.

Porro si quis ita argumentetur, quemadmodũ Menno, sumpto uidelicet uno loco scripturæ cõtra paruulos, qui ad eos nihil spectet, & dissimulato ac prætermisso alio, qui ad eos uerè ptineat, quiq; sit pro ipsis, is eadem facilitate, eademq; ratione probauerit paruulos penitus esse alienos à Christo, & ab omni salute, contra scripturam, sumpto uidelicet inde argumento, quod Mat. 5. dicitur de adultis: Nisi abundauerit iustitia uestra plusq; scribarum & Pharisæorum, non intrabitis in regnum cælorum. Aut quod Mat. 10. dicitur: Qui amat patrem aut matrem plus quam me, non

est

est me dignus. Et qui non accipit crucem suam, & sequitur me, non est me dignus. Hæc enim omnia in parvulos non quadrãt, neq; eis obsunt, dicta solis adultis, ut ex rei impossibilitate intelligimus. Ita etiam hoc loco loquitur Apostolus de baptismo, quemadmodum is conuenit adultis, non quidem eorum quibusuis, sed potissimũ peccatoribus, & Christi homicidis, quibus solis tunc respondebat. Neq; propterea excludit à baptismo uirginem matrem, cui non erat pœnitentia & compunctio cordis necessaria, neq; paruulos, quibus baptizari est & possibile & utile atq; adeò necessarium, ut ex alijs scripturis docuimus, doceri autem, compungi corde, & pœnitẽtiam agere non item, cùm necdũ suis propriis peccatis filium Dei crucifixerint. Heb.6 De noua generatiõe priori libro satis dictũ putamus.

De eo quod 1 Pet.3. dicitur: Octo animæ salvæ factę sunt per aquam, Quod & vos nunc similis formæ saluos facit baptisma. Item de susceptoribus, quos vocant compatres. Et de quibusdam ceremonijs baptismo additis.

Caput IX.

Secundò ex 1. Pet. 3. ubi dicitur: *In diebus Noe, cùm fabricaretur arca, in ea pauci, id est, octo animæ salvæ factæ sunt per aquam. Quod et uos nunc similis formæ saluos facit baptisma, nõ carnis depositio sordium, sed conscientiæ bonæ interrogatio in Deũ &c.* multis lapsantibus

Mennonis blasphemia

uerbis ostendere nititur Menno non esse baptizãdos paruulos, eò q; conscientiam bonam non habeant, neq; credant, neq; cognoscant per uerbum Dei, quomodo Deus pater per Christum sit reconciliatus, quomodo ipsis infernus, diabolus, peccata præterita, mors æterna, uel ira Dei, per merita Iesu Christi nocere possint nunq; &c.

Prima responsio.

Respondemus primò neq; ipsos discipulos Christi, dum in principio suæ uocationis baptizarentur (quomodo enim baptizassent Iohan. 4. non baptizati prius ipsi?) neq; item eos, quos ipsi baptizarunt ante passionem Christi, credidisse aut cognouisse per uerbũ Dei, quomodo Deus pater per merita Christi Iesu sit reconciliatus nobis, eò quòd tunc temporis nondum erat possibile, neque necessarium omnibus omnia credere. Sic etiam quia paruulis, ut diximus sæpe, necdum est possibile neque necessarium per uerbum Dei auditum credere, possunt hi & debent sine fide non minus baptizari, quàm illi.

Secunda

Secundò respondemus quòd salus nostra non pendet ex efficacia nostræ conscientiæ, nisi eatenus ut ea per propriam malitiam non contristet nec excludat spiritum sanctum, quemadmodum contingit in adultis impijs, quos neq; sanguis Christi, neq; baptismus, imò neq; patris omnipotẽtia potest saluos facere, nisi exuta conscientia mala, induãt bonam. Id quod ad paruulos nihil attinet, qui ut nondum bonam aut malam conscientiam habere, ita necdum bonam induere possunt. Quos nihilominus & Deus saluos facit per sanguinẽ filij sui, sine adminiculo bonæ conscientiæ nondum possibilis, cùm spiritui sancto resistere nõ possint, sed non sine adminiculo baptismi ipsis ad salutẽ & possibilis & utilis

& utilis & neceſſarij. Petri itaque uerba de ſolis adultis dicta paruulos à baptiſmo non excludunt, ſed potius concludunt. Quemadmodũ enim non modò homines Deum cognoſcentes, ſed & beſtiæ Deum ignorantes in arca ſaluæ factæ ſunt per aquam, Ita per baptiſmum in ſanguine Chriſti ſalui fiunt, non modò qui per fidem Deũ cognoſcũt, ſed & paruuli, qui beluarũ inſtar Deũ nõdũ cognoſcere poßũt, ut diximus ſuprà. Petrus de ſolis adultis loquitur. Geneſ.7.8

Hic prætereà obijcit Mẽno, quòd ueteres aliquando paruulos aliquando adultos baptizarint, & quòd de pædobaptiſmate diſceptarint, et nihil cõcluſerint. Alia obiectio Menno nis.

Dicimus q̃ nunquàm Eccleſia Chriſti putarit paruulos ſine baptiſmo fieri ſaluos, ſed q̃ ſemper neceſſariò crediderit baptizandos, præſertim quos uidebat in periculo uitæ conſtitutos. Nam concilium Mileuitanum cõtra Pelagianos hæreticos ſic ſciuit & decreuit. Quicunque paruulos recentes ab uteris matrum, baptizandos negat, aut dicit in remißionem quidem peccatorũ eos baptizari, ſed nihil ex Adam trahere originalis peccati, quod lauacro regenerationis expiatur, unde ſit conſequẽs, ut in eis forma baptiſmatis in remißionem peccatorum non uera ſed falſa intelligatur, anathema ſit. Quos autẽ uidebat antiquitas ſatis robuſtos ac facilè ſuperſtites fore uſq; ad annos intelligẽdi maturos, eos in principio aliquãdo differebãt, donec adoleſcentiores facti aliquid fidei diſcere & reſpõdere poterãt ut Gregorius Nazanzenus D. Hieronymi præceptor oſtẽdit in ſermõe de ſancto lauacro. Veteres non diſceptarũt de pædobaptiſmate.

Nam ſemper baptizatos eſſe paruulos præſertim in periculo uitæ conſtitutos, & nunq̃ permiſſos mori ſine baptiſmo id cognoſcere poteris, ex S. Hieronymo Nunq̃ paruuli ſunt permiſſi ſine baptiſmo mori.

lib.3.aduersus Pelagianos, ex origine super epistolã ad Ro. ex Cypriano ad Fidum, ex Tertulliano in præscriptionibus, qui fuit Apostolorum temporibus uicinus, ex Dionysio Pauli discipulo, de ecclesiastica hierarch. qui & affirmat ita uisum fuisse & placuisse ipsis duobus fidei, Apostolis uidelicet Christi, & ex Augustino super Genes. lib.10. cap.23. & aliis multis. Augustini uerba asseribamus, Consuetudo matris Ecclesiæ in baptizandis paruulis nequaquàm spernenda est neque ullo modo superflua putanda, nec omnino credenda, nisi Apostolica esse traditio.

Posteà cùm insurgerent hæretici, qui uetabãt parulos quantumuis ingruente necessitate baptizandos, ordinauit Ecclesia, ut statim uel nulla necessitate urgente baptizarẽtur. Id quod hactenus obseruatum est, ubicunq; Christi nomen claruit, per annos plus minus mille ducentos. Ita ut nunc, etiamsi non aliundè, certè uel inde constet esse diuinum & gratum Christo, quòd tã diu durarit, præsertim cùm Christus promiserit, idq; prophetæ multi, ut alibi ex parte bona ostendimus, sæpe prædixerint, fore stabilem semper Christi Ecclesiam, nec unquàm erraturam. Errasset autem turpiter, si tam diu contra institutionem Christi pædobaptismã obseruasset. Neq; sanè Christus stetisset suis promissis, qui dixit: Ecce ego uobiscũ sum omnibus diebus usq; ad consummationem seculi.

Mat.28

Tertia obiectio Mennonis de susceptoribus quos vocant patrinos vulgo.

Obijcit præterea Menno, ut uidelicet omnem lapidem moueat & nihil intactum atq; intentatum relinquat, de patrinis seu compatribus, ut uulgus uocat, quos dicit ab Higino pontifice institutos, & non habere ne unum quidem uerbum in sacris literis, quod

huiusces

huiusceomodi institutioni faueat. Ad quod respondemus utrunq; esse falsum. Susceptorum enim, quos patrinos uocant, usus, in Ecclesia Romana fuit ante tempora Higini. Sic enim habet decretũ Higini. de consecrat. dist. 4. & in decre. Iuonis lib. 1. In catechismo, & in baptismo, & in confirmatione, unus patrinus fieri potest, si necessitas cogat. Non est tamen consuetudo Romana, sed per singulos singuli suscipiant. Ecce audis tempore Higini fuisse diu usurpatam consuetudinem susceptores adhibendi baptizandis hominibus. Hic autem Higinus pontifex fuit nonus post Petrum, floruitq; circiter annum Domini. 145. Vnde & pensitandum quàm antiqua & ab ipsis nimirum Apostolis profecta sit hæc consuetudo. Nam & Dionysius Areopagita ille Pauli Apostoli discipulus de patrinis loquitur, quos ipse uocat ἀναδόχους καὶ ἡγεμόνας, id est susceptores & duces seu præceptores.

Confutatio.

Decretũ Higini pontificis post Petrum noni.

Dionysius

Hæc tamen græca uox, qua utitur Dionysius ἀνάδοχος significat non modò susceptorem, sed etiam fideiussorem, quiq; in se recipit quippiam, & se præstiturum promittit, atque item, qui alium sibi quasi filium asciscit & agnoscit, quasi eius perinde atque propriorum liberorum curam habiturus.

ἀνάδοχος susceptor.

Hæc enim sunt officia eorum quos uulgo uocant patrinos, quos latinius uocamus susceptores, sic enim imitatus Dionysium græcum uocat eos Erasmus utriusq; linguæ doctissimus, hæc, inquã, sunt eorum munia atq; officia, ut suscipiant eum, cui ad sacrum fontem astiterunt, docendum, & in semitas Dei ducèdum, atque instar proprij filij, sollicitudine spirituali, gubernandum, pro quo & fideiubeant se id curaturos,

Officiũ susceptorum seu patrinorum

& totis uiribus effecturos, ut is præstare uelit, ubi adoleuerit, quod ipsius nomine promissum est.

Necessitas susceptorũ seu patrinorum.

Atq; huius sane gratia rei, in primordio Ecclesiæ necessariũ erat paruulis susceptores probos & Christianæ fidei gnaros adhibere, eò q; tunc inter ethnicos & infideles uersarẽtur, neq; erant ludi literarij Christo digni, neq; publicè habebãtur conciones diuinæ ita frequentes ut nunc, eratq; plærunq; parentum alter infidelis, quo uel nescio uel inuito filioli baptizabantur. Oportebat itaq; ut, cùm in tanto fidei discrimine uersarentur & quasi quotidianis persecutionum fluctibus obruerẽtur, si fortè altera parẽtũ, quæ fecerat filium suum in Christo baptizari, præpropera è uiuis excessisset, priusquàm suum gnatum in fide educasset, atq; satis prouexisset, plures essent curatores, tutores, fideiussores, susceptoresq;, & quasi alteri parentes non carnis sed fidei. De quare Augustinus in sermone post pascha Domini, qui sic incipit: Hodiernus dies. Vos ante omnia, inquit, tam mulieres quàm uiros, qui filios in baptismate suscepistis, moneo, ut uos cognoscatis fideiussores apud Deum extitisse pro illis, quos uisi estis de sacro fonte suscipere. Ideoq; semper eos admonete ut castitatem custodiant, iustitiam diligant, charitatem teneant. Ante omnia symbolum, & orationem dominicam & uosipsi tenete, & illis, quos de sacro fonte susceperistis, ostendite. Sic ille.

Augustinus

Nũc non est tanta susceptorũ necessitas, quanta erat in primordio Ecclesiæ.

Nunc autem quãuis non sit tanta necessitas huiusmodi susceptores asciscendi, cùm in medio nationis Christianæ uersemur, obseruamus tamẽ antiquum Ecclesiæ ritum: tum ne quid uideamur discrepare à maioribus nostris, tum si fortè quorundã paruulorum parentes

rentes atq; amici præmaturã mortem obeant, aut si in hæresim incidant (qua peste nunc magna pars orbis Christiani conflictatur) ut tunc susceptores suo docendi officio rite fungantur, tum demiq; ut scripturarum & conciliys & præceptis penitus obediamus.

Nam quòd Menno blasphemat ne unum quidẽ uersum esse in sacris literis quod huic rei faueat, id profectò, si ipse tam sciret scripturã uel literaliter, q̃ se scire gloriatur, falsum esse cognosceret. Huic enim susceptores paruulis adhibendi consuetudini fauet illud quod dicitur Gal. 6. Alter alterius oncra portate, & sic adimplebitis legem Christi. Et, Communicet autem is qui catechisatur uerbo ei qui se catechisat in omnibus bonis. Sunt enim susceptores paruulorum catechistæ atque magistri, qui pusillorum ignorantiæ & infirmitatis onera, si quando necessitas fuerit, portare debent. Id autem, quãuis non ubiq; obseruetur, et fortè in quibusdã locis ignoretur, non propterea inuiziliter institutũ putabitur, & nusq̃ obseruari credetur. Ego enim ipse scio, q̃ meos susceptores atq; susceptrices solebam puer tanq̃ alteros parentes reuereri, imò si adhuc superstites essent, eorũ aspectu atq; familiaritate non leuiter oblectarer, quippe quos memini nõ modicã mei, cùm adhuc puerulus essẽ, habere curam. Sicubi igitur laudatissima hæc consuetudo penitus in obliuionem abijt, admonendi sunt & uerbo diuino docendi, ut qui se paruulorũ susceptores præbuerunt, sui officij meminerint.

Susceptores adhibere paruulis baptizãdis est sacris literis cõsentaneũ.

Audiamus & alias scripturas eidem institutioni faUentes: Quicunque susceperit unum paruulum talem in nomine meo, me susceipit. Quomodo igitur non omMat. 18

nibus modis laudabile, paruulis ad sacrum lauacrũ ita assistere, ut nõ modò tunc tẽporis, sed perpetuus quidam sis eorũ susceptor ac pædagogus, eorumq; quasi parens animæ curam agas, sicubi corporis parentes ad animam gubernandam supinos stertentes atq; ignauos inueneris? Rom.14. *Infirmum in fide assumite.* Rursus Rom.15. *Suscipite inuicem, sicut & Christus suscepit uos. Cur igitur non & paruulorum essemus susceptores, & eorum parentibus quasi compatres?* Galat.4. *Quanto tẽpore hæres paruulus est, nihil differt à seruo, cùm sit Dominus omniũ, sed sub tutoribus & actoribus est. At si iustum secundum scripturam dare partes ullis rerum terrenarum, quas necdum ipsi curare possunt, tutores atq; actores, quomodo non pium & sanctum dare ipsis animæ rerumq; cælestium tutores?*

Testes vocat susceptores ab Hieremia propheta.

Hos autẽ susceptores satis credo ab Hieremia propheta cap.32. uocatos testes, loquens enim de redemptione Israel, quã nos scimus per Christũ esse factam meritoriè quidem in cruce, cæterum effectiuè in baptismo fieri. Imprimetur, inquit, signum, et testes adhibebuntur in terra Beniamin, & in circuitu Hierusalem, & in ciuitatibus Iuda, & in ciuitatibus montanis, & in ciuitatibus campestribus, & in ciuitatibus quæ ad Austrum sunt, quia conuertam captiuitatem eorum, dicit Dominus. Nam quòd in baptismo signum imprimitur, suprà dictum est ex Ezechielis 9. Apocalip.7. Ephe.1. & 4.. 2.Corinth.2. Cuius figuram habuimus Exod.12.

Blasphema calũnia Mennonis oẽs pẽ dobaptistas impios iudicantis.

Deinde multis uerbis mendaciorum & blasphemiarum plenissimis per duodecim fere paginas describit fidem & uitam sacerdotum baptizantiũ, patrinorum

fideius

fideiubentium, atque parentum, in quorum fide putat paruulos baptizari. Inter quæ quidem tria hominum genera ait neminem esse uerè fidelem, & ne unũ quidem inter mille, qui ex uero corde Deũ quærat, quiue desideret ambulare in præceptis Dei. Vnde putat ostensum iri pædobaptismа esse penitus inutile & apud Deum nullius momenti, triplici uidelicet hac ratione, quòd infideles sint & qui baptismũ administrarunt, & qui fideiusserunt, & in quorum fide administratum est, quasi, si fides sit nulla, in qua baptismus administratus sit, oporteat etiam nullum esse huiusmodi baptisma.

Primate sponsio.

Respondemus primò miram & intolerabilem esse blasphemiam, quòd ait ne millesimũ quidem inter nos uero corde quærere Deũ aut desiderare in præceptis Dei ambulare. Nam unde id scis, ò Menno cordium & desideriorum animi scrutator impie, quòd nemo nostrum ex uero corde aut Deum quærat, aut desideret secũdum Dei præcepta ambulare? Credẽdus ne es non modò cum Paulo fuisse in tertio cælo, sed potius cum Christo ad dexteram patris sedisse, ut inde retuleris oẽs thesauros sapientiæ & scientiæ, quos nunc in animo tuo recõditos habeas, & promas quãdo uelis? Certè nulla scriptura me docet aliorũ corda sic perlustrata & explorata habere, ut scire, mihi arrogẽ, quis ex toto corde quærat Deum, aut quis desideret Deo pares̃re. Ipse enim Propheta Helias usq; adeò non norat neq; ex scriptura, cuius erat expertißimus, neq; ex spiritu prophetico, cuius erat plenißimus, an quisq; ex toto corde quæreret Deum nec ne, ut cùm putaret neminem esse reliquum, qui non fuerit cedis prophetarum & subs

Menno iudicat & pronũciat de secretis cordium

2. Cor. 12
Marc. 16

Col. 2

Helias non norat quisquereret Deum aut quisnõ.

3.Reg.19 Rom.11

& subuersionis altarium affinis sceleri, ex diuino tamen oraculo audierit septem adhuc superesse milia, qui non curuassent genua ante Baal.

Quo igitur ore tu ita blasphemare audes, ut testa tuas cordium cognitorem, & pronuncies de arcanis mentium desiderijs soli Deo conspicuis? Siccine ipso Helia perspicacior & diuinior es, ut quæ ille ignorauit, tu scias? Imo uerò qua impietate ac temeritate cõfisus tentas cum Lucifero super altitudinem nubium ascendere, & te reddere similem altißimo? Christus enim est cordium & renum scrutator, & discretor cogitationum & intentionum cordis. Is iure suo dixerit: Vos foris quidem paretis hominibus iusti, intus autem pleni estis hypocrisi & iniquitate. Tu uerò si quenquam appelles hypocritam, quemadmodum nos sæpißimè appellitas, cum hypocrita sit introrsum turpis, specioſus pelle decora, teipsum facis Christũ, Imo potius Antichristũ, cùm Christus esse nequeas. Nobis enim præcepit Christus non iudicare neq; cõdemnare quenquam, eò quòd cùm alienam festucam curiosius obseruamus, nostrã trabem cæcutientibus oculis præteream, neque (ut loquuntur ethnici) uideamus manticæ, quod in tergo est.

Es.14

Hier.17 Heb.4 Mat.23

Menno est Antichristi quidam.

Luc.6

Secunda responsio.

Secundò respondemus meram & impiam esse calumniã, quòd ait Mẽno uix paucos esse inter nos, qui puram sectentur uitam, sed ferè omnes grauibus & abominabilibus esse uitijs cõmaculatos, atq; ne unum quidem esse omniũ uerè fidelem. Nam fidem nostram, quantum spectat ad pædobaptißma, ostendimus in hoc libello esse synceram integram & ueram, Mennonias norum uerò esse impuram, corruptam, falsam & impiam.

Vera fides est in Romana Ecclesia.

piam. Atq; idipsum per gratiam Dei possemus & de cœna Domini, & de exomologesi seu confessione, atq; de alijs omnibus nunc ab impijs in dubium & in controuersiã uocatis, eadem facilitate demonstrare, quẽ admodum & alij multi demonstrarũt & doctè & piè & cumulatim.

Vitam autem omnium nostram esse tam impuram & à Deo alienam, quàm Menno calumniatur, id candidis rerum æstimatoribus, uel nobis tacẽtibus, falsissimum uideri putem. Quamuis enim fateamur multos esse in Ecclesia nostra, qui non sobriè, iustè & piè uiuant, neque auditum Dei uerbum custodiant, iuxta id quod dicitur: Sinite utraq; crescere usque ad messem. Et alibi: In magna domo non solùm sunt uasa aurea et argentea, sed & lignea et fictilia, et quædam quidem in honorem, quædam autem in contumeliam. Nam regnũ cælorum simile est decẽ uirginibus, quarũ quinq; fatuas esse quidem didicimus, sed non ita penitus Dei ignaras, quin etiam fide mortua ueniant & pulsent.

Multi sunt in Romana Ecclesia, qui non piè uiuunt. Tit.2 Luc.12 Mat.13 2.Tim.2 Ecclesia habet bonos & malos. Mat.25

Nequaq; tamen ita multi sunt, qui impiè uiuunt, ut uix paucis exceptis nemo inueniatur, qui uitam Dei uerè quæritet, utq; ne millesimus quidem non modò non rectè ambulet, sed ne desideret quidem in præceptis Dei ambulare. Si enim loquamur de peccatoribus, quẽ admodum loquitur scriptura: Si dixerimus quia peccatum non habemus, nosipsos seducimus, & ueritas in nobis non est, fatemur nos omnes esse peccatores. Sin loquamur de peccatoribus, de quibus pronunciat scriptura quòd non habebunt hæreditatem in regno Christi & Dei, & præsertim, qui tam apertè contristant spiritum sanctum, ut possimus de ipsis ueram dare sententiam

Non omnes in Romana Ecclesia malè uiuũt, sed plurimi sũt uita & moribus incorrupti. 1.Iohan.1

Eph.4

1.Cor.5.6 Rom.1 Gal.5 2.Tim.2

tentiam, quòd nunc sint peccatores & cælo indigni, quales sunt adulteri, maledici, homicidæ, ebrioſi, blaſphemi, hæretici manifeſti, ſchiſmatici, parentibus immorigeri, alcatores, fraudatores, fures, raptores, & id genus ſimiles, quando adhuc recētibus flagrant ſceleribus, et necdum ſe eſſe aliena mente declarant (nam de animi uitijs ut ſuperbia, auaritia, inuidia & ſimilibus alijs, uix tutò unquàm poſſumus iudicare, ne noſs ipſos cordiū ſeruatores ſtatuamus) auſim confidere in Domino & dicere, ſumpto argumento ex his locis, in quibus ego quidem uerſatus ſim, ne uiceſimum quidem, imò forſan ne quinquageſimum quidem eſſe hus iuſcemodi peccatorem, quamuis in quibuſdam locis, ad quæ omnis ſex hominum quorumuis undique confluit, maior peccatorum coluuies eſſe uideri poßit. Auſim enim equidem uel magno periculo ſuſcipere, me in noſtra Romana Eccleſia poſſe oſtendere, cùm tamen in paucis admodum locis ſim uerſatus, uel quinquies uel ſexies mille, imò ſi dicerem duodecies mille probos & inculpatæ uitæ homines, non, opinor, mentirer.

3.Reg.19

Si igitur tempore Heliæ ſeptem adhuc erant milia, qui non curuarant genua ante Baal, cùm tamen diuinus ille propheta, neminem putaret reliquum præter ſe. Nunc autem cùm quiuis candidus cenſor, qui ſit aliquo modo inter homines uerſatus, facilè iuxta mecum inuenerit quinque aut ſex aut ſeptem millia, qui ita ſint integri & probi, quatenus homini licet iudicare, ut nemo pius, eis poßit quicquam obijcere, quo eos impietatis arguat, multò uerius & Chriſtianius dixeris confidenter in Domino, eſſe nunc in Romana

Eccleſia

Ecclesia nõ tantùm septẽ milia, sed septingẽties mille milia & amplius, qui præscruãte Domino non curuauerint genua ante Baal, q̃ cũ Mẽnone Luciferano ascenderis super altitudinẽ nubium, & uel de secretis cordium, uel de hominibus ne de facie quidem cognitis temerariam ac blasphemam condẽnationis sententiam pronunciaueris, dictitans ne millesimum quidem esse qui Deum uerè quærat. Esa.14

Licet itaq; (ut uerbis Mennonianis rectè pro Ecclesia Dei utar) aliquot Iudæ aut Simonis Magi in populo Dei inueniantur, cur propterea, ò Mẽno, totam Christi Ecclesiam iudicas atq; damnas? Cur solos Iudam & Simonem Magum spectas, & non potius Petrum Iohannem & Andream? Imò cur non potius in tuum ipsius sinum inspuis, et perlustras ædibus in prosprijs quæ praua aut recta gerantur? Cur non inspicis propriam ueſtræq; multitudinis inauditam impietatem tẽpla & cœnobia diripiendi, ciuitates opprimendi, insontes spoliandi, uias latrocinijs obsidendi atque infestandi, deniq; sacerdotes uirosq; Ecclesiasticos laniandi atque trucidandi, idq; uobis gloriæ & honori magno ducẽdi, quasi sic Deo obsequium præstiteritis. Huiusmodi enim flagitia multa ex uobis manasse, multò frequentiora, grauiora & crudeliora, quàm hactenus unquàm audita fuerant, totimundo cõpertius est, quàm ut quisq; inficias ierit. Sed missa hæc faciamus. Non enim lubet mihi multas paginas infercire huiusmodi bullatis nugis, neq; admodũ iudico Christianum, errantibus insultare, & eorum ulceranimis acriter tangere, atq; inde mihi glorioläm uenari, pro quibus flendum magis atque orandum censeo. Clau⁹ clauo retundẽdus, ne per dissimulationẽ ueritas à falsitate uideatur victa. Iohan.16

Tertiò

Tertia responsio.

Tertiò respondemus: Etiamsi baptizantium, patrinorum seu potius susceptorum, atq; parentũ fides & uita non esset integra, non continuò baptisma ab eis uel administratum, uel petitum, esse friuolum & inutile. Non enim ex bonitate uel parentũ uel susceptorum uel ministrorum baptismus suam efficaciam accipit, sed ex Christo Iesu et spiritu eius sancto intus operantibus. Neque in fide duntaxat parentum aut ministrorum aut fideiussorum baptizantur paruuli, sed in fide totius Ecclesiæ, quæ nunquã errat. Minister enim baptismi est Ecclesiæ minister, qui quicquid facit ea in re, id perinde est, atq; si tota Ecclesia præsens faceret. Et quod Ecclesia facit, id Christus ipse fecisse cẽsebitur. Hæc priori libro, cap. 4. & alibi paßim latius discußimus. Libet hic annotare & superioribus addere unius Augustini de hac re sententiam pro fide catholica multò grauiorẽ, q̃ contra eam sexcentorum Mennonum sexcenta mendacia. Qui epistola ad Bonifacium: Non illud, inquit, te moueat, quod quidã non ea fide ad baptismum percipiẽdum paruulos ferunt, ut gratia spirituali ad uitam regenerentur æternam, sed hoc eis putant remedio, temporalem retinere uel recipere sanitatem. Non enim propterea illi non regenerantur, q̃ non ab istis hac intentione offeruntur. Similiter & nos suprà docuimus ex Euangelio paruulorum oblatores ad Christum, non habuisse ueram de Christo fidem, qua credidissent eum esse animarum purgatorem, uiuificatorem atque seruatorem, Neque id obfuisse paruulis Christo tunc oblatis.

Baptisma administrãtiũ vel petentiũ p paruulis, malitia, non potest sacramentũ Christi reddere inefficax. 1. Cor. 3

Mat. 19 Luc. 18 Marc. 10

Quarta obiectio Mẽnonis, de cæremonijs baptismo additis.

Postremò obijcit & ridet nos Mẽno de cæremonijs baptismo festiuitatis gratia additis dicẽs: Sumunt sibi cum

eum omni audacia puerulũ iam recens natum, qui nec dum scit discrimen inter bonum & malum, sine uerbo et fide Christianum facere, non aliter quàm crucibus, exufflationibus, sale, oleo, chrismate, candelarum lumine, candidis peplis, inutilibus interrogationibus et responsionibus, exorcismo, baptismo, oblatione, atque alijs id genus abominationibus. Ecce autem, ò Christiane lector, quàm impolluto ore terræ filius iste audet totum mundum Christi cultorem pronunciare abominabilem non modò nunc esse, sed etiã iam inde ab Apostolis semper hactenus fuisse. Hæc enim quæ videt multis seculis inter omnes Christianos fuerunt in usu celeberrimo. Ita ut si Christus Iesus uerax sit dicẽdus, qui promiserat se adfuturũ suis Apostolis & eorum successoribus, non tantùm centũ aut ducẽtis annis, sed omnibus diebus usq; ad consummationem seculi, dubio procul oporteat nunc credere, neque quicq; dubitare, quin non modò hæ cæremoniæ, sed quæuis etiam aliæ hactenus multis seculis ubiq; gentium Christianarum concorditer usurpatæ, reuera sint piæ atq; diuinæ. Si enim hæ fuissent adulterinæ plãtationes, in uinea Domini, non tam firmas radices egissent Sap. 4. ut alibi latissimè ostendimus. Has itaq; cæremonias obseruat Ecclesia uel ad imitationẽ Christi exprimendã, uel ad mysticam significationẽ declarandam, & maioris festiuitatis atq; decoris gratia. Nã & Christus ipse insufflauit in Apostolos daturus eis spiritũ sanctũ Ioh. 20. quem tanẽ dare potuisset absq; insufflatione. Linuit lutum super oculos cæci, & iussit abire ut ablueret Io. 9. Misit digitos in auriculas surdi, et expuens tetigit linguã muti Marc. 7. Vsus est oleo apud ægrotos

Responsio

Mat. 28

Cæremonias baptismo adiunctas cur obseruat Ecclesia.

Marc.9 Marc.6. Iacob.5. dixitq; omnem uictimam sale condiendam. Hæc igitur & huiusmodi imitamur, non nostro arbitrio, sed usu Apostolico. Cur autē non omnia sui sponsi uestigia affectetur sponsa? An quicq; est ab ipso Christo factū, nobis autem possibile & non prohibitum, quod sit abominabile factu? Absit blasphemia, ò Menno. Cæterum non est consilium hic de huiusce modi cæremonijs longè latecq; disserere, quippe de quibus alij abundè scripserunt non modò recentiores aliquot, sed & ueteres. Nam si cui libet legere de exorcismo & exufflatione habet Rabanus de instit. clc. Et Augustinus de symb. lib. 1. Et Chrysostomus in homilia de Adam et Euà, ubi dicit: In uniuerso mundo obseruari ut non prius fontē uitæ ingrediātur baptizandi, q̄ exorcismis et exufflationibus clericorū spiritus ab eis immundus abigatur. Augustini autem uerba loco suprà citato sunt hæc: Sicut nostis, fratres charissimi, paruuli exufflantur & exorcisantur, ut pellatur ab eis diaboli potestas inimica, quæ decepit hominem ut possideret homines: non ergo creatura in infantibus exorcisatur aut exufflatur, sed ille, sub quo sunt, qui sub peccato nascūtur. Sic illi. Præterea de exorcismo habet Origenes in Ezechiel. homil. 6. Augustinus de fide & operibus cap. 6. & in sermone de sacramētis fidei. fer. 2. paschæ. De sale ait Rabanus de instit. cler. Datur ei sal benedictum in os, ut per sal typicum sapientiæ sale cōditus, fœtore carcat iniquitatis. De oleo habet Dionysius. Origines in Ezechiel. hom. 7. Et Ambrosius lib. 1. de sacramentis cap. 2. De chrismate habet item Dionysius. Tertullianus lib. 1. contra Martionē. & Ambrosius lib. de his qui initiantur

Exorcismus & exufflatio

Sal

Oleum

Chrisma

tur

tur myster.cap.6. de veste candida, aut (ut loquitur Menno) de albis peplis habet Dionysius. et Ambrosius lib.1.de his qui initiantur cap.7. De interrogationibus habet Dionysius, & Augustinus epistola.23. & alibi. De signo crucis habet Rabanus de instit. cler. De saliua nares & aures tangēte habet item Rabanus & Ambrosius de sacramentis.

Vestis candida.

Interrogationes.

Signū crucis

Saliua.

Sed huiusmodi patrum eruditissimorum pariter & Christianæ pietatis obseruantissimorū etiamsi uel sexcentos in mediū adferrem pro asserenda fide Christiana testes idoneos, tu præ te contemneres, sat scio, omnes, hæreticorum more, contra illud Prou.20. Qui maledicit patri suo & matri suæ, extinguetur lumen eius in medijs tenebris. A quibus enim Euangelium Christi, quasi per manus traditum accepimus, hi sunt parentes nostri in fide 1.Cor.4. Galat.4.

Hęretici cōtemnunt doctorū & patrū scripta contra scripturam. Eph.4

Sed contrà, si tu uel unius unicam dimidiatam sententiam ex toto aliquo uolumine rumpere posses pro te facientem, bone Deus, q̄ triumphares. Quemadmodum alibi facis, nactus scilicet concilium Carthaginēse seu Aphricanum, cui interfuit Cyprianus martyr, tua quidem opinione pro te faciens, sed reuera (ut alibi ostendimus) cōtra te pugnans. Quis non potius exibilet, & fustibus digniores putet q̄ disputatione, eos, qui quibus armis ipsi lubentes pugnarent, si modò haberent, eisdem alios pugnare prohibēt? Quid est hoc aliud q̄ ad puerilia crepūdia redire? Quemadmodum enim pueruli, si uictos sese ab eis, quibuscum ludendo certant, uiderint, tum demū reijciunt culpam in aduersarios, quòd illegitimè luserint, præscribentes eis ludendi rationem, qua scilicet putent se facilè superios

Hęretici q̄quid p se in mediū adducere possunt siue ex scriptura siue ex patribus, id vndecunq; conuerrunt, quantumuis falso & impio itellectu

res euasuros. Sic & Pseudochristiani, dicerem potius Antichristiani repuerascunt. Hactenus tamen obtemperauimus aduersarijs, eosq; legitimis armis prostrauimus, nisi quòd semel atq; iterũ humanis quoq; subsidijs diuina tamẽ ope suffultis, non necessitate coacti, & penuria sacræ scripturæ, sed occasione ab ipsis aduersarijs accepta, tanquàm cumulatissimo auctario, multum ponderis ad iustam scripturæ mensuram adferente, usi sumus.

Mẽno numerans baptismũ inter cæremonias baptismo addit as indoctũ & impium se manifestò declarat.

Præterea quòd baptismum annumerat Mẽno inter cæremonias non usq; adeò necessarias, quasi eiusdẽ sit momenti baptismus cum exufflatione, exorcismo, & reliquis, id pro more suo, & indoctè & impiè facit. Baptismus enim necessarius est & ratione præcepti, et ratione salutis à Domino per huiusmodi signũ hauriẽde, ut suprà abundè diximus, per quẽ non tam nos, quàm ipse Christus reuera intus cooperãs in sanguine suo per spiritum promissionis sanctũ nos efficit Christianos. Cætera autem nõ sunt ita necessaria, quin sine illis, si ita necessitas postulet, possimus fieri Christiani, sed maioris duntaxat, celebritatis gratia ad imitationem Christi, & significationem mysterij plenius exprimendam, adhibentur.

Mentiẽ Menno nos sine verbo baptizare.

Mẽtiẽquoq; nos sine fide baptizare, cũ aliena fides sit parunlis loco propriæ.

Postremò quòd dicit nos sine uerbo baptizare, id est apertum mendaciũ. Vtimur enim uerbo sanctificationis atq; consecrationis, et baptizamur in uerbo incarnato, quod tantò efficacius est uerbo solis auribus audito, et perperã intellecto, quanto Deus homine, et Christus Antichristo, ut in priori lib. dictũ est. Quòd rursus ait nos sine fide baptizare, id quatenus uerum est, & quatenus non obest, diximus etiam suprà.

De

De eo quod Rom.6 dicitur: Quicunque baptizati sumus in Christo Iesu, in morte ipsius baptizati sumus. Caput. X.

ertiò ex cap.6.ad Ro. probare nititur paruulos non baptizandos, eò q in baptismo commorimur & conresurgimus cũ Christo ad nouitatem uitæ, id quod putat nõ quadrare in paruulos. Nemo enim, inquit, po- Mennonis
test suas fœtidas & inhonestas concupiscentias, suam blasphemia.
illicitam carnalem & impiam uitam sepelire, & ad fortem, inculpatam atq; diuinã resurgere uitam, nisi qui tanquàm obedientes filij Dei ædificantur docẽtur atq; renouãtur per uerbũ Dei. Paulò pòst: Isti, inquit, prius baptizãt, q̃ ipse effectus baptismi, nempe fides in nobis inueniatur, perinde quasi quis equos retrò iũgat currui, seminet antequã arauit, ædificet antẽq̃ habeat ligna, & sigillet antequàm sint literæ scriptæ. Rursus alibi: Impoßibile est mori priusq̃ uixerimus. Quomodo ergo paruuli moriẽtur, et sepelientur peccatis, nisi peccatum sit in ipsis factum uiuum? aut quomodo in noua uita ambulabunt, nisi spiritu diuino per uerbũ Dei ducãtur in omnem iustitiã? Iste ergo locus debet applicari ijs, q prius peccatis uixerint, ac deinde mortui sint, et deinde rursus cũ Christo surrexerit. Sic ille. Quid est hoc aliud, q̃ si diceret: Faciamus Refutatio
mala, ut ueniant bona? Vult enim ut peccatum prius Rom.3
uixerit, quàm ueniamus ad baptismum Christi & salutem petamus. Siccine potest nemo uenire ad Christũ,

gratiam petiturus, nisi in quo prius uixerit peccatū? Siccine mater Christi, quā credimus præseruante gratia Dei, ab omni semper peccato fuisse immunē, nō poterat baptizari? neque Christus ipse. An uirgo mater peccare debebat, priusq; baptizaretur, & cum Christo moreretur? Absit blasphemia.

Nos uerò catholicā fidem uerè sectati, et non propria phantasmata et erroris deliramenta, credimus et docemus quòd baptismus nō semper sit mors peccati, quod prius in baptizando uixisset, uel manifestū fuisset, neq; semper sit resurrectio ad nouitatē uitæ, quæ statim manifestationē sui prodat, sed semper est figura et pticipatio mortis sepulturæ atq; resurrectionis Christi, quatenus earū participes esse possimus. Christus enim ipse (ut sæpe diximus, et sæpe necessariò repetimus, baptizatus est, non tamen mortuus peccato, quod in ipso uixisset. Similiter si uenisset Baptista ad Christum baptizandus, quēadmodum inquit: Ego à te debeo baptizari, et tu uenis ad me? nō fuisset mortuus peccato, quasi qui eò usq; in peccatis uixisset, neq; resurrexisset ad nouitatem uitæ, quasi qui hactenus iacuisset sepultus uetustate peccati. Fuerat enim in nouitate uitæ iā inde ab eo tēpore, quo spiritū sanctum primo acceperat, adhuc in utero matris immersus. Spiritus enim Ezech. 11. ideo nouus dicitur, q; is solus uitæ nouitatem adferat, siue occulta inspiratione Dei, siue per baptismum, siue per pœnitentiā aut manuum Apostolicarum impositionem, siue per uerbum Dei, etiamsi ea nouitas uitæ nondū appareat. Corpus enim quod corrumpitur aggrauat animam.

Quomodo baptism' sit mors & resurrectio.

Mat. 3

Luc. 1

Sap. 9

Quamuis itaq; in paruulis non ita uixerit peccatū,

ut

ut apertè operatum sit in membris ipsorum ad fructi- Rom.7
ficandum morti, quemadmodũ in adultis Rom.1. et quã-
uis paruuli non ita uideantur oculis hominũ resurge-
re ad nouitatem uitæ, ut statim exhibere possint mem Rom.6
bra sua seruire iustitiæ in sanctificationẽ, nihilo tamẽ
minus uerè moriuntur et resurgunt cum Christo, eò q; Paruuli moriuntur & resurgũt cum Christo.
peccatum quatenus in ipsis est, eatenus occiditur per
meritũ sanguinis Christi, et noua uita quatenus in ip-
sis esse potest, eatenus etiam per spiritum sanctum eis
ingeneratur. Viuebat aũt peccatũ in ipsis sic, ut etiãsi
nondum ipsorum sponte fructificarit ad mortem, reos
tamen mortis eos tenuerit. Resurgunt autẽ per spiri-
tum nouũ ita ad nouitatẽ uitæ, ut iam non uiuant ipsi
dũtaxat quasi caro, sed uiuat in ipsis spiritus Christi, 2.Pet.1
diuinæ naturæ consortes ipsos faciens, noũãq; in Chri- 2.Cor.5
sto creaturam, ut diximus suprà.

Deinde quòd ait Mẽno nos baptizare priusq; effe-
ctus baptismi nempe fides in paruulis inueniatur, idq; Deridiculũ est quod ait Menno nos baptizare, priusq; baptismi effectus fides in paruulis inueniatur.
putat esse absurdissimum. Ipse scilicet in hoc suam im-
piam prodit insciti am. Nam si fides est effectus bapti-
smi, cùm effectus non sit prior efficiente, sicut nec do-
mus prior ædificãte, nec creatura prior creatore, nec
filius prior patre genitore, nec hæresis atque blasphe-
mia Mennoniana prior Mennone, constat secundum
ipsius Mennonis sententiam, fidem non esse priorem
baptismo.

Vt autem scias, optime lector, fides uiua per spiri- An fides sit prior baptismo.
tum sanctum cordibus infusa, non est prior baptismo,
ut alibi diximus, iuxta illud Apostoli Coloss.2. fidem
baptismo postponentis atq; dicentis: Consepulti ei in
baptismo, in quo & resurrexistis per fidem. Si enim

per baptismum sepelimur, & per fidem resurgimus, cùm nemo resurgat anteq̃ mortuus fuerit, constat fidẽ uiuam non esse priorem baptismo. Quòd autem Cornelius Acto. 10. peculiari priuilegio ante baptismum accepisse uideatur per spiritum fidem, id non abrogat legem communem, quemadmodum neque una hyrundo, quod dicitur, facit uer, de quo posteà latius. Fides autem ex auditu uerbi nata ante baptismum, & ante spiritum sanctum in baptismo acceptum non est uiua neq; uiuifica, neque ea est paruulis uel ad salutem, uel ad baptismum necessaria, ut sæpe diximus.

Impia collatio Mẽnonis fidẽ ad baptismum conferentis sicut equos ad currum.

Atq; hinc patet ineptissimam esse comparationem Mennonis dicentis, quòd qui prius baptizant, quàm fides in nobis mueniatur, perinde faciant, atq; si quis equos retrò iungat currui &c. Non enim fides est conferenda ad baptismum sicut equi ad currum. Nam currus totam uim currẽdi accipit ab equis, Baptismus autem non accipit uim suam peccata abluendi à fide nostra, sed à Christo solo & spiritu eius. Prætereà equi plurimi nunq̃ trahunt currum. Fides autẽ adultorum, nisi ad baptismũ, si poßint, ueniant, mortua est.

Menno sibimetipsi contrarius.

Porro si fides se habet ad baptismum, sicut aratio ad seminationem, cùm ex sola aratione nihil generetur, nihil erescat, nihil uiuificetur, sed ex seminatione primò moriatur semen ac deinde resurgat, pullulet, excrescat & multum fructus adferat, constat ex ipsa Mennonis comparatione in baptismo fieri regenerationem filiorum Dei, quod alibi negauit: ita ut nunc quemadmodum per Caiphan prophetantẽ, sic & per Mennonem semel uera docentem quamuis nescium & inuitum, spiritus locutus uideatur. Constat prætereà,

Secũdę Mennonis cõparationis discussio de aratione & seminatione.

cùm

cùm aratio sit duntaxat propter seminationem necessaria, ita ut si terra sit dura & non capax seminis, nisi prius culta atq; proscissa, oporteat eam prius arare quàm semine imbuere, sin molliuscula & absq; aratione seminis capax, opus aratione non habeat, quòd cùm paruuli non sint ulla malitia aut obstinatione duri ac rebelles contra spiritum sanctum, sed ut baptismi, ita & remissionis peccatorum, & spiritus sancti, & salutis omniumq; ad salutẽ ipsis necessariorũ susceptiles, ut probauimus suprà, reuera sint iuxta comparationem Mennonicam baptizandi, & uiuifico salutis semine imbuendi prius quàm fidem doceantur, cum docere nequeant neque opus habeant.

Rursus si fides se habet ad baptismum, ut ligna ad ædificium, cùm ædificium & templum uiuum Dei non humanis manibus, neque ex lignis fiat, sed ex cordibus carnalibus, non lapideis, nec contra spiritum sanctum obstinatis aut rebellibus, sed ex spiritu promissionis sancto, sitq; baptismus Christi circuncisio non manufacta Coloss. 2. certum & manifestum euadit uel ex ipsa Mẽnonis collatione, sine lignis fidei spiritum sanctum in baptismo sibi ex paruulis ædificare habitaculum & templum uiuum, præsertim, ut sæpe diximus, cùm in ipsis nihil sit quod spiritum sanctum contristet atq; excludat, cuius gratia fides sit adhibẽda. Sed quid opus est his friuolis nugis, ex uertiginoso cerebro sine ulla scriptura profectis, tẽpus frustrà terere, & cum Mennone bonas horas malè collocare. Abeat ipse Hippocentaurus ac ualeat cum suis equis, & si uolet, currum suum agat, quo dignus est, neque posthac ullum dissidium in Ecclesia Dei quærat.

Tertia cõparatio Mẽnonis de lignis & ædificio discutitur.

De eo quod scriptum est Tit.3. Non ex operibus iustitiæ, quæ fecimus nos, sed secundum suam misericordiam saluos nos fecit per lauacrum regenerationis, &c.

Caput XI.

Menno

Vertò contra pædobaptismam sumit argumentum ex tertio eius capite ad Tit. dicens: Quia baptismus est lauacrum regenerationis, non possunt baptizari, nisi qui prius renati et renouati fuerint ex uerbo Dei. Non enim renascimur quia baptizamur, sed baptizamur, quia renati sumus &c. Alibi: Nam regeneratio est ex infidelitate in fidē, ex malo in bonū, ex carnali in spirituale, ex terreno in cæleste, ex iniusto in iustum conuersio. Quis unq; hæc in paruulis inuenit? Huiusmodi est uera regeneratio, quæ est ex auditu uerbi Ro.10. 1.Pet.1. Iac.1. 1.Cor.4. sine qua nemo intrabit regnū cælorum Iohan.3. Imò etiamsi ab ipso Christo foris baptizatus esses, nihil prodesset, nisi in spiritu et igni baptizatus esses, teste Apost. Gal. 6. Neq; circumcisio aliquid uaslet neq; præpucium, sed noua creatura. Hactenus ille.

Responsio catholica.

Ad hæc respondemus abundè superiori libro. Hic tamen aliquid adijciemus, ut lectoris memoriā refricemus. Primò ex te rogo, ò Menno, qua fronte nūc audeas dicere, neminē posse intrare regnū cælorum, sine tali regeneratione, quæ ex auditu uerbi sit, cùm tamē ipse doceas ex Euangelio, Paruulorum quoq; esse regnum cælorum, quippe eorum, ut ex eodem Euangelij loco ostendimus, qui ad Christum ueniāt, & ad eum uenire

Menno sibi plenissimè & pessimè contrarius.

Mat.19

non

non prohibeantur? At si huiusmodi dicta tua uis intelligenda de solis adultis, ut eorum nemo sine regeneratione, quæ ex auditu uerbi fiat, ingressurus sit regnũ cælorum, quorsum igitur huiusceomodi dictis contra paruulos abuteris, quæ ipse fateris nihil facere contra eos, nisi ut simplicibus fucum facias, & des uerba melle quidem foris oblita, sed intus ueneno plenissima? utq; & te & tuos auditores astutè labefactes atque peruertas?

Porro si nemo potest baptizari, nisi sit prius ita regeneratus, quemadmodũ tu loqueris, hoc est ex infidelitate in fidẽ, ex malo in bonũ, deniq; ex carnali in spirituale cõuersus, ergo secundũ te Christus ipse nõ debuit baptizari. Sed Christus ritè est baptizatus, quantũuis sexcenti Mẽnones steutoreis faucibus reclamẽt, non tamẽ anteà ita regeneratus, ut tu accipis regenerationẽ et necessariã putas, possunt igitur atq; debẽt baptizari, ut fiant Christiani, nõ modò qui ita sunt ex uerbo Dei audito regenerati, sed etiã quibus necdum necessariũ est, sic regenerari, nimirũ in quibus non est infidelitas, non est malitia, non est carnalis et terrenus affectus, deniq; non est iniustitia, per quã ex arbitrio propriæ uolũtatis spiritui sancto resistant, præsertim quos cõstat fructus baptismalis secũdum suã mensurã esse capaces, quẽadmodũ suprà ostẽdimus de paruulis

Ex Mẽnonianis dictis sequitur Christum nõ esse baptizatum Neq; matrẽ virginem potuisse baptizari.

Rursus si baptismus in aqua sola non sufficit, etiam si ab ipso Christo foris baptizatus sis, sed oportet ut baptizemur etiam in spiritu sancto & igni, ergo paruuli sunt baptismo Christi sine dubio baptizandi. Is enim baptismus non fit in aqua sola, sed in spiritu sancto, ab ipso Christo intus operante Iohan. 3. Matth. 3. Marc. 1.

Oportet baptizari non sola aqua, sed etiã spiritu sancto & igni.

Marc.1.Luc 3.ut suprà docuimus.Cuius nimirũ ignis atq; spiritus sunt paruuli magis capaces, quàm quidẽ adulti,cò quòd in grandioribus ex propriæ uoluntatis malitia potest esse obstaculũ spiritui sancto Act.8. sed non in paruulis Luc.1.& 18.Matth.18.& 19.

Vt baptismꝰ in sola aqua non sufficit, ita nec verbũ Dei ex solo auditu.

Cæterum quemadmodum tu inquis quòd baptismus in aqua sola non sufficit,etiam si ab ipso Christo foris baptizati simus,nisi etiam intus spiritu sancto et igni baptizemur. Ita & nos dicimus,quòd auditus uerbi Dei multò minus sufficit,etiãsi cum Pharisæis ab ipso Christo uerbum eius audieris,sed quod oportet,ut ipsum uerbũ caro factum cum spiritu sancto sese in animã tuã transfundat,eam inhabitet,uiuificet atq; regeneret.Quòd quia sine auditu uerbi externi effectum scimus in Baptista,credimus similiter per baptismum & in paruulis nostris fieri. Nam si in Christo ualet noua creatura,ut reuera ualet,cùm constet Pharisæos ex auditu uerbi non esse factos nouos,neque ipsos palimbaptistas ex litera uerbi uel audita uel lecta esse nouos quippe quorum multos multò peiores & scelleratiores euasisse apertissimum est,postquàm ex hoc turbulentissimo mari baptismatis secundi tanquàm bestiæ septicipites & decacerotes ascendissent; cumq; paruuli etiã in Christo esse possint & fieri noua creatura(nã si quis est in Christo,noua creatura est)cumq; baptismus sit lauacrũ regenerationis et renouationis, hoc est,regenerans & renouãs per spiritum sanctum, qui in baptismo datur, manifestissimum est, paruulos omnino baptizandos, & in baptismo fieri in Christo nouas creaturas,per solum autẽ uerbum auditum sine baptismo neminem esse nouam creaturã, nisi propter impos-

Ioha.1

Luc.1

2.Cor.5

Apoc.13

2.Cor.15

Tit.2

impoßibilitatem baptiſmi fluminis, eius uicem & uim obtineat uel flaminis uel ſanguinis baptiſmus, de quibus alibi diſſeruimus latè. Quemadmodum enim per Euangelium ſalutis in ſcriptura intelligimus ſaluificum & ſalutare, per ſpem ſalutis, ſpem ſalutarem & ſaluos facientẽ: per patrem miſericordiarũ & Deum totius conſolationis, non modo patrem naturæ miſericordem, ſed qui miſericordiam nobis præſtat, & conſolatur nos in omni tribulatione noſtra. Sic & per lauacrum regenerationis & renouationis intelligimus lauacrum regenerans & renouans. Nam præceßit quòd Deus nos ſaluos fecit per lauacrum. Et multò adhuc apertius dixit Petrus quòd nos ſaluos faciat baptiſma, non quidem uirtute lotionis externæ, ſed per ſpiritum ſanctum, ut priori libro docuimus. Eph.1 1.Theſſ.5 2.Cor.1 Tit.3

De eo quod dicitur Gal.3. Omnes filij Dei eſtis per fidem. Quicunq; enim in Chriſto baptizati eſtis, Chriſtum induiſtis. Et an paruuli poſsint induere Chriſtum.

Caput XII.

Vntò ex Gal.3. ſumit argumentum contra paruulos, & ait: Vera iuſtitia in nulla alia re, q̃ in recta, forti, & frugifera fide eſt ſita. Fides enim uera non poteſt eſſe ſine fructu (niſi in ijs, qui ſpiritũ ſanctum contriſtãt) ſed tradit ſe liberè in omnẽ obedientiã. Iccirco fides uera, quæ eſt plena iuſtitia Ro.3. & 5. eſt mater omnium Menno

Non qui semel induit Christum, is semper manet indutus Christo.

3. Reg. 19

Dei plenus, eo tandem dementiæ uenit, ut & alienigenas contra præceptum Dei amarit, & idola ipsarum adorarit, an propterea Dei spiritus erat in eo fornicarius, et idololatra, quē habuerat? Absit. Nam quemadmodum in Israel tempore Heliæ non nisi septem milia erant reliqua, quæ non curuarāt genua ante Baal. Reliqui autem omnes, qui prius per circuncisionem pacti diuini et promissionis æternæ participes fuerāt facti, habuerantq; spiritum Dei, iam desierant esse inter amicos Dei, ac spiritum habere iustificantem, euaserantq; in impios idololatras. Sic etiam quàmuis paruulorum nostrorum nōnulli iam grandiores facti, uel per iniuriam & negligentiam parentum, uel per carnis suæ remissam & laxam pronitatē, in omne peccatum sensim prolabantur, & spiritū sanctum rursus à se expellant, id non arguit eos nunquàm fuisse Dei filios, neque unquàm habuisse spiritum iustificantem, hoc est, Christum nunquàm induisse, neque id arguit Christum ipsum esse uel infidelē, uel ambitiosum, uel ebrioſum, cùm in ipsis iam esse desierit. Neque id cogit nos, ut eos statim omnes, qui ita degenerant à pietate Christiana, extra Ecclesiam Dei eijcianus, et non amplius Christianos agnoscamus.

Mat. 13

Nam zizania uult Dominus ut permittamus crescere cum tritico usque ad messem, nimirū ea quæ non possent eradicari, sine calamitate et detrimento tritici. Nam quæ crescendo opprimunt triticum, ea sunt extirpanda, ut sunt hæretici, schismatici, & aliæ id genus communitatis Christianæ pestes.

Sed Absit, ò Mēno, ut fateamur omnes prorsus esse tales, postquàm ad annos pubertatis uenerint, aut uis rilem

rilem togã sumpserimt, quali colore tu eos depingis.

Quemadmodum itaque uix ullum est membrum in paruulis, quod suo officio ritè fungatur, neque enim pes ambulat, neq; lingua loquitur, quin et ipsa eorum mẽbra nisi humano auxilio & artificio cõstituantur, atq; regantur, nunq; possent ad plenum suis muneribus facere satis, quãuis nihilo minus reuera sit in ipsis spiritus uitalis, ad naturales totius corporis operationis datus. Ita etiam quamuis sit in ipsis spiritus iustificãs, per quem & uiuant in Christo, nõdum tamen possunt secundum eum operari, nisi posteà humano adminiculo erudiantur, ut alibi diximus.

Vt spiritus vitalis ĩ paruulis nondũ potest suo officio ad plenũ fungi, sic & spiritus iustificans.

Cæterum de fide aliquid obiter adijciamus, de qua Mẽno non satis catholicè loquitur. Quomodo autem ais, ò Menno, ueram iustitiam in nulla alia re, quàm in fide uera & frugifera esse sitam? & (quod peius est) ueram fidem, esse plenam iustitiam, cum fatearis ipse ueram fidem posse in contristantibus spiritum sanctum esse? Tanto nimirum odio flagras Ecclesiæ Christianæ pædobaptisma asserentis, ut ei contradicendi furibundo studio excæcatus non uideas te in tuum ipsius gladium ruere, tibiq; laqueum suspendio nectere. Si enim qui contristant spiritum sanctum, uel te iudice ueram possunt habere fidem, quemadmodum reuera possunt, certum est ueram fidem non esse plenam iustitiã, præsertim cum loquaris de fide ex auditu uerbi nata, qualis est ante baptismum, ut uidelicet paruulos excludas à iustitia. Quæ est rursus tui ipsius horrenda contradictio. Si enim non sunt iustitiæ participes, quomodo salutis? Sed uideamus quomodo sit in nobis uera iustitia, & quomodo paruuli eius participes esse queant,

Menno sibi contrarius.

Vera fides potest esse in contristantibus spiritũ, ergo vera fides non est plena iustitia.

breuibus tamen uerbis, ne iterũ in nouã eamq; amplam disputationis arenã descendamus, & eandẽ cãtilenam nimio cũ tædio iterũ atq; iterũ lectoribus occinamus.

Vera autem iustitia in nobis esse non potest, nisi secundum exemplar quod nobis in monte monstratum est. Exod. 25. hoc est secundum Iesum Christũ salutis nostræ authorem, cuius iustitiæ participatio est nobis uera iustitia. Rom. 4. In Christo enim solo est uera et perfecta iustitia, in nobis uerò quædã eius participatio. Nostra igitur uera iustitia non potest rectè intelligi, nisi quodam modo et intelligamus quomodo uera iustitia fuerit in Christo, ex qua fluxit nostra, cũ qua & similitudinem quandam habet.

Christi humanitasquo modo & fit & euaserit iusta.

Christus ut Deus, & æterni patris filius æternus, assumpsit humanitatem, eamq; fecit suæ diuinæ iustitiæ participem, in unitate suppositi, sine ullo humanitatis suæ uel opere bono uel merito præuio, ita ut homo fieret non modò iustus, sed & Deus, non ex hominis merito præcedente, sed ex Dei infinita misericordia & gratia immensa præueniente. Postquàm autem eius humanitas esset assumpta, et ex sola Dei gratia sine suis operibus præuijs iusta, iam tum pergebat Christus homo esse iustus, & diuinitatis cooperantis inhabitatione, & propria iustitiæ operatione: iuxta illud, Pater in me manens ipse facit opera. Et Deus erat in Christo mundum reconcilians sibi.

Iohan. 14
2. Cor. 5

Veraiustitia Christi vt hominis. Coloss. 2

Patet itaque quòd uera iustitia Christi ut hominis, fuerit & orta & sita in plenitudine diuinitatis in ipso corporaliter inhabitans, & eius humanitate gratiarum plenitudine absoluta, quasi merendi et redimendi generis humani instrumento ad omnem iusti-

tiam

tiam implendam utentis: ita ut ipse Christus fuerit re Rom.3
uera & iustus, non modò quando pendebat in cruce,
sed etiam quando uagiebat in cunis, & iustificans eos
qui ad se ueniunt & non prohibentur ad se uenire. Mat.19

Humana igitur natura Christi duplici ratione in-
telligitur iusta. Vna secundum quam per spiritum
sanctum plenissimè inhabitantem, accepit diuinitus
absolutam & perfectam iustitiam, sine sua operatio-
ne. Altera, per quam & ipsa, sub persona uerbi, ope-
ratur iustitiam reconciliationis & redemptionis hu-
manæ, non sine cooperatione diuinitatis inhabitantis.

Duplex est ratio iustitiæ Christi vt hominis.

Ad hoc autem ueræ & absolutæ iustitiæ exem-
plar nostra iustitia ex parte aliqua est expendenda
atque æstimanda, non tamen quasi ad æqualem simili-
tudinis amussim. Christi enim humanitas non ex iniu-
sta primùm facta est iusta, quemadmodum nos ex in-
iustis primò reddimur iusti, sed ut incepit esse, quæ
prius non erat, ita etiam incepit iusta esse, quæ prius
neque iusta neque iniusta erat. Rursus non quem-
admodũ eius iustitia propter deitatis personam ope-
ratricem, ita & nostra, est & plenissima, & plenissi-
mè pro toto mundo meritoria, & totius iustitiæ hu-
manæ efficacissima author. Neq; quemadmodũ nostra
in nobis, ita & eius iustitia in ipso, uel rursus in nihi-
lum abire, uel indies crescere potuit, quanquàm iusti-
tiæ eius manifestationem sensim creuisse fateamur ad
utilitatem Ecclesiæ, quæ est corpus ipsius, & plenitu Luc.2
do eius. Ab ineunte enim conceptionis tempore, si mo
dò Christum rectè agnoscimus, absolutam cum iusti- Iohan.1
tiæ plenitudinem in se habuisse, de qua nos omnes ac-
ciperemus gratiam pro gratia, credamus oportet.

Nostra iusti tia quam ha beat & simi- litudinem & dissimilitu- dinẽ cũ iusti tia Christi.

Licet autem (ut nunc ex parte diximus) iustitia Christi multis modis à nostra discrepet, multisq; paras sangis (ut dicitur) nostrã à tergo relinquat: hactenus tamẽ eius iustitiæ respõdeat nostra oportet, ut quod ipse de sese fatetur dicens: Nõ possũ ego à meipso facere quicquã. Et pater in me manẽs, ipse facit opera, idipsum & nos de nobis, si qua sint in nobis bona opera, fateamur, utq; à quo & per quem, Christus ut homo, factus est primò iustus, ab eodẽ et nos primò fieri iustos, & per eundem confiteamur.

Iohan. 5
Iohan. 14

Similitudo nostræ cum Christi iustitia.

Quemadmodum igitur Christi hominis (nam de diuinitatis eius iustitia non loquor) iustitiam diximus duplicem habere rationem, Alteram, quòd sit ei diuinitus per spiritum sanctum inhabitantem data & infusa. Alterã, quòd per eam sit nostræ salutis & redẽptionis meritorius author. Ita etiã præmonitos uolo lectores, ut si de nostra iustitia rectè loqui, & non labi, errare, nescire & decipi uolunt, animaduertant iustitiam nostram duplicem quoq; habere rationem, aut si mauis duplicem esse. Alteram qua primò efficimur iusti, & Deo grati per Christum, quam & primam iustitiam uocites licet. Alteram uerò, qua postquã fuerimus iusti coram Deo, & à Deo facti, pergimus, non quemadmodum Christus pro peccatoribus alijs salutem mereri, sed ipsi indies fieri iustiores, quemadmodum alibi diximus de iustificatione duplici.

Nostra iustitia duplex

Primam autem iustitiam à solo Deo consequimur, sine merito operum nostrorum, ablata duntaxat per fidem, pœnitentiam, ut melioris uitæ propositum animi nostri rebellione, malitia, & ignorantia spiritui sancto contraria, si qua sit in nobis. Hæc autem iustitia

Prima iustitia.

est

est sita in remissione peccatorum, & spiritus sancti acceptione. Quæ nõ cõmunicatur adultis sine præuia fide, pœnitẽtia & obedientia ut diximus. Paruulis autem datur sine præuia fide, secundum quam profectò iustitiam per inhabitantem spiritum in ipsis, & iusti sint, & iustitiæ Christi atq; salutis participes, cùm in ipsis neq; sit, neq; fuerit, neq; dum esse possit ulla res bellio, ut sæpè diximus, quæ spiritũ iustificantẽ excludat, ut patet in Baptista Iohanne, Luc. primo.

Secundam iustitiam ipsi, postquàm sine meritis nostris per spiritum sanctum fuerimus iustificati in merito Christi, nostris operibus ex fide & charitate factis, non sine eiusdem spiritus sancti inhabitantis cooperatione efficimus, iuxta sententiam diui Iohannis, cùm ait: Qui facit iustitiam iustus est, sicut & ille iustus est. Et alibi: Qui iustus est, iustificetur adhuc. Sed hæc non spectat ad paruulos, cùm sit ipsis necdum possibilis, necdum necessaria.

Secunda iustitia.

Apoc. 22

Nostra igitur iustitia uera, iuxta exemplar nobis in monte monstratum, neq; ex ulla alia re orta, neq; in ulla alia re sita est, quàm in spiritu sancto cordibus nostris per meritum Christi infuso, nos mundante, regenerante, & uiua Dei templa efficiente, nosq; inhabitante, & in nobis operante quæcunq; ad nostram salutem spectent, secundũ mensuram uniuscuiusq;: ita ut Iohannes Baptista, accepto spiritu, priusquàm esset natus, iam tum reuera fuerit iustus, & iustitiæ Christi per spiritum inhabitantem particeps.

Vera iustitia nostra ad exemplar imõ te mõstratũ æstimanda.

Hic autem spiritus sanctus iustificans licet non detur adultis, nisi anteà credentibus, non tamen propterea in sola fide adultorum, debet dici sita esse uera iu-

Blasphemũ est dicere q̃ sola fide sit vera iustitia

stitia ipsorum, ut Menno blasphemat. Nam & spiraculum uitæ humanæ, seu spiritus uitalis, non datur nisi corpus humanum habentibus, at non propterea uera hominis uita in solo corpore est sita, sed potius in anima seu spiritu uitali, ut per quem præsentem corpus uiuit, & quo absente corpus denuò est mortuum, ex sese uidelicet nullam uitam habens, sed ex participatione animæ.

Fides habet analogiã cũ corpore.

Quemadmodũ autem corpus & anima sese habent ad uitam naturalem hominis, ita fides & charitas seu spiritus sanctus sese habent ad uitam spiritualem, seu ad ueram & plenã iustitiam hominis. Teste Iacobo 2. cùm inquit: Sicut corpus sine spiritu mortuum est, ita & fides sine operibus mortua est. Intelligit autẽ opera per charitatem in spiritu sancto facta, & nõ opera quantumuis in speciem bona ab infidelibus aut impijs facta, quasi dicat: Sicut corpus sine spiritu uitali, ita & fides sine spiritu sancto & charitate mortua est. Nam sine charitate potest esse uera quidem fides, sed non uiua neq; uiuifica, sicut & corpus sine anima uerum quidem est corpus, sed non uiuum.

Charitas est vita fidei, & viuifica mater omnium virtutum.

Charitas enim per spiritum sanctum diffusa in cordibus nostris est uita fidei, estq; uiuificamater omnium uirtutum Christianarum, estq; & fide et alijs omnibus uirtutibus dignior nobilior atq; diuinior, sine qua nis mirum neq; fides neq; spes neq; prophetia neq; scientia omnium mysteriorũ, neq; eleemosynæ uel uberrimæ, imò neque sanguis grauissima morte quasi pro Christi nomine effusus ad salutẽ profuerit 1. Cor. 13. Nam charitas si uera sit nõ potest separari à spiritu sancto, ita ut ubicunq; sit spiritus, ibidem etiam sit charitas per

spiritum

spiritum infusa, secũdum mensuram et possibilitatem uniuscuiusq; operatrix, et tãsi uel dormiamus cũ Christo super ceruical in puppi, uel cum eodẽ adhuc in cunis uagiamus, neque dum possimus ullos ostendere fructus, quanq̃ inter nos & Christum uagientem sit multum discriminis, secundum rationem superius dictam.

Fides itaque, quæ quantumuis uera potest esse sine charitate, & ideo sine spiritu sancto, quippe in eos tristantibus spiritum sanctum, ut et ipse Mennore cte fatetur, quæ & sine spiritu nondum est uiua neq; uiuifica, ut sit uiua, & salutaris, id non ex se, sed ex charitate per spiritum sanctum cordibus infusa habeat oportet. Ipsa igitur fides generatione quidem est prima, & quasi mater uirtutum Christianarum, sicut & semen hominis, sed non perfectione & salutis contributione. Id enim est charitatis officium.

Fides vera potest esse sine charitate, sine spiritu sancto et sine salute, ergo in fide vera nõ est plena iustitia.

Hoc autem decepit quosdã de fide loquentes, quòd non aduertunt fidem accipi sicut & corpus dupliciter. Quemadmodum enim corpus aliquando accipitur pro carne sola, eaq; mortua, & spiritu uitali destituta, dicente scriptura: Rogauit Pilatum Ioseph ab Arimathæa ut tolleret corpus Iesu. Rursus, Discipuli eius (scilicet Iohannis iam decollati) uenerunt & tulerũt corpus eius, et posuerunt illud in monumẽto. Aliquando pro corpore uiuo, hoc est, pro carne et anima simul naturaliter et uitaliter unitis, ut ibi Stigmata Domini Iesu Christi in corpore meo porto. Et castigo corpus meum, & in seruitutem redigo.

Fides instar corporis accipitur dupliciter.

Mat.27

Marc.6

Gal.6

1.Cor.9

Ita & fides aliquando accipitur pro fide uera quidem, sed mortua, & sine charitate & sine spiritu promissionis sancto, salutis datore. 1.Corinthiorum 13.

& Iacob.2. Aliquando pro fide uiua, et per charitatẽ formata, insignita atq; uiuificata, hoc est, pro fide & charitate simul coniunctis in spiritu sancto, ut Io.3.5. 6.7.8.9.10.11.12.14. Ro.3.5. Gal.3. & alibi sæpè.

Rom.5 Si itaq; quando dicimur ex fide aut per fidem iusti ficati, id de fide sola, quæ est mortua ceperis, intelligas oportet eodem modo, quo dicitur homo ex semine na tus humano aut ex carne. Non enim semẽ aut caro est uita hominis nati. Sin ex fide uiua, quæ habeat coniun ctam sibi charitatem, acceperis nos iustificatos, id eo dem modo intelligas oportet, quo dicitur homo ex carne & spiritu uitali natus.

Quomodo salus tribuitur fidei. Constat itaq; quòd quando benedictio, salus, & uita æterna fidei tribuitur, id non fit gratia fidei, nec que gratia nostrorum operum quasi ex nobis, sed ratione charitatis eum spiritu sancto infusæ, & fidem per spiritum uiuificantis, quippe quæ, si uera sit, sine spiritu sancto esse non possit.

Mẽtit Mẽno dicẽs veram fidẽ esse plenã iustitiam contra Apostolum. Iustitia secũ dũ Apostolũ est ex fide. Constat præterea mendacissimum esse somnium, dicẽs potius, delyrium Mẽnonis, dicentis quasi ex Apostolo Ro.3. & 5. ueram fidem esse plenam iustitiam. Neq; enim id Apostolus unq̃ dixit, alioqui sibimetipsi contrarius, cùm doceat 1.Cor.13. fidem sine charitate non esse saluificam, ac proinde neq; plenam esse iustitiam. Cæterum ad Rom.3. & 5. docet q̃ iustitia sit ex fide. Inde autẽ non est consectariũ, ut Mẽno perperam credit, q̃ fides sit plena iustitia. Nam ex semine est generatio hominis, non tamen ipsum semen est plena generatio. Sed hæc omnia, ò Mẽno, quid efficiunt contra paruulos. Nos suprà ostendimus paruulos baptizatos uerè esse fideles per spiritum sanctũ ipsos inhabitantem

Mẽno nihil facit contra pedobaptismã.

bitantem, sed nõdum per manifestationẽ spiritus ipsis neq; posibilẽ neq; necessariã. Et ignorationem fidei ipsis nõ obesse, quominus utiliter et posint et debeãt baptizari, ipsosq; baptismi fructus reuera esse capaces. Quæ tu igitur adfers potissimũ de adultis dicta, et perperã per te intellecta, nõ magis prohibẽt pædobaptisma, q̃ si dicas paruulorũ salutẽ esse nullã, ex eo q̃ nõ diligãt ex toto corde Deũ, et proximos sicut seipsos. Quẽadmodũ igitur sine semine humano natus est Christus, solo spiritu sancto ex carne uirginis carnem Christi mirabiliter ædificãte, ut sic filius hominis esset filius Dei, & contrà filius Dei esset filius hominis: sicut quemadmodum Christi humanitas, sine ulla præuia uel operatione uel cogitatione humanitatis, facta est iusta & uerbo Dei, in unitatem personæ unita. Ita & paruuli regenerantur & nascuntur Christiani, & filij Dei ac iusti, sine semine fidei ex humano auditu acceptæ, sed mirabiliter operante spiritu sancto per baptismum in sanguine Christi, & sibi tẽplã uiua ædificãte, nõ sine uerbo Dei incarnato adminiculãte, neq; sine uerbo sanctificatiõis et cõsecratiõis, ut alibi diximus. Epilogus cũ conclusione

Sextę obiectionis Mennonianæ breuis solutio. Cap. XIII.

SExto argumento, quod sumpsit Mẽno ex 1. Cor. 12. ubi dicitur, quòd in uno spiritu omnes nos in unũ corpus baptizati simus, & omnes in uno spiritu potati. Vnde putat Menno atq; blasphemat eum paruuli non recipiant Mẽdax blasphemia Mẽnonis.

(ut ipse uult) spiritum sanctum, eò quòd nullos fructus in spiritu edere possint, propterea eos non posse in uno spiritu in unum corpus baptizari, neq; in uno spiritu potari, nos suprà abundè satisfecimus, ubi ostendimus mendacissimam esse blasphemiam paruulos non accipere spiritum sanctum.

Deus est in omnibus rebus, in quibuscunque operatur quippiã.

Hic tamen adijciẽdum arbitror, spiritum uidelicet sanctum, seu Deum esse non modò in sanctis et pijs hominibus, quibus dat sanctitatẽ & pietatem, sed etiam in impijs, quibus inspirat uitam, & quicquid boni sit in ipsis, imò & in omnibus rebus, in quibuscunq; quippiam operatur. Vbicunq; enim Deus uim suam et operationẽ aliquam exercet, ibidem nimirum et est. Neq; potest Deus ullis locis uel excludi uel cõcludi. Cuius esse, est ubiq; incõprehensibiliter esse, neq; usquàm eapi aut contineri, dicente scriptura: Quò ibo à spiritu tuo? & quò à facie tua fugiam? Si ascẽdero in cælum, tu illic es: si descẽdero ad infernum, ades. Si sumpsero pennas meas diluculo, & habitauero in extremis maris. Etenim illuc manus tua deducet me, et tenebit me dextera tua. Et cùm prius dixisset Salomon, Ego ædificaui domũ nomini eius, ut habitaret ibi in perpetuũ, posteà subdit: Ergo ne credibile est, q. habitet Deus cũ hominibus super terrã? Si cælum et cæli cælorum non te capiunt, quanto minus domus ista, quam ædificaui? quasi diceret: Habitat quidẽ Deus cum hominibus super terram, iuxta propheticũ oraculum: Bonas facite uias uestras, et studia uestra, et habitabo uobiscũ in loco isto, sed nõ ita, ut ullo loco capiatur et cõcludatur.

Psal. 138

2. Paral. 6

Hier. 7

Quomodo fit Deus in oibus creatis

Quæ igitur sunt, ea habent in se Deũ suæ essentiæ & datorem et assiduum conseruatorem. Quæ uigent

&

& crescunt, ea habent in se Deum suæ uiriditatis, sui uigoris & incrementi authorẽ. Quæ sentiunt, ea non sine præsente diuino numine sentiũt. Quæ intelligũt, ea & Deum præsentem habeant necesse est, si non sanctitatis & salutis: at uitæ naturalis, sensuum, rationis & memoriæ, omniumq; expetẽdorum aspiratorem, ac largitorẽ, & iuxta ethnicum poëtam Διὸς ἐκ πάντα, quippe quem et ipse Apostolus asserit non longè esse ab unoquoq; nostrum, siue quæramus eum & inueniamus, siue non. In ipso enim (ait Athenienſibus) uiuimus, & mouemur & sumus, sicut et quidã uestrorum poëtarum dixerunt: Ipsius & genus sumus. Vnde Homerus Iliad. 3. παρὰ γὰρ θεοί εἰσιν ἡμῖν. id est, adsunt numina nobis. Menand. πάντη γάρ ἐστι πάντα τε βλέπει θεός. Nimirũ ubiq; est, cuncta quoq; uidet Deus. Et Vergilius noster: Ab Ioue principiũ Musæ, Iouis omnia plena. quod perinde est atque si dixisset: A Deo principiũ sapiẽtiæ, Dei sunt omnia plena, iuxta prophetã, apud quẽ ait dominus: Cælũ et terrã ego impleo. Vt igitur paucis absoluã, spiritus Dei, qui & in principio ferebatur super aquas, in malis quoq; hominibus et impijs est quidẽ, cæterũ non quẽadmodũ in iustis et pijs, iustitiæ pietatis et sanctitatis, sed uitæ duntaxat et sanitatis ac cæterorũ naturaliũ donorum largitione. Quis enim tam impius qui non aliquando uel cogitet uel dicat: Dominus Iesus, aut aliquid aliud in se & bonum & honestum & præclarum, quale est id Valerij Maximi, Lento quidem gradu ad uindictam sui diuina procedit ira, sed tarditatem supplicij grauitate cõpensat: aut illud Ciceronis ex Stoica philosophia depromptum: Mors terribilis est his, quorum

Act. 17

Hier. 23

Spiritus seu Deꝰ est in impijs, non nisi naturaliũ donorum largitione.

Valerius Maximus lib. 1. cap. 2

Cicero paradoxo secũdo

quorum eum uita, omnia extinguuntur, non his quorũ laus emori non potest? Quis uerò uel tantillum boni facere potest, ut dicat Dominus Iesus, nisi in spiritu sancto, cùm tamen aiat Dominus: Non omnis qui dicit mihi, Domine Domine, intrabit in regnum cælorum?

1. Cor. 12
Mat. 7

Impij nõ habent spiritũ sanctũ, qui eos sanctificet

Quando igitur dicimus secundum scripturam impios non habere spiritum sanctum, id intelligimus, non quasi nullo modo ac nulla operatione sit Deus in ipsis sed quòd non sit in eis iustitiæ, sanctimoniæ ac salutis effectione. Quando præterea ex iniustis diuina efficientia reddimur iusti, & quãdo dicimur accipere spiritum sanctum, quem prius dicebamur non habere, id nequaquàm intelligimus, quasi spiritus anteà fuisset à nobis locorum intercapedine dissitus, & nulla operationis præsentia uicimus, nunc autem primùm sese in animas nostras transfundat, perinde atq; si amicus quispiam ex longinqua regione ad me uisendũ ueniat, et à me excipiatur, quem prius nullo modo præsentem habuerim. Sed quia quem spiritum prius quidẽ adhuc iniusti habebamus, sine salutis effectu, eundẽ nunc habere incipimus secundum gratiam & salutem, quam in nobis operetur.

Quomodo paruuli dicãtur accipere spiritũ sanctum.
Act. 17
Heb. 4

Qui igitur dicit paruulos accipere spiritum sanctum, cùm sciat Deum dare omnibus & magnis & pusillis, pijs & impijs uitam & inspirationem & omnia, nec esse longè à quoquam, sed penetrabiliorem esse omni gladio ancipiti, & pertingere usq; ad diuisionẽ animæ ac spiritus, compagum quoque ac medullarum, neq; ullam esse creaturam inuisibilẽ in conspectu eius, is nimirum affirmat non modò quod spiritus in paruulis, ea quæ ad naturalem spectent uitã, sed etiam quòd

quæ

quæ ad æternam pertineant salutem operetur, secundum rationem & mensuram ipsorum.

Qui uerò negat paruulos accipere spiritum sanctum, is uel blasphemat Deum in paruulis nullo modo esse, ac proinde contra scripturā non ubiq; esse, quod ne gentes quidem Deum ignorātes dixerint, uel si credat Deum in pusillis ut in omnibus rebus secundum naturæ effectionem atq; conseruationē quidem esse, negat eum in paruulis ullam salutis operationem efficere. Quid est hoc aliud, quàm contra scripturam blasphemare paruulos non esse ullo modo salutis æternæ capaces?

Qui negant paruulos accipere spiritū, ij sunt impijs gētibus blasphemiores.

De eo quod Act. 8. dicitur: Et ait Eunuchus Ecce aqua, quid prohibet me baptizari? dixit autem Philippus: Si credis ex toto corde, licet. Caput. XIIII.

Eptimum sumit argumētum ex Acto. 8. de Philippo & Eunucho, & ait: Nemo quantumuis doctus hoc nobis ueri bū per gratiam Dei eripiet, quod diximus nō posse dari baptisma, ubi non sit fides. Alioqui dicere debemus primò quòd Christus malè præcepisset, secundò q; sancti Apostoli malè docuissent, tertiò q; Philippus hic malè interrogasset Eunuchum an crederet, quartò quòd Eunuchus in causſa hac plus alijs hominibus sit iniquè grauatus. Quæro igitur, quomodo à paruulis fides quæri potest? aut quis pro ipsis fidem confitetur?

Mendo

tur? Si respondes patrinos, Rursus quæro: Cùm susceptores seu patrini sint primò instituti ab Higino, pædobaptisma autem durarit ab Apostolorum temporibus, ut scribūt Augustinus et Origenes, & ego quidē facilè credo, cùm semper, qui non agnoscebant rectè Christum, iustitiam in factis cæremonijs quæsierint, quis pro fide paruulorū inter Apostolos & Higinum responderit atq; fideiusserit? Sic ille.

Confutatio. Bone Deus quàm paucis uerbis quàm multa nobis obtrudit mendacia hic Christomastyx. Primum enim mēdacium est, cùm inquit: Si potest dari baptisma ubi non sit fides, ergo Christus malè præcepit. Secundum, Si quis potest baptizari sine fide, ergo Apostoli malè docuerunt. Tertiū, ergo Philippus malè interrogauit Eunuchū an crederet. Quartū, ergo Eunuch⁹ præter cæteros maiori iniuria est affectus. Quod enim dicimus paruulos sine fide baptizari, quippe quibus fides neq; necessaria neque possibilis, id non abrogat legem Christi et doctrinam Apostolicam, quæ præcipit adultis ut prius credant quàm baptizentur. Sed multo magis confirmat, ac rectè intelligendam docet legē Christi. Quicquid enim Deus præcipit, id eos solos obstringit & obligat, quibus possibile est, & quatenus possibile est. Et hac ratione omnia Christi præcepta metiamur oportet, si neq; hic, neque alibi errare uelimus. Alioqui enim quemadmodum Menno hanc regulam possibilitatis & impossibilitatis non secutus, repellit paruulos à baptismo Christi, quòd non habeant fidem, quiuis alius simili impietate impulsus posset insurgere, qui eos penitus ab omni salute alienos ostē dere

Menno multis modis mē dax.

Paruuli sine fide præuia: sunt baptizādi, sed non adulti.

dere conaretur, cùm scriptũ sit. Sine fide impoßibile est placere Deo. Quia igitur adultis utrunque & credere & baptizari est poßibile, utrunque etiam est necessarium, atq; eam ob rem non est affectus iniuria Eunuchus, quòd rogatus sit an crederet. Paruulis autem alterum duntaxat, ut alibi diximus. Heb.11

Quintum mendacium est cùm ait patrinos primò institutos ab Higino pontifice, quod suprà confutauimus. Quintũ mendacium Mennonis.

Sextum porrò mendacium est, quòd dicit patres fidei & maiores nostros non rectè cognouisse Christum, quales fuerunt Augustinus, Ambrosius, Hieronymus, Chrysostomus & similes alij plurimi, quod etiam alibi refellimus. Sextũ mẽdaciũ Mẽnonis

Septimum denique mendacium, quòd dicit maiores nostros semper in cæremonijs quæsiuisse iustitiam. Quod intelligit ut ex scriptis eius paßim perlectis facilè est animaducertere, quasi patres credidissent se ex cæremoniarum obseruatione tanquàm ex proprijs operibus iustificatos. Quòd à ueritate alienißimum est, & mendacio atque calumnia plenißimum. Sed crediderunt patres, ut ex corum librorum monumentis perspicuum est, atque cum illis & nos credimus ac credendum docemus, ex cæremonijs (ut sic cum Mennone loquar) à Christo in salutem institutis, ut sunt septem sacramenta, nos accipere diuinitus iustificationis gratiam, aut maiorem salutem, non uirtute eius qui foris operatur, sed uirtute Christi inuisibiliter aßistentis, & intus per meritum sanguinis sui in spiritu sancto cooperantis & gratiam dantis, ut superiori libro fusim tractauimus. 7. mendaciũ

Postremò

Fidē pro paruulis p̄fitentur, loco Ecclesiæ, ipsi susceptores.

Postremò quod obijcit quasi grauem et perplexam difficultatem quis pro paruulis fidē confiteri debeat, facilis est responsio id semper fuisse susceptores iam inde ab Apostolorum temporibus, quanquàm si nemo pro eis fidem & rogetur et respondeat, non continuò eorum baptisma erit irritum et nullū. Non enim à fide baptizati aut fide iussoris sed à merito Christi pendet uis baptismi. Neq; in fide susceptorum modò, sed Ecclesiæ baptizātur. Nam susceptores cùm ob alias causas, de quibus suprà meminimus, tum potissimum ob hanc causam adhibentur, ut fideiubeant & promittāt fore aliquos, qui ipsos paruulos posteà fidem doceāt. Si enim non esset spes fore aliquos, qui fidem eos sint docturi, nullo modo baptizandi essent.

In fide Ecclesiæ baptizamur omnes.

De Cornelio Centurione, qui Acto. 10. dicitur accepisse spiritum sanctum, antequam esset baptizatus. Caput XV.

Menno

Ctauum sumit argumentū contra pædobaptismā hic Herodianus pædoctonus ex Acto. 10. de Cornelio dicens: Quamuis Petrus benè instructus esset uisione diuina quòd sibi liceret intrare ad gentes, noluit tamen Centurionem baptizare, donec uidisset spiritum super eos descendisse. Hic itaq; præcepit Petrus baptizandos, qui accepissent spiritum sanctum, & linguis loquerentur. Sic ille.

Confutatio. *Quid uerò nunc ais, ò Menno? nunc tui oblitus, tibi ipsi*

ipsi omnibus modis es cõtrarius? Tu dicis Petrũ præcepisse eos baptizãdos, qui accepto spiritu sancto prius loquerentur linguis: Sed quomodo intelligis? An quod iuxta præceptum Petri nulli omnino sint baptizandi, nisi quibus per spiritum sanctum prius acceptum, linguis loqui uarijs, datum sit? Si sic intelligas, habebis quidem tuo iudicio exclusos à baptismo paruulos: at facies Petrum manifestè contrarium sibi. Quomodo enim immemor sui Petrus hic præciperet nullos baptizandos, nisi solos eos, qui & accepissent spiritum & loquerentur linguis, aut quomodo (ut inquis) noluisset Petrus Cornelium baptizare nisi uidisset prius spiritum super eum descendisse, cum docuerat anteà non quidem prius accipiendum spiritum, & loquendũ linguis, sed duntaxat pœnitentiã agendam, & post hoc, baptismum accipiendum in remissionem peccatorum, ac demde qui sic baptizati essent, accepturos donum spiritus sancti, partim in baptismo & per baptismum Act. 2. Iohan. 3. Tit. 3. 1. Cor. 13. partim post baptismũ per manuum Apostolicarum impositionem, Act. 8. 1. Tim. 4. Spiritus enim sanctus sæpè & uariè dicitur accipi secundũ uaria eius dona, ut alibi latius dixim⁹.

Menno sibi contrarius.

Act. 2

Rursus si soli essent baptizandi ij, qui accepto spiritu loquerentur linguis, perperam baptizasset Philippus & Samaritanos & Eunuchũ, perperam & Petrus atq; Iohannes Samaritanos non rite prius secundum te baptizatos, sola manuum impositione, & oratione reddidisset contentos, sed potius, secundum tua uerba, postquã per manuum impositionem acceperant spiritum sanctum, debuissent eos denuò & ritè baptizare perperam & ipse baptizasti denuò plurimos,

Méno ex proprio facto redarguitur.

quondam pueros semel baptizatos, quorum tamen nemmem audisti ex spiritu sancto loquentē linguis. Cur non expectasti, sicut Petrus, donec manifestè accepissent spiritum, & locuti essent linguis, & Græca, & Latina, & Hebraica, & Chaldaica, & Italica, & Hispanica, & Indica, & Elamitica, & alijs quibusuis, ut tum demum eos baptizasses? Falsissimum igitur est, & tibiipsi, atque adcò scripturæ cōtrarium maximè, quòd Petrus præcepisset solos baptizandos eos, qui prius accepto spiritu loquerentur linguis, quòd ex uerbis tuis, si modò pædobaptisma expugnare uidebitur, necessariò colligitur.

Cornelij baptismo post spiritū accepti administratus non excludit pedobaptisma

Nam si non solos eos, qui prius ex spiritu uarijs loquerentur linguis, præcepit baptizandos, quemadmodum reuera secundum normam Christi non solos baptizandos præcepit, sed etiam quosuis alios, qui modò per baptismum sint spiritus sancti capaces Act. 2. quid efficiet contra paruulos hic baptismus Cornelij post datum spiritum acceptus? Certè quemadmodū ex hoc loco non sequitur, nullos omnino baptizādos, nisi qui prius ex spiritu accepto loquantur linguis: ita etiam non sequitur paruulos ob id non baptizandos, quòd cum Cornelio non loquantur linguis.

Mendacia Mennonis Mentiē Mēno q; Petrus noluerit Cē turionēpriº baptizare, q̄ viderit accepisse spiritū

Mendacium igitur est q; Petrus solos eos præcepe rit baptizandos (quemadmodū tua uerba intelligun tur, et à te contra paruulos usurpantur) qui accepissent spiritū sanctum, et linguis loquerētur. Mendaciū quoq; est q; paruuli ob id nō sint baptizādi, quod non cū Cornelio prius acceperint spiritū; & loquantur linguis. Mendacium deniq; est, q; prius noluisset Centurionē Petrus baptizare, donec uidisset spiritū sanctū

super

ſuper eos deſcendiſſe. Cur enim præ cæteris hominibus fuiſſet Centurioni iniquior, et tantam iniuriam feciſſet, ut præter Domini ſui præceptū noluiſſet eum baptizare, niſi quē uidiſſet ſpiritū accepiſſe, & locutū linguis? Omnino credibile eſt, etiāſi Deus Cornelianis ante baptiſmū non dediſſet ſpiritū, quemadmodum nec Samaritanis dederat, quod Petrus ſine dubio poſtq̄ abſoluiſſet ſermonē, et rogaſſet ſi crederent in Dominū Ieſum ex toto corde, ipſiq; reſpōdiſſent ſe credere filiū Dei eſſe Ieſum Chriſtum, eos baptizaſſet, non minus, q̄ Philippus Eunuchum, quem tamen nondum uiderat accepiſſe ſpiritum, neq; loquentem linguis. Act.8

Hoc igitur priuilegiū accepti ſpiritus ſancti ante baptiſmum, uni Cornelio eiusq; ſocijs diumitus peculiari modo datum non eſt trahendum in regulam omnibus communem. Tale enim nuſquàm alibi factum legimus poſt Euangelium Chriſti ſatis diuulgatum, ſed ſemper contrarium. Neq; alibi tanta fuit utilitas & neceſſitas ſpiritus ita præmaturè dandi. Priuilegiū Cornelij nō facit legē cōmunē oibus

Quòd enim Deus tam præproperè dedit ſpiritum Cornelianis, præter cæteros, id fecit ob peculiarē Ecclefiæ utilitatem & neceſſitatem. Simul ne Iudæi haberent iuſtam cauſam contra Apoſtolos murmurandi & obſtrependi, atque ab eorum doctrina quaſi impia diffugiendi. Simul ne & ipſa Chriſti Eccleſia, quicq̄ quod ad fidem ſpectaret, inſcia ignoraret, aut ulla in re pernicioſo ſcinderetur opinionum diſſidio. Cur deus deferit Cornelio antequā eſſet baptizatus ſpiritum ſanctū. Primò propter Iudæos nō ſcandalizandos, ſed à murmure auocandos, datº eſt Cornelio ſpiritus ante baptiſmum.

Nam quod ad Iudæos ſpectat, ſcimus eos fuiſſe in ea hæreſi, ut putarint uerum Meſſiam ipſis ſolis miſſum, & non gentibus, cuius gratia et ipſe Chriſtus, ne eos adhuc infirmos ſcandalizaret, dixit ſe nō miſſum,

Marc.7 *nisi ad oues, quæ perierãt domus Israel, ita ut si uidissent* Petrum *non modò intrasse ad gentes, quod ipsis uidebatur abominabile, sed etiam eas incircũcisas admisisse in consortiũ Christi, quod ipsis uidebatur cum lege quasi ex diametro pugnare, credidissent, nisi hoc manifestum uidissent diuinitus datum signum, et Christum ipsum, & Petrum eius ministrum cum cæteris Apostolis esse impios, & meritò profligãdos. Atq; hinc est cur cùm accepissent spiritum sanctum Cornelíani, & loquerentur linguis atq; magnificarent Deum, audientibus & obstupescentibus ex circuncisione fidelis*

Act.10 *bus, qui uenerant cum* Petro, *responderit* Petrus, *cùm tamen nemo scribatur quicquam eum interrogasse respondérit igitur eorũ tacitæ obiectioni, quam præuiderat futuram, nisi datũ fuisset signum desuper. Nunquid aquam quis prohibere potest, ut non baptizentur hi, qui acceperunt spiritũ sanctum, sicut & nos? sine dubio significans eos fuisse prohibituros aquam, nisi uidissent cælo authore fieri, quicquid faciebat* Petrus. *Vnde & cap.11. sequitur, quod cùm aduersus* Petrum Hierosolymam *reuersum disceptarent quidã ex circuncisione dicentes: Cur introisti ad uiros præputium habentes, et manducasti cum illis? atq; Petrus sui facti rationem redderet, partim ex uisione cœlitus sibi facta, partim ex spiritu sancto perinde super eos lapso, atq; super ipsos Apostolos, his auditis tacuerunt*

Act.11 *& glorificauerũt Deum dicentes: Ergo & gentibus pœnitentiam dedit Deus ad uitam. Alioqui nimirum obstrepuissent* Petro, *neq; eius factum habuissent ratum & Deo gratum.*

Ad Iudæorum itaq; scandalum uitandũ misit Deus in has

in has gentium primitias ante baptisma spiritum sanctum, testem uidelicet futurum, quod & earum salutem operatus sit Christus. Cuius sanè rei gratia & ante mortẽ suam præceperat Christus suis Apostolis. In uias gentium ne abirent, & in ciuitates Samaritanorum ne intrarent. Cùm tamen contrarium post mortẽ præceperit posteà dicens: Euntes in mundum uniuersum, prædicate Euangelium omni creaturæ.

Deinde quod ad ecclesiã Christi spectat, cã scimus non fuisse ab ipso Christo adhuc mortali absolutißimè edoctam, sed opus habuisse & à spiritu sancto plurima doceri, iuxta uerbũ Christi iam abiturientis, atq; dicentis: Adhuc multa habeo dicere uobis, sed non potestis portare modò. Cùm autem uenerit spiritus ueritatis, ille docebit uos omnem ueritatem. Tale autem fuit, quod, recens iactis ecclesiæ Christianæ fundamentis, adhuc ambiguum & dubium erat, non modò minimis & infimis quibusq; fratribus, sed & Apostolorum primis, an gentes essent circuncidendæ secundum legem Mosi, an sine circuncisione baptizandi, & in corpus Christi, tanquàm oleaster in bonam oliuam, inserẽdæ, ut taceam de ijs, qui multò crassius dubitabant, an omnino essent comparticipes, cohæredes & concorporales promißionis æternæ in Christo Iesu per euangelium futuræ, nec ne.

Secundò ad eruditiõem Ecclesiæ datꝰ est Cornelio spirituſſanctus ante baptiſmum. Iohan.16

Act.15

Rom.11

Eph.3

Atq; de hoc ecclesiæ dubio describitur grauis disceptatio. Act.15. ubi dicitur, quod quidam descendentes de Iudæa docebant fratres, quia nisi circũcidamini secũdũ morẽ Mosi, non potestis saluari. Facta ergo seditione nõ minima Paulo et Barnabæ aduersus illos steterunt ut ascenderent Paulus & Barnabas, & quidã

alij ex alijs, ad Apostolos & presbyteros in Hierusalem super hac quæstione. Quo cùm peruenissent, & in concilio Apostolorum ac seniorum, propter quam uenissent, causam plenius exposuissent, facta est consquisitio magna de uerbo hoc inter illos, ut Lucas & Euangelista & praxeographus latè prosequitur.

Ad hanc igitur Ecclesiæ suæ disceptationẽ sopiendam & terminandam, quam præuiderat futuram, non
Act.10 modò priuatam & secretam fecit Deus Petro reuelationem, ostendẽs ei neminem cõmunem & immundum esse dicendum hominẽ, sed etiam publicã & apertam dedit significationem, gentes sine circuncisione ad baptismum Christi admittendas, & in album Christianorum inscribendas, atq; in Ecclesiam Dei cooptandas, per spiritũ sanctũ cum manifesto signo uarijs linguis loquendi eis datum, ut nemo amplius aut contradicere aut subdubitare potuerit. Quippe quo signo Petrus in concilio Apostolorum & seniorum usus est summa cum authoritate ad ostendendã legis cessationem, dis
Act.15 cens: Qui nouit corda Deus, testimonium perhibuit, dans illis spiritum sanctũ, sicut & nobis, et nihil discreuit inter nos & illos, fide purificans corda eorũ. Nũc ergo quid tentatis Deum, imponere iugum super ceruices discipulorum, quod neque nos, neque patres nostri portare potuimus. Sed per gratiã Domini nostri Iesu Christi credimus saluari, quemadmodum & illi.

Ecce nunc habes ex ipsa scriptura satis ostensum, quæ fuerit causa, cur Cornelianis datus sit spiritus sanctus, ex peculiari priuilegio, ob utilitatem et necessitatem Ecclesiæ ante baptismũ. Quid igitur hinc contra pædobaptisma colligi potest? profectò nihil amplius

plius, quàm contra quosuis alios ante spiritum acceptum baptizatos, quales sunt præter Cornelianos, quotquot post Euangelicam legem satis disseminatam hactenus usq; baptizati sunt, de quibus quidē uel scriptum sit, uel manifesta et irrefutabili fide cōstet.

Quod igitur Menno ait: Quamuis Petrus benè instructus esset uisione diuina, quòd sibi liceret intrare ad gentes, noluit tamen Centurionem baptizare, donec uidisset spiritum &c. id, præter admixtum mendacium, de quo diximus, est sine pondere & sine mente dictum ab homine, qui satis prodit se scripturas nō penitius discussisse neque penetrasse, sed uix literas liter intelligere. Si enim hanc scripturam aliasq; diligentius perlustrasset, ac perscrutatus fuisset, dixisset potius in hunc modum: Quamuis Petrus benè instructus esset uisione diuina, quòd sibi liceret intrare ad gentes, ita ut ubi primùm, post sermonem factum, cognouisset sui uerbi auditores iam credere in Christum, paratus fuisset, etiamsi nō accepissent spiritum sanctum, eos baptizare quemadmodum Philippus Eunuchum quoque gentilem baptizarat, spiritus sanctus tamen omnium rerum præscius, noluit in re tam noua & ardua unius Petri quamuis fide dignissimi aut priuatæ reuelationi standū, aut secreta conscientia quantumuis à spiritu mota nitēdum, sed aperta, manifesta, & omnibus conspicua atq; irrefragabili significatione uoluit fidendum, tum ne Ecclesia Dei ulla in re maneret suspensa et dubia aut deciperetur unquàm, tum ne malis & impijs fenestra aperiretur, ad impostura, & fucum Ecclesiæ faciendum.

Menno pdit suā inscitiā.

Quare spiritus sanct⁹ uoluerit prius uenire ī Cornelianos q̄ baptizati essent.

Hinc enim discimus, quanquam & aliundè, ut ne-

Nemo fingat inaudita, aut velit nouus author haberi.

mo sibi ex priuato suæ conscientiæ testimonio sumat authoritatem noua, inaudita, & ardua introducendi dogmata, quemadmodum nunc fecerunt Mennoniani, nisi aperta & omnibus manifesta dei uocatione ad hoc electus & extimulatus. Nam & ipse Christus nihil noui uoluit tentare, nisi prius uoce diuinitus lapsa ac testificante. Hic est filius meus dilectus. Neq; suos Apostolos post suam ascensionem uoluit nouam ecclesiam

Mar. 3
Marc. 9
Iohan. 12

Act. 2

ædificatum ire, nisi prius facto cœlitus signo itamagno, & adueniente spiritu tam uehementi, ut tota eius uitas ad eam uocem excita conuenerit, & tandem magna ex parte certò condidicerit, non posse non esse diuinum, quod tot diuinis signis, portentis, & uarijs uirtutibus ac spiritus sancti distributionibus approbetur.

Heb. 2

Discimus præterea, ut neq; ecclesia, neq; quisquam faciles cuiuis noua & inaudita asserenti dogmata aures præbeat, ac facilè credat, quamuis instar Mennonianorum deieret se spiritum sanctũ in corde suo sentire, & à Deo se mitti atq; extimulari ad huiusmodi disseminanda. Quandocunq; enim quippiam noui & eximij uoluit Deus unquam suæ ecclesiæ significatum iri, id non sine manifestis & reuelationibus & signis semper fecit.

Non est credendũ omni spiritui, sed probandi sunt spiritus si ex Deo sint.

Nonæ obiectionis Mennonianæ dissolutio. Cap. XVI.

NOno sumit argumentũ ex Act. 19. de ijs, quos Paulus iterũ baptizauit baptismo christi, priꝰ baptizatos non nisi baptismo Iohannis, qui nescie bant an spiritus sanctus esset, de quo loco, superiori lib. cap. ultimo satis (opinor) disseruimus. Hoc autem eodem loco, obijcit præterea nobis Menno, quòd de pædobaptismate non scripserint patres nostri cõcorditer, idq; uult esse argumentum, quod sit ex spiritu sancto, sic inquiens: Non ijsdem sunt locuti labijs authores, qui de hac re loquuti sint. Nam quidam quæsierunt ablutionem peccati originalis. Alij docent, quòd in propria fide baptizãdi sint pusilli. Alij ut facilius enutriantur in uerbo Dei & eius præceptis. Alij ut assumantur in fœdus Dei. Alij quæsierunt paruulos incorporare in communitatem Christi. Si habuissent uerbum Dei, uno calamo scripsissent, & uno ore locuti fuissent omnes. Hactenus ille. Menno

Respondemus primò nos non recipere neq; agnoscere eos, qui dicunt baptizãdos paruulos in propria fide, ut Ecclesiasticos, authenticos & fide dignos scriptores. Hoc enim docuit Lutherus (si Mennoni credimus) in sermone quodã de dominica 3. post Epiphan. Domini. Cui Bucerus in eadem re contradicit, ut idem Menno refert. Sed nos scimus Lutherum cum Bucero atq; alijs eiusdem farinæ monstris, nõ esse catholicos, sed Antichristicos scriptores, quippe cùm dicant contra euangelium Christi, portas infernas præualuisse aduersus ecclesiam Dei, cò quòd in multis fidẽ & constructus Qui dicunt paruulos in propria fide baptizãdos, non sunt audiendi.

suetudinem Ecclesiæ iam multis seculis ubique inter omnes Christianos obseruatam & tritam, quasi impiam, ipsi potius impij transfugæ deseruerunt & conuellere tentarunt, sibiq; nouam atq; inauditam & scripturæ contrariam confinxerunt, & mundo obtrudere studuerunt.

Authores ecclesiasticinō scripserunt contraria de pædobaptismate.

Secundò respondemus nostros authores unanimes atq; uno ore hac in re idem semper docuisse, pusillos uidelicet sine baptismo saluos fieri non posse. Neque quicquam eis obesse uel ad baptismum, uel ad salutem per baptismum in sanguine Christi accipiendam, quod ex auditu uerbi nondum credere possint. Sed id eis satis prodesse ad suscipiendum baptismum, quod per eum, uel sine fide præuia, cognoscantur non minus, quàm adulti per fidem, spiritu sancti capaces, per quē absterso peccato originali incorporentur Christo, & in fœdus Dei assumantur, atque inter fideles ac cohæredes Christi uerè & sint, & habeantur.

Hæc enim non sunt contraria, quòd dicimus eos in baptismo abluere peccatū originale, assumi in fœdus Dei, incorporari Christo, & facilius postea educari in uerbo Dei. Neque nostrum alij (ut Menno calumniatur) quæsierunt ablutionē peccati originalis. Alij ut assumantur in fœdus Dei. Alij ut incorporentur Christo, quasi qui docuerint pusillos per baptismum abluere peccatum originale, ijdem negauerint eos per baptismum incorporari Christo, & assumi in fœdus Dei. Non sic impie non sic. Nemo enim est authorum nostrorum, qui non omnia hæc de paruulis fateatur, & quòd abluant peccata, & quòd fiant membra corporis Christi, & quòd assumantur in fœdus

Dei,

Dei, & quòd facilius posteà enutriantur in uerbis diuinis.

Neque enim hæc, ut diximus, inter sese pugnant, sed dissident quidem uerbis, re autem consentiunt, & conueniunt, atque in una sede morantur, ut sic dicam. Cuicunque enim ablutum & absersum est peccatum originale in merito sanguinis Christi, is etiam assumptus est in fœdus Dei, incorporatus est Christo, & facilius posteà educatur in uerbo Dei, non inquam semper facilius quàm quiuis alius, cui nondum sit peccatum originale remissum. Est enim alius alio docilior. Sunt etiam plærunque & ethnici ingenio acutiores ac uiuaciores, quàm Christiani. Sed facilius, quàm ipsemet fuisset educandus in uerbo Dei, si non prius fuisset lotus à peccatis suis in sanguine Christi. Quomodo enim non capacior diuinæ eruditionis, qui peccatis remissis spiritum sanctum omnis ueritatis magistrum intus habet, quàm qui nondum purgatis peccatis, diaboli adhuc mancipium esse pergit? Quomodo non filius Dei diuinæ ueritatis docilior, quàm filius Sathanæ patris mẽdacij? Nemo autem filius Dei, ut suprà docuimus, nisi cui per spiritum sanctum fuerit remissum originale peccatum, aut, ut inquit Sapiens: Neminem diligit Deus, nisi eum quo sapientia inhabitat. Ea autem non habitat in corpore subdito peccatis. Quamobrem fieri nõ potest, ut quisquam sit assumptus in fœdus Dei, & incorporatus Christo, nisi prius remisso peccato originali Sed cõtrà, necessariũ est, ut qui sit purus peccati originalis, is etiã sit filius Dei, et unum membrum corporis Christi, loquendo de paruulis, qui necdum super fundamẽtum in baptismo iactum,

Facilius educãtur in uerbo Dei qui sunt baptizati paruuli q̃ qui nõ sũt baptizati.

Iohan.16

Iohan.8

Rom.8

Sap.7

Sap.1

iactum, propria sponte possunt superædificare uel aurum argentum aut lapides preciosos, uel ligna fœnũ aut stipulam, 1. Cor. 3.

Quemadmodum igitur quamuis & ipsa scriptura uideatur uariè & contrariè primo aspectu loqui de baptismo, nunc quod in eo morimur & sepelimur cũ Christo, nunc quod resurgimus ad nouitatẽ uitæ (quid enim, si uerba spectes, magis contrarium, quàm mors, & nouitas uitæ? nunc quòd circũcidimur circuncisione non manufacta, nunc quòd remissionem peccatorũ accipimus, nunc quòd spiritu sancto imbuimur, nunc quòd in corpus Christi assumimur, non tamen est sibi ipsi contraria, cùm hæc omnia simul in uno spiritu per baptismum acquirantur, sintq; uerbis quidem, sed non re diuersa. Sic etiã cum & ea omnia, quæ nos ex scripturis attribuimus pædobaptismati, non sint inter se pugnantia atq; diuersa, manifestum est mendacissima aduersum nos usum esse calumnia Mennonem, quòd dixerit authores nostros non ijsdem esse locutos linguis de pædobaptismate.

Rom. 6 Col. 2 Act. 2 1. Cor. 12

Sed nos sæpissimè iam et uerissimè ostendimus Mennonem sibimetipsi turpiter & ignoranter sæpenumero esse contrarium, quod nobis est certum & euidens argumentum, non ipsum esse locutum ex spiritu sancto. Cui equidem illud propheticum merito & iure impegero. Si mutare potest Æthiops pellem suam, & Pardus uarietates suas, & Menno poterit bene loqui, cùm didicerit malè. Cuius profectò calumnias & blasphemias posthac non magis curabimus, quàm elephantus muscam, ut dici solet, aut pulicem acerrimus Molossus. Si quid igitur præterea blasphemiarum

Hier. 13

rum reſtet (nihil autem reliquum eſſe putamus, quod ſit tanti ponderis, ut reſponſione ulla dignum uideatur) id præterimus, ne minutiſſima quæq; nimis curioſè ſectati, meritò cum ipſo nugigerulo Mennone nos propinemus ſubſannandos atque naribus uncis ſuſpendendos.

Peroratio.

HÆc habui, lector optime, quæ de Baptiſmi energia, de regeneratione, de pædobaptiſmate, deq; aliis multis ad eandem rem uteunque ſpectantibus, dictu & utilia et neceſſaria, ad Mennonianæ blaſphemiæ tela retundenda, putaui. Quæ cum potuiſſem non paulò ſtrictius ac ſuccinctius dixiſſe, malui fuſius ac ſpaciosius proſequi, ſimul ut & ipſi Mennoni atque Mennonianis multa cæcitate offuſis latiorem feneſtram aperirem ad uerum Euangelij lumen rurſus intuendum, & ſuas tenebras agnoſcendum, ſimul ut & lectoribus non modò ingenioſis & doctis, ſed multo magis qui ſine ingenio retuſiore, & eruditione tenuiore, prodeſſem, & quaſi manſum in os inſererem. Hoc igitur ſi conſecutus fuero ex hac mea opella, ut uel omnibus uel ſaltem aliquibus profuiſſe uidear, abundè meo uoto fuerit factum ſatis.

FINIS.

NEC
VLTRA.
QVAERE.

SANTIN OTTAVIA
RESTAURO
70